This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

PROPERTY OF
University of Michigan Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS

Boerner, Christian Friedrich

CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI

S.T.D. ET P.P. PR.

INSTITVTIONES THEOLOGIAE SYMBOLICAE



LIPSIAE

APVD IOH. WENDLERVM

MDCCLI

priuatim enarraui. Graues omnino ad id habui cauſas. Nullo ſane negari poteſt modo, libris his exactius pernoſcendis ſingulare ſtudium ab iis maxime, qui ſacris ſe ſe praeparant muneribus, eſſe impendendum; ſi quidem his praeficiendi exploratum habere debent, eam, quae dictis libris continetur, veram, verboque Dei prorſus conſentaneam eſſe doctrinam. Id nimirum, interpoſito iure iurando, confiteri, ſeque illi ipſi doctrinae ſincere adhaerere, nec tranſuerſum vnguem ab ea diſcedere velle, polliceri, iubentur.

Faciunt igitur, quod officii ſui ratio poſtulat, doctores academici, qui ad librorum eccleſiae noſtrae ſymbolicorum debitam cognitionem, intelligentiamque theologiae ſtudioſos informant. Eo pertinent Auguſtanae Confeſſioni addictorum Electorum, Principum, et Sacri Romani Imperii in Germania Ordinum, qui *Concordiae* librum componendum curarunt, verba, quibus, in praefationis illius fine, „ſeueriſſime hortan„tur, vt in primis iuuentus, quae ad ſacrum „eccleſiarum et ſcholarum miniſterium edu„catur, in hoc fideliter et diligenter inſtitua„tur.

„tur.„ Ita, quod ad Electoratus Saxonici ſpeciatim attinet prouincias, Princeps Elector Saxo, CHRISTIANVS II, ſingulari, Concordiae libro, qui auſpiciis ipſius, in forma minore, ſecundo ſupra milleſimum et ſexcenteſimum anno, typis impreſſus fuit, atque euulgatus, praefixo mandato, neceſſarium libri praeſcripſit vſum, et aſſiduam illius nominatim quoque *doctoribus* et *profeſſoribus academiarum* iniunxit tractationem.

Vtinam vero theologiae ſtudio in academiis qui operantur, ſuis eo nomine non deeſſent partibus, et ad ſymbolicam theologiam, quam cum reliquis diuinioris ſcientiae diſciplinis neceſſario coniungendam eſſe, vere docent, qui de ſtudiorum theologicorum ratione praecipiunt, noſtrates theologi, animum appellerent cuncti, illamque docentes, et verum libros ſymbolicos interpretandi demonſtrantes modum, ſedulo audirent. At enimuero haec quidem theologiae pars a bene multis negligitur, immo contemnitur, deſpiciturque, iis nimirum, qui ſatis habent, ſi theſin, in compendio quodam theologico propoſitam, primoribus guſtauerint labris,

8-29-44
50852

rum, qui appendicis eius ad libros eccleſiae Lutheranae ſymbolicos alteram conſtituit partem, et ad cuius ductum ego ipſe aliquando ſymbolicas meas compoſui praelectiones. Singularibus vero etiam libris, ſymbolicam theologiam hac methodo adornarunt BERNHARDVS von SANDEN, Regiomontanus theologus, et IOH. HENRICVS MAIVS, theologus Gieſſenſis. Illius liber, anno MDCLXXXIIX editus, hocque inſignitus eſt titulo: *Theologia Symbolica Lutherana, hoc eſt, eccleſiae Lutherano catholicae libri ſymbolici, in ordinem et compendium redacti*: huius *Synopſis Theologiae Symbolicae eccleſiarum Lutheranarum, ex omnibus libris ſymbolicis, eorundemque verbis propriis, ordine ſyſtematico, adornata*, Gieſſae Haſſorum prodiit, anno MDCXCIIII, recuſa anno MDCCXX. Huc etiam referendus eſt, Tubingenſis theologi, GODOFREDI HOFFMANNI *Commentarius in Auguſtanam Confeſſionem*, in quo videlicet, vt in ipſo etiam titulo notatur, quae in libro Concordiae hinc inde diſperſa ad idem doctrinae caput pertinent, monſtrata ſimul Confeſſionis Wirtembergicae harmonia, veluti in vna ſede ſimul conſpicienda lectori ob oculos ſiſtun-

ſtuntur. Optimum conſilium egregie quidem exſecuti ſunt praeſtantiſſimi hi theologi; nihilo minus tamen operae pretium me facturum eſſe, exiſtimaui, ſi et ipſe eiuſmodi quid ſuſciperem, et, pleniori doctrinae ſymbolicae tractatione, auditorum meorum commodis ſeruirem, haſque adeo, quas luci publicae iam expono, ſymbolicae theologiae conteci inſtitutiones.

In *prolegomenis*, de libris eccleſiae euangelicae ſymbolicis in genere, eorundemque indole, neceſſitate, auctoritate, tum de ſingulis ſpeciatim egi, et ſummatim commemoraui ea, quae ad hiſtoricam illorum notitiam ſpectant. Vberius illa ipſa docendo enarrare ſoleo, ſiquidem ſingulari ſtudio de his libris olim commentatus ſum; commentationis vero huius edendae propoſito deſtiti, vbi vir ſumme reuerendus, IO. GEORGIVS WALCHIVS, luculentiſſimam, et maximopere collaudandam, edidit *Introductionem in libros eccleſiae Lutheranae ſymbolicos, obſeruationibus hiſtoricis et theologicis illuſtratam.*

Inſtitutionum harum *capita* ſunt *viginti et vnum*, quorum vnumquodque *duabus*

ſectionibus conſtat. In *ſectione prima*, quam *hiſtoricam* appellare, placuit, omnes, qui ad propoſitam eo capite doctrinam pertinent, librorum ſymbolicorum articuli, neceſſariis additis annotationibus, recenſentur. Ita, quod ad Auguſtanae Confeſſionis attinet articulos, quas ob cauſas quiſque conſcriptus, et ex quonam *Torgauienſium* articulorum deſumtus is fuerit, indicatur, textus Germanici et Latini integritas, et conuenientia demonſtratur, corruptelae mutationeſue textus Latini in confeſſione, *variata* quae dicitur, Philippicae notantur, articuli cuiuſuis argumentum, parteſque enarrantur, aduerſariorum, pontificiae cum maxime, in comitiis Auguſtanis compoſitae, publicataeque, confutationis auctorum iudicia pariter, atque Apologiae A. C. ad illa reſponſiones et vindiciae referuntur, tum vero ea, quae cum in ipſis articulis, tum in Apologia, difficilem intelligentiam, et contradictionis, errorisue ſpeciem habent, dilucidantur, eumque in modum declarantur, vt nulla re vera ἐναντία, errorque in illis eſſe, cognoſcatur. Pari modo, quae in Articulis Smalcaldicis, Catechiſmis Lutheri, et Formula Concordiae δυσνόητα ſunt, enodantur, et argumenta ar-

ticu-

ticulorum, ex his libris qui adducuntur, in notis, iiſdem ſubiunctis, exponuntur. Inſigne ad primam hanc ſectionem adiumentum attulit, beati proaui, IOHANNIS BENEDICTI CARPZOVII *Iſagoge in libros eccleſiarum Lutheranarum ſymbolicos;* quam propter ea etiam ſaepius laudaui.

In *altera*, quae *thetico elenctica* eſt, *ſectione*, ſymbolica de propoſitis fidei capitibus doctrina, theſibus comprehenſa, exhibetur. Theſes ſingulae curatius explicantur et confirmantur, indeque oppoſiti iiſdem cum veterum haereticorum, tum maxime Pontificiorum, Caluinianorum, Socinianorum, Arminianorum, fanaticorum, et quorumuis aliorum errores notantur, atque refelluntur. Orthodoxam librorum noſtrorum ſymbolicorum doctrinam firmiſſimis ſacrarum litterarum teſtimoniis, claſſicisque potiſſimum confirmaui dictis, horumque germanam ſententiam ex genuinis ἐξηγήσεως ſacrae principiis demonſtraui, et ab aduerſariorum vindicaui ψευδερμηνείαις. In confutandis antitheſibus, id in primis operam dedi, vt de aduerſariorum ſententia vere pleneque conſtaret, ac proinde ex libris, qui ſumma apud

 ipſos

PRAEFATIO

Habes, LECTOR BENEVOLE, omnem libri huius rationem. Cum ea is conſcriptus ſit fini, vt pleniori librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum doctrinae inſerviat cognitioni, et ad eandem illos, quibus inprimis opus ea eſt, inſtituat, hunc ſi conſequatur finem, exoptatiſſimum ego laboris mei feram fructum. Scrib. Lipſiae, Cal. Febr. A. R. S. CIƆIƆCC LI.

PROLE-

PROLEGOMENA
IN
THEOLOGIAE SYMBOLICAE
INSTITVTIONES

SECTIO I
DE
LIBRIS ECCLESIAE EVANGELICAE SYMBOLICI IN GENERE
EORVNDEMQVE NECESSITATE ET AVCTORITATE

I

Theologiae ſymbolicae, quae ſingulare cum maxime ſtudium depoſcit, inſtitutiones tradituri, ac fidei adeo, quae in libris eccleſiae euangelicae ſymbolicis continentur, doctrinas ordine concinno expoſituri, ante quam ad propoſitum ve-

niamus, de his ipſis libris breuem praemittemus tractationem, et primo quidem de illorum, vniuerſe ſpectatorum, indole, neceſſitate, atque auctoritate dicemus, tum vero ea, quae de ſingulis cognitu in primis neceſſaria ſunt, ediſſeremus.

II

Libri Symbolici dicuntur a *ſymbolis*, quo nomine compendiariae chriſtianae fidei confeſſiones appellari ſolent. Quaenam autem appellationis huius ſit ratio, inter eruditos diſputatur. RVFFINVS, *) CASSIANVS, **) et qui horum ductum et auctoritatem ſequuntur, ex antiquitatibus conuiualibus, ſpeciatimque ex conſuetudine, qua, in communi conuiuio apparando, vnuſquiſque, quod ſuum erat, συμβάλλειν, *conferre* ſolebat, vocem *ſymboli* ad primam fidei chriſtianae confeſſionem denotandam tranſlatam fuiſſe, volunt, ac σύμβολον adeo *collationem* interpretantur. At enimuero, ſicuti ſententia haec fabuloſa illa nititur traditione, qua Apoſtoli omnes, vna congregati, ſymbolum, quod Apoſtolicum dicitur, mutuo conſenſu compoſuiſſe, et vnusquiſque ſuam

*) in *expoſit. in ſymb. Apoſt. Opp.* HIERON. *edit. Pariſ. a. 1706, t. V, p. 128.*

**) *de incarnat. Domini, l. VI, c. 1, p. 741.*

ſuam ad id portionem contuliſſe, ac doctrinae caput quoddam addidiſſe, dicuntur, ita ab IS. CASAVBONO, *) H. STEPHANO, **) aliiſque, bene obſeruatum eſt, voces συμβολὴ et σύμβολον perperam ab his auctoribus confundi, ac, quae priori vocabulo competit, notionem poſteriori, abſque vllo ſcriptoris Graeci exemplo, aſſignari.

Hinc alii, ad vſitatum illum apud ſcriptores Graecos, quo σύμβολον de *teſſeris militaribus* vſurpatur, reſpicientes ſignificatum, nominis huius, fidei confeſſionibus dati, rationem inde arceſſunt, haſque adeo ſymbola dictas fuiſſe, exiſtimant, quod teſſerarum inſtar eſſent, quibus in eccleſia militante veri atque orthodoxi chriſtiani inuicem agnoſcerentur, et ab hoſtibus veritatis, ſeu haereticis, diſcernerentur.

Alii ex τῶν συμβόλων, ſiue teſſerarum in *contractibus* vſu appellationem eam repetunt, primaſque illas confeſſiones, in fidem foederis, cum Deo in baptiſmo initi, chriſtianis propoſitas, ſymbolorum inde nomen accepiſſe, arbitrantur.

Singularis, eaque admodum ingenioſa eſt ſententia, quam dignitate ac doctrina illuſtriſſimus

*) *animaduerſ. in* ATHEN. *l. III, c. 31, p. 224, ſqq.*
**) in *theſ. Gr. L.* et *de abuſu Gr. L. c. 1.*

mus Anglus, PETRVS KING, propoſuit in *hiſtoria Symboli Apoſtolici, obſeruationibus eccleſiaſticis et criticis illuſtrata, cap. I, §. VI-XVII, p. 8, et ſqq. ed. Lat. Lipſ.* Is nimirum vocabuli huius in ciuitate chriſtiana vſum ab *arcanis ſignis*, in myſteriis gentilium adhibitis, deriuandum eſſe, putat. Etenim apud paganos iis, qui ſacris initiati erant, ſymbola dabantur, quae duplicis erant generis, vel ſigna, vel voces, vt iiſdem ſe mutuo agnoſcerent, eaque exhibendo, ad myſteria, ſeu ſecretiora deorum ſacra, admitterentur. Et illi quidem, qui ſymbola haec acceperant, ſacramenti adſtricti erant religione, vt quam ſtudioſiſſime illa ipſa abſconderent, nec, quicquid etiam eueniret, euulgarent. Haec ſicuti a doctiſſimo viro ex priſcis litterarum monimentis copioſe enarrantur, ipſiſque veterum eccleſiae doctorum, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ARNOBII, IVL. FIRMICI, teſtimoniis confirmantur, ita idem ille pro certo habet, facta ad iſta paganicae religionis τῶν μεμυημένων σύμβολα alluſione, fidei chriſtianae confeſſiones, et in primis, quod Apoſtolicum dicitur, ſymbolum id nomen accepiſſe, propterea quod ſymbolum hocce ad eccleſiae pertinuerit μυστηριοκρυψίαν, et non niſi iis, qui per baptiſmum ad eccleſiam admittendi erant, fuerit traditum, idque,

tanquam

tanquam nota et ſignum arcanum, quo a caeteris dignoſcerentur. *)

Nos, quicqnid hactenus de ſymbolorum in militia, in contractibus, et in ſacris gentium vſu antiquo, ad ſymbolorum eccleſiae ὀνοματολογίαν explicandam, a viris doctis allatum vidimus, rem ipſam mirifice quidem illuſtrare, exiſtimamus, diiudicatu tamen difficile eſſe arbitramur, quidnam horum potiſſimum reſpexerint primi appellationis iſtius auctores, qui forte ad generalem vocis σύμβολον, qua, vt HESYCHIVS et veteres Gloſſae exponunt, σημεῖον, *ſignum*; *notam*, *indicium*, ſignificat, vnice attendentes notionem, idoneam illam eſſe iudicarunt, qua compendiarias fidei chriſtianae deſignarent confeſſiones, quod certa eaedem *ſigna* eſſent atque *indicia*, quibus vnius eiuſdemque doctrinae confeſſores et inter ſe cognoſcerentur, et a diſſentientibus diſcernerentnr.

*) Idem hoc in mentem veniſſe IS. CASAVBONO, patet ex *Caſaubonianis*, *p.* 127. Celeberrimus horum editor, I. C. WOLFIVS, *p.* 319, P. KINGIVM ſententiam hanc egregie adſtruxiſſe, notat. Granes vero ſunt rationes, quas eidem oppoſuerunt THOMAS ITTIGIVS, *hiſt. eccl. ſeculi primi cap. III*, *ſect.* 1, *p.* 76, *ſq.* et IOSEPHVS BINGHAMVS, *orig. eccleſ. lib. IV*, *c.* 3, *edit. Lat vol. IV*, *p.* 64.

III

Quem ad modum igitur veteris eccleſiae, in condendis fidei confeſſionibus, ſymbolorum nomine inſignitis, exemplum imitata eſt eccleſia, b. LVTHERI miniſterio inſtaurata: *) ita illi ipſi, qui *ſymbolici* dicuntur, eiuſdem libri nihil aliud ſunt, quam luculentae de praecipuis, iiſque controuerſis maxime, chriſtianae fidei capitibus confeſſiones, expoſitiones, declarationes, ad ſacrarum litterarum normam compoſitae, publicaque editae ac receptae auctoritate, vt et vera atque orthodoxa eccleſiae euangelicae Lutheranae doctrina ex illis cognoſci queat, et ipſi coetus euangelici compendiariam ὑποτύπωσιν, ſeu ſanae doctrinae habeant formam, quam, docendo et confitendo, ſequantur, quo concordia et mutuus conſenſus in vnitate fidei inter eos conſeruetur. **)

IIII

Sunt autem, quos generatim modo deſcripſimus, libri eccleſiae euangelicae ſymbolici, vniuerſales videlicet iidem fere omnes, numero quinque: AVGVSTANA CONFESSIO, eaque non variata, AVGVSTANAE CONFESSIO-

*) Vid. *Form. Conc. p. 629, et 631.*
**) *F. C. p. 632, et 635.*

FESSIONIS APOLOGIA, ARTICVLI SMALCALDICI, CATECHISMVS VTERQVE LVTHERI, FORMVLA CONCORDIAE, ſtricte ſic dicta: qui libri, diuerſa occaſione, diuerſiſque editi temporibus, ſymbolicam omnes obtinuerunt dignitatem, ac publica hoc nomine coniuncti auctoritate, praemiſſis tribus ſymbolis oecumenicis, *Apoſtolico*, *Nicaeno*, *Athanaſiano*, in eo, qui CONCORDIA inſcribitur, continentur libro. Ad curatiorem illorum quae pertinent notitiam, in ſequentibus ſectionibus exponemus.

V

Librorum ſymbolicorum quae ſit *neceſſitas*, ex antea dictis intelligi facile poteſt. Carere quidem illis poſſet eccleſia, ſi nulli eſſent ἀντιλέγοντες τῇ ἀληθείᾳ, et omnes, quotquot chriſtianum profitentur nomen. ſanam atque ſalutarem ſacrarum litterarum integram et incorruptam ſeruarent doctrinam. Iam, cum tot a vera ſide aberrantes in orbe chriſtiano ſint coetus, totque identidem oriantur ψευδοδιδάσκαλοι, qui illos ipſos, quos ſpargunt, errores pro diuinis veritatibus haberi volunt, neceſſe omnino eſt, vt eccleſia, qua puriorum eſt partium, ſua habeat ſcripta ſymbolica, quippe quae id maxime praeſtant. vt ne haereſibus inficiantur orthodoxi, et ut ad τὸ αὐτὸ λέ-

 γειν,

γιν, certa confitendi formula, adſtricti omnes in vnitate fidei, pacis concordiaeque vinculo, contineantur.

Quanquam igitur librorum ſymbolicorum non abſoluta eſt neceſſitas, ſunt tamen illi vtique neceſſarii, neceſſitate *hypothetica:* quae in praefatione, *Concordiae libro* praemiſſa, (*p.* 24, *edit.* REINECC.) et in *Formula Concordiae*, (*p.* 6[illegible],) indicatur; tum vero a noſtratibus theologis, IOH. BENED. CARPZOVIO,*) CASP. LOESCHERO,**) IOH. FECHTIO,***) GOTTL. WERNSDORFIO,****) aliiſque compluribus, vberius declaratur, et a librorum ſymbolicorum hoſtium, *Arminianorum*, *fanaticorum*, *indifferentiſtarum*, ἀντιλογίαις, cauillationibuſque ſolide vindicatur.

VI

Ad librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum *auctoritatem* quod attinet, haec quidem ex illorum cum Scriptura ſacra conuenientia

*) *Iſagog. in libros ſymbol. p.* 5, 7.

**) in *diſp. de formularum fidei neceſſitate. Witt. a.* 1717.

***) in *ſcrutinio profligatae ex eccleſia obligationis ad confeſſiones publicas, et in ſpecie ad libros eccl. Luther. ſymbolicos*, *Roſt. a.* 1713.

****) *Commentat. de indifferentiſmo relig. diſſ. II, p.* 171, *ſqq.*

nientia potiſſimum eſt aeſtimanda; ſiquidem vera et germana ſacrarum litterarum de propoſitis fidei capitibus ſententia, dextre explicata, in illis exhibetur. Quare adeo hi libri, licet quoad *formam*, externaſue circumſtantias, homines agnoſcant auctores, tamen, quoad *materiam circa quam*, ſeu quoad rem et ſententiam, ipſum Dei ſunt verbum. Atque hanc ipſam etiam ob cauſam *vere diuinos* dicendos eos eſſe, theologi quidam iudicarunt. *) Quin immo iidem fere plerique omnes θεοπνευστίαν eis adiudicare non dubitarunt, *mediatam* ſcilicet quam vocarunt, eumque in modum expoſuerunt, vt ne quid per illam ſacrarum litterarum dignitati decedere videatur. Sed his quo minus aſſentiamur, graues vtique obſtant cauſae. **)

*) Videatur, praeter caeteros, IO. FECHTIVS, in diſſertatione, quae inſcribitur: *breuis enodatio quaeſtionis, vtrum libri ſymbolici vere, an aequiuoce dicantur diuini? contra criminationes* G. ARNOLDI. *Roſt. a. 1705.*

**) Egregie b. CARPZOVIVS. *iſag. in F. C. ſect. I, p. 1137*: „non negamus, inquit, a nonnullis libros „ſymbolicos θεοπνεύστους fuiſſe appellatos, quo enco„mio etiam HVTTERVS, in *proleg. c. 1, p. 1*, in „ſpecie Formulam Concordiae mactauit; ſed *cata„chreſtica* haec commendatio eſt, quia, ob calu„mnias aduerſariorum de exaequandis libris ſymboli„cis ſcripturae ſacrae, abſtinendum. Nam phraſis θεό„πνευστον εἶναι, non tantum ad *res* et *obiecta* reſpicit, ſed „etiam

Iam vero illa, quae libris noſtris ſymbolicis competit, quaeque praecipue a ſumma eorum cum Scriptura ſacra conuenientia, tum vero a publica eccleſiae euangelicae receptione pendet, auctoritas in eo conſiſtit, quod non purioris ſolum doctrinae *teſtes* illi ſint atque indices,*) ſed etiam *norma*,**) *profeſſionis* videlicet *fidei*, vel *confeſſionis de fide*, ab omnibus, quotquot euangelicae addicti ſunt religioni, ſtudioſiſſime obſeruanda.***)

VII

„etiam ad ipſa *verba*, et *modum communicandi*, qui „immediatus eſt, atque eiuſmodi ſcriptum inſinuat, „quod non tantum ratione obiecti, ſed etiam modi „communicandi, diuinum eſt, quale autem nullus „liber ſymbolicus eſt. Vtut enim libri ſymbolici „diuini ſint ratione obiecti, tamen modus commu„nicandi humanus eſt.„ Praecipua adeo cauſa, quare, libros ſymbolicos θεοπνεύστους dicendos haud eſſe, exiſtimamus, palmaria vocis Θεοπνευστία eſt ſignificatio, qua de Scriptura ſacra, 2 *Timoth. III, 16*, illa vſurpatur, et immediate a Deo profectam rerum pariter, atque verborum inſpirationem notat. Incongruum autem eſt, vocem, quae, ſtilo biblico et eccleſiaſtico, immediatae inſpirationis poteſtatem habet, ad deſtitutos hac ipſa transferre libros, ipſique vocis vi repugnantem, *mediatam* dicere θεοπνευστίαν, qua admiſſa, non ſymbolici tantum, ſed omnes alii etiam libri, ad ſacrarum litterarum normam compoſiti, θεόπνευστοι appellandi forent.

*) *F. C. p. 572, 636.*

**) Hoc nomine deſignantur in *praef. libri Concordiae*, *p. 17, 23.* Conf. *F. C. p. 572*, et *635*.

***) Ex noſtratibus qui libros ſymbolicos normam,

regu-

VII

Cum ad librorum noſtrorum ſymbolicorum auctoritatem quodam modo ſpectet controuerſia, quae inter ipſos eccleſiae noſtrae theologos agitari coepit, num ſcilicet *omnis* omnino *naeui*, *ac leuiorum etiam errorum* illi ſint *expertes*, quid nobis hac de re ſtatuendum eſſe videatur, paucis exponemus. Nempe quaeſtio eſt, annon in rebus ſecundariis, modoue tractandi, admiſſi in eis nonnulli deprehendantur errores. Sunt, qui hoc affirmare nulli dubitant, idque exemplis comprobaturi, hiſtorica quaedam proferunt *παροράματα*, et ad illa ſacrarum litterarum prouocant dicta, quae haudquaquam probare videntur id, ad quod probandum adducuntur, tum vero etiam eo loco numeroque habent, quae aduerſariorum aliquando adiecta ſunt confutationi.

Quan-

regulamque *fidei* eſſe ſtatuunt, *ſecundariam*, *normatamue* eam vocant normam, et omnem, quam libris illis tribuunt, normandi vim a ſacra repetunt Scriptura, quippe quae ſola *αὐτόπιστος καὶ ἀναπόδεικτος* fidei regula eſt atque norma. Sed illorum omnino praeferenda eſt ſententia, qui libros noſtros ſymbolicos, non ipſius fidei, ſed *profeſſionis de fide euangelica*, normam eſſe, docent; id quod faciunt I. B. CARPZOVIVS, *l. c. p. 1144*; VAL. ALBERTI, in *Aug. Conf. thetice et apologetice pertractata*, *p. 8*, aliique.

Quanquam autem, ſi vel maxime concedatur, huiuſmodi in libris noſtris ſymbolicis occurrere errores, nihil quidquam illorum id deroget auctoritati, cum ſatis ſit, id quod extra controuerſiam poſitum eſt, quoad ipſas fidei doctrinas, cum ſacris litteris eoſdem ita conſentire, vt nullius plane argui queant erroris; attamen alii quidam, nec in rebus ſecundariis, circumſtantiiſque, παροράματα admittenda eſſe, cenſent, et ab omnibus, quo demum cunque nomine veniant, erroribus ac naeuis dictos libros immunes eſſe, ſtatuunt. Nos id quidem damus, quod negari omnino nequit, in his libris, cum maxime in Auguſtanae Confeſſionis apologia, δυσνόητά τινα, quaeque contradictionis, erroriſue ſpeciem habent, reperiri; haec vero pleraque omnia ita comparata eſſe, arbitramur, vt, adhibitis legitimae interpretationis mediis, facili negotio enodari, et erroris inſimulatione liberari poſſint. Qua in re laudabilem complures operam poſuerunt. Caeterum de eo cum doctiſſimis viris conſentimus, ad ea, quae non ad ipſam dogmarum fidei ſubſtantiam, ſed ad circumſtantias, reſue, ſecundariae quae dicuntur, pertinent, non extendendam eſſe librorum ſymbolicorum obligationem: illam vero ſententiam, quae inter *vocem eccleſiae*,

in his ſonantem, et inter *vocem doctorum* diſtinguit, et ad hanc, quae pro *interſperſis* haberi vult, refert, haudquaquam approbamus.

VIII

Reliquum eſt, vt de *iuris iurandi*, quo libris noſtris ſymbolicis adſtringi ſolent, qui publicis in eccleſia et re publica muneribus praeficiuntur, ratione dicamus. Firmiſſimis id ipſum nititur fundamentis, ſiquidem ſummi principes atque magiſtratus, in illo exigendo, non ſolum iure ſuo vtuntur, ſed id etiam faciunt, quod ipſorum poſtulat officium, ita nimirum eccleſiae euangelicae proſpicientes ſaluti, praecauenteſque, ne quid ea in regionibus prouinciisque ſuis capiat detrimenti.

Tantum igitur abeſt, vt, quod aliqui criminantur, per iuramentum religionis in ſubditorum conſcientias a magiſtratu exerceatur tyrannis, libertaſque chriſtiana e medio tollatur, ut potius ἐγκλήματα haec proferentes infenſum in enangelicae doctrinae veritatem animum manifeſte prodant. Quod ſi repugnantem verbo Dei doctrinam ciuibus ſuis imperaret magiſtratus, vel ad fidei profeſſionem, denegata ipſis illius δοκιμασία, reluctanteue conſcientia, iure iurando eos adigeret, haberent illi cauſam, cur tyrannidem conſcientiarum accuſarent. Iam cum libri noſtri ſymbolici non

nón aliam, quam quae ſacris litteris continetur, complectantur doctrinam, nec quiſquam haud ſatis exploratae fidei profeſſioni ſacramento ſe adſtringere, vel inuitus iurare cogatur, facile patet, iniquiſſimam iſtam eorum eſſe criminationem. Neque vero etiam libertas tollitur chriſtiana, vbi errores haereſeſque diſſeminandi licentia coercetur, diſſidiis ac litigiis via occluditur, proſpiciturque, vt ne pacis et concordiae vinculum diſſoluatur.

Ea igitur iuris iurandi religionis cum ſit ratio, vt a ciuibus ſuis, publicis, praeſertimque ſacris, muneribus praeficiendis, iure id exigere poſſit, ac debeat ſummus magiſtratus, conſequitur, ab his etiam ſalua idem illud conſcientia praeſtari poſſe, ac debere. Ab iiſdem vero cum maxime requiritur, vt doctrinam, in libris ſymbolicis expoſitam, eiuſdemque cum ſacris litteris conuenientiam cognitam probe habeant et perſpectam, ac, veritate adeo illius prorſus conuicti, ius iurandum ſincero animo, et, prout indoles finiſque eius poſtulant, abſolute praeſtent, exploſa reſtrictione: *quatenus* libri ſymbolici cum ſacra conſentiunt Scriptura.

SECTIO

SECTIO II

DE

TRIBVS SYMBOLIS OECVMENICIS APOSTOLICO NICAENO ET ATHANASIANO

I

Cum libris eccleſiae euangelicae ſymbolicis, in libro, qui CONCORDIA inſcribitur, publica coniunctis auctoritate, euangelicorum cum veteris eccleſiae doctrina fidei συμφωνίας declarandae cauſa, tria praemiſſa ſint ſymbola oecumenica, „quae vnanimem catholicae chri„ſtianae fidei conſenſum, et orthodoxorum „et verae eccleſiae complectuntur confeſſionem, *)„ horum etiam notitia aliqua illorum a nobis praemittenda eſt deſcriptioni.

II

Tria haec inter ſymbola *apoſtolicum*, quod dicitur, primum tenet locum. Ab ipſis apoſtolis ante, quam in uniuerſum commigrarent terrarum orbem, confectum id fuiſſe, vulgaris fert opinio, quae RVFFINVM, Aquileienſem preſbyterum, auctorem habet, et cui, commentitiis inde ab aliis cumulatae fabellis, ad vnum fere aſſentiuntur Romanenſes. At enim-

*) Vid. *Form. Concord. epit. p. 571*, et *declarat. p. 632*.

enimuero falſam illam eſſe ſententiam, quae ſymbolum illud ab ipſis apoſtolis concinnatum fuiſſe ſtatuit, firmis rationibus, a LVCAE in primis, et priſcorum eccleſiae doctorum ſilentio, additionibuſque et variationibus in illo factis, aliorum item ſymbolorum, inde ab apoſtolorum aetate, in eccleſiis orientalibus vſu, tum ex eo, quod in canone N. T. illud non extet, deſumtis, G. I. VOSSIVS,*) W. E. TENZELIVS,**) I. G. NEVMANNVS,***) aliique complures, a TH. ITTIGIO,****) IO. ALB. FABRICIO,†) IO. FRANC. BVDDEO,††) IO. GE. WALCHIO,†††) excitati, demonſtrarunt.

III

Certum igitur cum ſit, exploratumque, apoſtolos ſymbolum hocce αὐτολεξεὶ haudquaquam condidiſſe, non aliam certe ob cauſam *apoſtolicum* vocatur, quam quia apoſtolicam

*) *De tribus ſymbolis diſſ. I, Opp. t. VI, p. 509, ſqq.*
**) *Exercitat. ſelect. part. I, exerc. I, p. 3, ſqq.*
***) in *diſſert. de conditoribus ſymboli apoſt. Witt. a. 1694.*
****) *Hiſt. eccl. primi a C. n. ſeculi cap. III, ſect. I, p. 82.*
†) *Cod. apocryphi N. T. part. III, p. 361.*
††) *Iſagog. ad theologiam, lib. poſter. cap. II, §. 2, p. 444.*
†††) *Introduct. in libros eccl. Luth. ſymbol. lib. I, c. 2, p. 91.*

cam in ſe continet doctrinam. Vera illius origo, aetaſque certo definiri nequit. Veriſimile eſt, quod, praeter alios, B. ITTIGIVS*) opinatur, primas lineas ductas fuiſſe in formula baptiſmi, a Chriſto praeſcripta, quae confeſſionem fidei in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum a baptizandis exigendi dederit occaſionem: hancque confeſſionis formulam, ſucceſſu temporis, varias ob cauſas, praeſertimque propter exortas haereſes, ex doctrina et ſcriptis apoſtolicis ſubinde auctam fuiſſe, donec in eam, qua hodieque gaudet, tranſierit formam.

IIII

Non omnes omnino, ſed praecipuos tantum fidei articulos, eos videlicet, quos haeretici illis temporibus in primis oppugnaſſe videntur, ſymbolo apoſtolico contineri, res ipſa docet. Perperam igitur ſyncretiſtae pro adaequata fidei norma ſymbolum hocce habent, in quo complura, ad ſalutem cognitu neceſſaria doctrinae chriſtianae capita deſunt, et cui normae, proprie ſic dictae, quam eidem pontificii attribuunt, nequaquam competit auctoritas. Accedit, quod, cum ſummatim generaliterque in eo propoſita ſint fidei capita, haeretici

*) *l. c. p. 83.*

retici eum in modum illa exponant, vt erroribus ſuis conuenire videantur.

V

Apoſtolicum ſymbolum ſubſequitur *Nicaenum*, in concilio primo oecumenico, *Nicaeae*, Bithyniae vrbe, CONSTANTINI *Magni*, Imp. auſpiciis, quinto et viceſimo ſeculi quarti anno, Arianae haereſeos potiſſimum reprimendae cauſa, celebrato,*) conditum, ac promulgatum. A quonam litteris conſignatum id fuerit, num ab HOSIO, Cordubenſi epiſcopo, an ab HERMOGENE, alioue, aut num plures in concinnando eo operam poſuerint, certo non conſtat, communi vero aſſenſione omnes, quotquot in ſynodo Nicaena adfuerunt, praeſules orthodoxi illud comprobarunt, ſummamque inde in Graeca primum, poſt Latina eccleſia, ſymbolum hocce obtinuit auctoritatem.

VI

*) Concilii huius Nicaeni hiſtoriam accurato ſtudio compoſuit THOMAS ITTIGIVS, quam, poſt beatum illius obitum, cum annotationibus ſuis edidit CHRIST. LVDOVICI, Lipſiae, a. 1712. Eiuſdem actorum notitiam exhibet, et complures, qui de rebus ad illud pertinentibus ſcripſerunt, recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *Biblioth. Gr. vol. XI, p. 355, ſqq.*

VI

Acceſſiones nonnullae ad ſymbolum, quod patres Nicaeni condendum curarunt, factae ſunt in concilio altero oecumenico Conſtantinopolitano, quod THEODOSIVS M., primo et octogeſimo quarti ſeculi anno, conuocauit. In hoc nimirum concilio cum ſymbolum repeteretur Nicaenum, ſimul ei addita ſunt, quae ad explicationem ipſius ſpectare, tum ſpeciatim Macedonianae haereſi opponenda eſſe, videbantur. Additiones illas, praeter CARPZOVIVM,*) VOSSIVM,**) et alios plures, refert IOH. CASPARVS SVICERVS, in *expoſitione ſymboli Nicaeno CPolitani.****) Vtrumque is ſymbolum, cum Nicaenum, illud videlicet, quod in Nicaeno publicatum eſt concilio, quodque anathema contra ARIVM annexum habet, tum Conſtantinopolitanum Graece et Latine exhibet, ac poſtea, quae patres CPolitani in Nicaeno partim omiſerint, δυνάμει ſcilicet in verbis connexis comprehenſa illa, partim eidem addiderint, ſigillatim oſtendit. Nicaenum adeo, quod, a potiori parte ſumta denominatione, ἐκ παλαιῶν vocari ſolet, et

 ſub

*) *Iſag. in part. I lib. ſymb. ſect. II, p. 57, ſqq.*

**) *De tribus ſymbolis diſſ. III, opp. t. VI, p. 524, ſq.*

***) *Cap. I, p. 16, ſqq.*

ſub hoc nomine inter tria ſymbola oecumenica hodienum extat, ſymbolum, cum ea, qua in ſynodo CPolitana prodiit, compareat forma, iure meritoque, conſentiente CARPZOVIO, *l. c.* appellandum eſt *Nicaeno Conſtantinopolitanum*. Nouum id ipſum, aliquot ſeculis poſt, accepit additamentum, vbi nimirum ad verba, quibus de Spiritu ſancto dicitur; *qui ex patre procedit*, additum eſt: FILIOQVE. Additamentum hoc, quod a Latinis profectum eſt, acrem orientalem inter et occidentalem eccleſiam peperit concertationem.

VII

Symbolum Nicaenum, argumenti ratione, idem eſt cum apoſtolico, ſpeciatim vero perſonarum in vnitate eſſentiae diuinae trinitas; Filii cum Patre ὁμοουσία, et Spiritus ſancti deitas in eo declarantur.

VIII

Athanaſianum ſymbolum ab auctore, S. ATHANASIO, Alexandrino praeſule, ſic appellari, vulgo exiſtimatur. Huic enim cum ſymbolum iſtud medii maxime aeui attribuerint ſcriptores, communis ea inualuit opinio, illum ipſum id compoſuiſſe, eandemque adeo ſententiam pontificii plerique, ac, praeter caeteros, BARONIVS, POSSEVINVS, BELLARMINVS,

MINVS, ſunt profeſſi. Ad communem illam opinionem habito reſpectu, *) idem illud ſymbolum a noſtratibus ATHANASIO adſcribitur, hocque in libro Concordiae inſignitur titulo: *Symbolum* ATHANASII *contra Arianos ſcriptum.* Ab ATHANASIO autem ſymbolum hocce non eſſe profectum, hodie viri docti plerique omnes, et ex ipſis Romanenſibus, NAT. ALEXANDER, PASCH. QVESNELLIVS, ANT. PAGI, L. ELL. DV PIN, TILLEMONTIVS, IOS. ANTELMIVS, aliique arbitrantur. Grauiſſimae vtique ſunt rationes, quibus, ATHANASIVM ſymboli, quod ſub eius nomine extat, quodque Latino primum ſcriptum eſt ſermone, auctorem non eſſe, VOSSIVS**) demonſtrauit. Has, a laudatis viris ***) repetitas, b. BVDDEVS ****) συντόμως refert. A quonam vero confectum id fuerit, cum maxime diſputatur. VIGILIO, Tapſenſi epiſcopo, qui ſeculo quinto floruit, quam-

*) Vid. CARPZOVIVS, *l. c. ſect. III, p. 72.*

**) *De tribus ſymbolis diſſ. II, p. 516, ſqq.*

***) Vid. in primis DV PIN, *biblioth. des auteurs eccleſ. t. II, p. 58, ſqq.* TILLEMONT, *memoires pour ſervir à l' hiſt. eccleſ. t. VIII, p. 667, ſqq.* ANTELMIVS, in *noua de ſymbolo Athanaſiano diſquiſitione,* Pariſiis, a. 1693, edita, *ſect. I, p. 7, ſqq.*

****) *Iſag. ad theol. vniuerſ. l. II, c. 2, p. 453.* Conf. I. G. WALCHIVS, *introd. in libr. ſymb. lib. I, c. 2, §. 25, p. 148, ſq.*

quamplurimi illud adiudicant, VINCENTIVM Lirinenſem pro auctore eius habet ANTELMIVS, VENANTIVM FORTVNATVM, L. A. MVRATORIVS, ANASTASIVM alii, alii alios nominant auctores: ſatius vero nonnulli eſſe arbitrantur, nihil hac de re definire, auctoremque ſymboli huius ignotum eſſe, fatentur. *)

IX

Quamuis autem ſymbolum, de quo agimus, a magno illo ATHANASIO non fuerit conſcriptum, *Athanaſiani* tamen ei competit nomen, quia nimirum fidei ATHANASII continet ſummam, et ex ſcriptis eius ſedulo eſt collectum; eademque adeo, quae *apoſtolici* ſymboli, huius etiam appellationis eſt ratio.**) Duo ſunt, quae in hoc ſymbolo contra haereticorum errores aſſeruntur, et luculentiſſime decla-

*) Vid. I. A. FABRICIVS, *biblioth. Gr. lib. V*, c. 2, *p.* 316, BVDDEVS, *l. c. p.* 454, et WALCHIVS, *l. c. p.* 150, *ſqq.* Varias eruditorum de ſymboli huius auctore ſententias noua coniectura auxit, et HILARIO, Arelatenſi praeſuli, illud adſcripſit Reu. DANIEL WATERLAND, in libro, cui titulum fecit: *a critical hiſtory of the Athanaſian creed*, et in quo, ad ſymbolum Athanaſianum quae pertinent, omnia ſingulari ſtudio enarrauit, iterata vice auctius edito Cantabrigiae, anno 1728, *cap. VIII, p.* 213, *ſqq.*

**) VOSSIVS, *l. c. §.* 22, *p.* 521. CARPZOVIVS, *l. c p.* 74.

declarantur, eaque praecipua chriſtianae fidei capita, quorum alterum ad θεογνωσίαν, alterum ad χριστογνωσίαν ſpectat. Verae vtriuſque cognitionis quanta ſit neceſſitas, cum in principio, tum in fine, verbis emphaticis indicatur. Hinc, quoad prius caput, de eſſentiae diuinae vnitate, et perſonarum in vnitate illa trinitate, quoad poſterius de Chriſto, eiuſque incarnatione, duabus naturis, duplici ſtatu, et officiis, creditu maxime neceſſaria explicate traduntur. Quae omnia cum ad ſacrarum litterarum doctrinam examuſſim ſint compoſita, et ſymbolum adeo hocce veram chriſtianam fidem profitendi normam, et notam praebeat, qua orthodoxi ab haereticis diſcernuntur, quem in eccleſia ab antiquo obtinuit, inter ſymbola oecumenica locum ſummo iure illud ipſum tuetur.

SECTIO III
DE
CONFESSIONE AVGVSTANA

I

Confessio Avgvstana, non ordine ſolum, ſed dignitate*) etiam, caete-

*) Etenim ex Confeſſione Auguſtana, ab vniuerſa eccleſia euangelica Lutherana recepta, eccleſiae euangelicae

caeteros ecclesiae euangelicae libros ſymbolicos antecedit omnes: de cuius adeo nomine, cauſis, auctoribus, oblatione, euentis, indole item et auctoritate, aliiſque ad eam pertinentibus rebus ſigillatim et curate a nobis eſt exponendum.

II

Primarium hocce eccleſiae noſtrae ſymbolum, quod ad *nomen* eius primo attinet, *Confeſſio* vocatur, quia τὴν καλὴν ὁμολογίαν praeclaram illam fidei exhibet confeſſionem, quam Princeps Elector Saxo, IOHANNES Conſtans, et conſociati cum eo principes imperii, *Proteſtantes* dicti, vt Caeſaris, CAROLI V, ſatis facerent voluntati, ediderunt. Quandoquidem enim Caeſar doctrinae, quam et ipſi aſſenſione ſua comprobarent, et in regionibus ſuis publice tradi paterentur, rationem cognoſcere cupiebat, communem illi eccleſiarum ſuarum de praecipuis, iiſque maxime controuerſis, chriſtianae fidei articulis ſententiam ſingulari exponendam curarunt ſcripto, hocque adeo ſcriptum, vna cum euangelicae doctrinae ſumma, eiuſdem in ſe continens *apologiam*,

gelicae potiſſimum iudicatur doctrina; indeque ipſi euangelico Lutherani, ſolemni nomine, *Auguſtanae Confeſſioni addicti* appellantur.

logiam, *) conuenientiſſimo nomine CONFESSIONEM FIDEI **) appellarunt. *Auguſtana* autem, veteris eccleſiae ſymbolorum quorundam exemplo, a *loco* haec ipſa cognominatur confeſſio, propterea quod Auguſtae Vindelicorum, in comitiis imperii, anno MDXXX, habitis, non confecta ſolum, ſed Caeſari etiam ſolemniter oblata, et in frequentiſſimo procerum imperii conſeſſu eſt recitata.

III

Quod ſi iam *cauſas*, quare conſcripta, ediſtaque fuerit Auguſtana, quae dicitur, confeſ-

 ſio,

*) Auguſtana confeſſio vtique apologiam etiam, defenſionemque praeſtat aduerſus criminationes et calumnias aduerſariorum, qui proteſtantes accuſabant, quod non recentes tantum anabaptiſtarum et ſacramentariorum, ſed veteres etiam, dudum proſcriptos, fouerent errores, tum vero in diſciplinam eccleſiaſticam omnem animo eſſent hoſtili: ſiquidem accuſationum iſtarum falſitas, indignitaſque hac ipſa confeſſione luculenter demonſtratur. Conf. verba epilogi A. C. *Tantum ea recitata ſunt*, vt caet. *p. 45*. Hinc et vtrumque, *confeſſionis* nimirum et *apologiae*, nomen ſcripto huic datum eſt cum a PHILIPPO MELANCHTHONE, tum ab ipſo LVTHERO, in litteris, ad Pr. El. Saxoniae, die XV Maii, anno MDXXX, ſcriptis, itemque in admonitione, quam edidit, ad Francofurtanos.

**) Hocce inſignitum id eſt titulo, in ipſa etiam ad Caeſarem CAROLVM V praefatione, *p. 6, et 7*, et in epilogo, *p. 45*, *confeſſio* vocatur.

ſio, accuratius pernoſcere velimus, neceſſe omnino eſt, vt, b. LVTHERI miniſterio peractae, euangelicae religionis inſtaurationis primordia atque progreſſus, ac rerum adeo, hoc in negotio, ab anno MDXVII ad annum vſque MDXXX, geſtarum ordinem et nexum memoria repetamus. Is cum ex illorum temporum annalibus, actiſque publicis ſit hauriendus, magno eam in rem adiumento ſunt ſcriptores, qui, neceſſariis inſtructi praeſidiis, de his rebus expoſuerunt. Singulari eo nomine commemoratione digni ſunt IOH. SLEIDANVS, et VITVS LVDOVICVS a SECKENDORF, quippe quorum ille, in *commentariis de ſtatu religionis et rei publicae*, CAROLO V *Caeſare*, ea tempeſtate geſta, hic, in *commentario hiſtorico et apologetico de Lutheraniſmo*, quae ad reformationis cum maxime hiſtoriam pertinent, ſummo ſtudio, fide atque dexteritate, enarrarunt. Nec laude ſua fraudari debent ii, qui vel SECKENDORFII hiſtoriam illuſtrarunt, nouiſque acceſſionibus adauxerunt, vel luculenta ad eandem ſupplementa, documentaque ſeparatim euulgarunt, aliiue ſacrorum, a b. LVTHERO emendatorum, hiſtoriae ſcriptores.*)

IIII

*) Hiſtoriae reformationis ſcriptorum peramplum indicem exhibet IOH. ALB. FABRICIVS, in *centifolii Lutherani parte II, cap. 177, p. 863, ſqq.*

IIII

Cum inſtituti noſtri ratio non patiatur, cuncta fuſe copioſeque referre, quae ab ipſis reformationis initiis ad id vſque tempus, quo Auguſtana Confeſſio in lucem prodiit, acta ſunt, ſummatim ea percenſebimus, quae ad rem praeſentem in primis facere videntur. Nempe, poſtquam, divino numine, ad inſtaurandam chriſtianae fidei doctrinam, peruerſis ſcholae pontificiae doctorum placitis pariter, atque ipſorum Romanorum pontificum decretis conſtitutionibuſque, miſere deprauatam, reſtituendamque ſanctiorem diſciplinam, excitatus, LVTHERVS, indulgentiarum papalium oppugnatione, deſideratiſſimi reformationis eccleſiaſticae operis iecerat fundamenta, indeque, maiori indies veritatis colluſtratus luce, grauiſſimos, a Romanenſibus in eccleſiam inuectos, detexerat errores, et ſanam euangelii doctrinam contra eoſdem, docendo, ſcribendo, diſputando, colloquendo, et coram ipſo Caeſare perorando, demonſtrauerat, defenderatque, ac, nequicquam contra nitentibus aduerſariis, in ſuſcepto verae religionis inſtaurationis negotio eos fecerat progreſſus, vt magna iam Germaniae pars, ipſius, ſociorumque opera ac miniſterio emendatis, vteretur ſacris, Vatiniano inflammata odio atque

furore,

ſurore, curia Romana omnia pertentabat, omnemque mouebat lapidem, vt accenſum euangelii extingueret lumen, et eccleſias euangelicas ſub priſtinum pontificiae ſeruitutis mitteret iugum. Etenim cum ab initio ſtatim LEO X, Romanus pontifex, LVTHERVM, Romam fruſtra euocatum, vna cum aſſeclis, diro condemnaſſet decreto, libroſque eius igni adiudicaſſet, tum idem ille, ipſiuſque in pontificatu ſucceſſores, HADRIANVS VI, et CLEMENS VII, maximopere laborarunt, vt potentiſſimi Caeſaris, CAROLI V, animum, confictionibus ſuis, infeſtiſſimum redderent rebus euangelicorum, eique perſuaderent, vt haereſin, quam criminabantur, Lutheranam vi et armis funditus euerteret, atque exſtirparet. Nec fruſtra prorſus in eo elaborauerant, iamque, CLEMENTIS VII machinatione, eo res deducta erat, vt nouo Caeſaris, in comitiis Spirenſibus, anno MDXXIX, promulgato decreto, de religione euangelica conclamatum eſſe videretur. Sed ecce ἀπὸ μηχανῆς θεός. Caeſaris enim animum mox inde inclinauit Deus, vt ante, quam grauius quid ſtatueret in eos, qui repurgata admiſerant ſacra, ex his ipſis coram cognoſcere mallet, atque experiri, num diſſenſiones de fide tolli, liteſque, hinc exortae, amice componi poſſent. Itaque miſſis,

ſub

ſub inſequentis anni triceſimi initium, in Germaniam litteris, omnes is imperii R. G. ordines Auguſtam Vindelicorum conuocauit, mandauitque, vt de religione ſuam vtraque pars ſententiam, litteris conſignatam, in his comitiis exhiberet, quo iuſte ſapienterque cauſa diſceptaretur; hancque voluntatem ſuam, in ipſo etiam ordinum conuentu, ſolemni declarauit propoſitione. *) Atque haec adeo proxima Confeſſionem Auguſtanam concinnandi fuit occaſio, ſiquidem Princeps Elector Saxon. et caeteri, qui contra decretum Spirenſe ſuperiore anno *proteſtati* fuerant, principes, ordineſque imperii, Caeſaris vt facerent poſtulatum, componendam eam curarunt.

V

Sequitur vt, quo *modo*, quibuſque adeo *auctoribus*, condita fuerit Confesſio Auguſtana, exponamus. Res ita ſe habet. Poſteaquam

*) Vid. *Aug. Conf. praefatio, p. 5, et 6.* Conf. Caeſareae litterae indictionis comitiorum Auguſtanorum, ad Pr. Electorem Saxoniae, et propoſitionis pars altera, quae de religione agit, apud IOH. IOACHIMVM MVLLERVM, in *der Hiſtorie von der Evangeliſchen Staende Proteſtation, und Augſpurgiſchen Confeſſion, lib. III, cap. 3, p. 412. ſqq.* et *cap. 15, p. 564.* Propoſitio integra Latine extat in DAV. CHYTRAEI *hiſtoria Aug. Conf. p. 13. ſqq.*

quam Pr. Elector Saxo, IOHANNES, cognomento *Conſtans*, litteras, quibus comitia Auguſtana Caeſar indixerat, accepit, mox Academiae ſuae Vitembergenſis theologis iniunxit, *) vt de controuerſis fidei chriſtianae capitibus inter ſe conferrent, et communem eccleſiarum euangelicarum doctrinam ſummatim perſcriberent, concinnarumque ſcriptum ſibi exhiberent. LVTHERVS, ex collegarum voluntate, ſeptendecim litteris conſignauit articulos, quos vnanimi aſſenſu illi comprobarunt. **) Atque hi ipſi articuli, Pr. Electori Torgauiae oblati, indeque *Torgauienſis* dicti, ***) Confeſſionis,

*) Pr. Electoris reſcriptum, ad D. M. LVTHERVM, D. IVST. IONAM, D. IOH. POMERANVM, et PHIL. MELANCHTHONEM, Torgauia miſſum, ex tabulario Vinarienſi exhibet IOH. IOACH. MVLLERVS, *l. c. c. 6, p. 438, ſqq.* Legenda de illo ipſo eſt epiſtola, quam LVTHERVS ad IONAM, negotii alicuius gerendi cauſa, eo tempore abſentem, ſcripſit, apud GE. COELESTINVM, in *hiſt. comitior. Auguſt. t. I, f. 24, b,* et in *noua collectione epiſtolarum* LVTHERI, *num. CVIII, p. 82.*

**) Vid. IOH. WIGANDVS, in *hiſt. de A. C.* et SECKENDORF. *comm. de Lutheraniſmo, lib. II, p. 151.*

***) XVII hi articuli vulgo *Torgauienſes* appellari ſolent, non quod Torgauiae, vt multi perſuaſum habent, fuerint conſcripti, ſed quia ea in vrbe Pr. Electori a theologis Vitembergenſibus ſunt oblati. Quam plurimae illorum extant editiones.

feſſionis, in ipſis comitiis Auguſtanis a PHILIPPO MELANCHTHONE adornatae, extiterunt fundamentum.*) PHILIPPO nimirum principes, ordinesque proteſtantes, cum Auguſtam veniſſent, id dederunt negotium, vt ex articulis illis, collatis cum theologis, quos ſecum iidem adduxerant, ſermonibus, conſiliisque, eam componeret fidei confeſſionem, quae communi ipſorum nomine Caeſari exhiberetur. Quo quidem is ita functus eſt officio, vt, diligenti cum omnibus, quotquot praeſentes aderant, theologis euangelicis, BRENTIO in primis, IONA, SNEPFIO, SPALATINO, coram ipſis etiam principibus, horumque adminiſtris, et ciuitatum legatis, de ſingulis articulis habita

*) Ad hos articulos compoſitam fuiſſe confeſſionem Auguſtanam, non ſolum IOH. MATTHESIVS, in *hiſt.* LVTH. *conc. VIII, p. 73,* aliique fide digniſſimi ſcriptores teſtantur, ſed etiam ex comparatione illorum cum articulis A. C. patet: tum vero extra omnem dubitationem id ponunt Electoris ad LVTHERVM litterae, quibuſcum confeſſionem, a PHILIPPO adornatam, ei tranſmiſit. Ita enim epiſtolae initium habet: "*Nachdem ihr und andere unſere gelehrte zu Wittenberg, auf unſer gnaediges anſinnen „und begehren, die Artickel, ſo der Religion halber „ſtreitig ſeyn, in Verzeichnis bracht, als wollen wir „euch nicht bergen, daſs ietzo allhier M. Philippus „Melanchthon dieſelbigen weiter überſehen, und in „eine forme gezogen hat, die wir euch hierbey überſenden.*„ etc.

bita deliberatione,*) ex communi ſententia conficeret, quam adornare iuſſus erat, confeſſionem. Hinc ad LVTHERVM, in Pathmo Coburgenſi tum temporis commorantem, **) vbi miſſa ea eſt, vt pro ſpiritu ſuo de illa ſtatueret, is quidem, "eam ſibi perplacere, nec „quidquam in illa emendare, aut mutare ſe poſſe," Pr. Electori reſpondit, lenitatiſque PHILIPPI commendationem addidit, et pro felici confeſſionis ſucceſſu vota preceſque.***) Ita vero, LVTHERI iudicio aeque, ac theologorum euangelicorum, in comitiis praeſentium, ſuffragiis comprobatam, quam PHILIPPVS concinnauerat, confeſſionis formulam Pr. Elector

*) Id MELANCHTHON ipſe confirmat, in *praefatione tomi I. operum ſuorum.* Conf. IOACH. CAMERARIVS, in *vita* MELANCHTHONIS, *p.* 123, et 126; CARPZOV. in *iſag. p.* 104, et caet.

**) De LVTHERI in arce Coburgenſi, quam *Pathmum ſuam, eremum* item, et aliis nominibus appellauit, commoratione, eiuſque cauſis, vid. IO. DAVID KOELERVS, in *diſſ. de* LVTHERO, *a comitiis Auguſtanis corpore quidem abſente, in illis tamen animo praeſente, Altd. a.* 1730.

***) Litterae hae LVTHERI reſponſoriae, cum paullo ante memorata Electoris epiſtola, et aliis, ab hiſtoriae A. C. ſcriptoribus, D. CHYTRAEO, G. COELESTINO, I. I. MVLLERO, E. S. CYPRIANO, itemque in tomis operum LVTHERI exhibentur.

ctor Saxo, ſociique, non aſſenſione ſua ſolum, ſed ſolemni etiam ſubſcriptione, *) confirmarunt.

Iamque ex hactenus dictis, quae certiſſimis rerum teſtimoniis nituntur, ſatis apparet, praecipuum confeſſionis Auguſtanae, quoad ipſum videlicet argumentum eius, ſententiamque, auctorem eſſe LVTHERVM; et falſos adeo eſſe cum noſtratium nonnullos, qui confeſſionem Auguſtanam ad articulos, in *Suobacenſi*, GEORGII, marchionis Brandenburgici, et Norimbergenſis ciuitatis auſpiciis, anno MDXXIIX, habito conuentu propoſitos, et vel ab ANDR. OSIANDRO, vel a IOH. RVRERO, alioue ſcriptos, conformatam fuiſſe, aiunt; **) tum Pontificios et Reformantos, qui

MELAN-

*) De ſubſcriptione Aug. Confeſſionis conſulere iuuat *obſeruationes* hiſtoricas et criticas, quas modo laudatus vir celeberrimus, I. D. KOBLERVS edidit, *Altdorfii anno 1730.*

**) Hanc Norimbergenſium quorundam et Onoldinorum aſſertionem IO. IAC. LAVRITIVS, in diſſertatione *de articulis Suobacenſibus, A. C. fundamento*, praeſide IO. GV. IANO, Wittebergae, a. 1719, habita, cum maxime vero IO. GVIL. von der LITH, in *der Nachricht von den Svobachiſchen artickeln*, et in *der Erlaeuterung der Reformations-Hiſtorie von 1524 bis 1528, lib. V, p. 247, ſqq.* firmis rationibus confutarunt. Perperam omnino, et contra publicorum actorum fidem, articulos, ex quibus Auguſtana concinnata eſt confeſſio, LVTHERO abiudicari,

MELANCHTHONEM ſolum confeſſionis Auguſtanae eſſe ſtatuunt auctorem; *) tum denique

que

cari, ex antea allatis documentis, praeſertim Electoris Saxoniae litteris, coaeuorum item ſcriptorum teſtimoniis, et ipſius LVTHERI ſcripto: *auf das ſchreyen etlicher Papiſten*, etc. manifeſtum eſt. Alios vero cum LAVRITIVS, in altera *de articulis Suobacenſibus* diſſertatione, tum viri docti complures huc afferunt articulos *Suobacenſes*, hoſque pro primo A. C. fundamento haberi volunt, illos videlicet XVII articulos, qui in Suobacenſi conuentu, ſocietatis foederis inter Proteſtantes ſtabiliendae cauſa, anno MDXXIX, celebrato, propoſiti fuerunt, quosque, in Vlmenſi tabulario repertos, ELIAS FRICKIVS *Germanicae* inſeruit SECKENDORFII *hiſtoriae Lutheraniſmi*, *p. 968, ſqq.* Hos ipſos nimirum articulos, a Torgauienſibus quoad rem haud diuerſos, et ab Electore Saxoniae ad conuentum Suobacenſem miſſos, LVTHERVM cum collegis ſuis compoſuiſſe, ac poſtea, confeſſionis concinnandae cauſa, recognouiſſe, recognitoſque Electori, ad comitia Auguſtana iter ingreſſuro, Torgauiae obtuliſſe, indeque *Torgauienſium* nomen illos accepiſſe, clariſſimi viri arbitrantur. Ex multis, qui cum LAVRITIO et FRICKIO hac de re conſentiunt, nominamus C. A. SALIG, in *der Hiſt. der A. C. lib. II, c. 1, §. 19, et c. 2, §. 7*; H. MVHLIVM, im *Bericht von der A. C. §. 3*; C. M. PFAFFIVM, *introd. in libros ſymb. c. III, §. 1*; P. F. HANE in *hiſt. ſacr. emendat. p. 75*; I. D. KOELERVM, *de ſubſcript. A. C. p. 9*; I. C. HARENBERGIVM, in ſingulari de his articulis Germanice edito ſcripto.

*) Contra hos vid. IO. SCHMIDIVS, in *diſſ. de Aug. Conf. nomine, auctoribus, et caet. §. 26, p. 46, ſqq.* et I. B. CARPZOVIVS, in *iſag. pag. 104.*

que GODOFREDVM ARNOLDVM, qui, PHILIPPVM Auguſtae Vindelicorum non habuiſſe, quo cum conferret; magnoque in metu ac trepidatione confeſſionem ſcripſiſſe, narrat.*)

VI

Cum de confeſſionis, dicto modo confectae, ſolemni, Caeſari facta, *oblatione* iam nobis ſit dicendum, rei geſtae, quam, poſt CHYTRAEVM, COELESTINVM, SECKENDORFIVM, et alios, IOH. IOACH. MVLLERVS,**) ERN. SALOMON CYPRIANVS,***) et CHRISTIANVS AVGVSTVS SALIG****) copioſius enarrarunt, ſumma haec eſt. Cum Caeſar CAROLVS V, quinto et decimo Iunii die, Auguſtam veniſſet, quintoque die poſt, conuocatis Imperii Ordinibus deliberationis ſuſcipiendae capita per FREDERICVM Palatinum propoſuiſſet, cunctis hi ſuffragiis primum omnium de religione agendum eſſe, cenſuerunt.

*) B. GOTTLIEB WERNSDORFIVS, in *Aug. Conf. hiſtoria, a recentiorum quorundam corruptelis vindicata* §. 7, *ſqq.* ARNOLDI commenta haec, additumque ab eo ἔγκλημα, PHILIPPVM ſcilicet confeſſionem in multis guſtui attemperaſſe pontificiorum, exploſit.

**) *l. c. lib. III, c. 16, et c. 18, p. 580, ſqq.*

***) *Hiſt. Aug. Conf. cap. VII, p. 72, ſqq.*

****) *Hiſt. Aug. Conf. lib. II, c. 4, §. 17, ſqq.*

runt. Itaque Pr. Electori Saxoniae, ſociiſque Caeſaris nomine ſignificatum eſt, vt doctrinae, cui addicti eſſent, articulos litteris conſignatos, in proximo, die XXIIII Iunii, habendo conuentu exhiberent. Promti ad id faciendum paratique illi fidei ſuae confeſſionem, conſtituto die, in concilium imperii ſecum adduxerunt, Caeſaremque, vt benigne illam ipſam, clementerque audire vellet, orarunt. Abnuente Caeſare, ſcriptamque confeſſionem tradi ſibi, iubente, inſtiterunt iidem, vt publica eius permitteretur recitatio, iteratiſque precibus, et grauiſſimis prolatis rationibus, diu multumque reluctantem Caeſaris animum expugnarunt, vt, poſtridie, coram ipſo, ac toto imperii ſenatu, recitandae illius eis faceret poteſtatem.

Quare adeo, quinto et viceſimo Iunii die, cum in deſtinato ad id aulae epiſcopalis amplo ſpatioſoque conclaui ordines conſcendiſſent, in medio conſtiterunt duo Saxonis cancellarii, GREGORIVS PONTANVS et CHRISTIANVS BAIERVS, Latinum ille, hic Germanicum manu tenens confeſſionis exemplum; tum vero, vbi Saxo id obtinuit, vt vernaculo ſermone ſcriptae illius Caeſar concederet recitationem, breui a PONTANO praemiſſa oratione, Germanicam BAIERVS legit confeſſionem,

nem, voce tam clara et ſonora, vt in inferiori etiam area, et locis vicinis potuerit exaudiri.

Finita praelectione, cui, a pomeridiana hora tertia ad quintam vſque, vna cum fratre, FERDINANDO rege, cunctiſque imperii ordinibus, vacauerat Caeſar, is quidem, quam negotii grauitas poſtularet, pollicebatur conſiderationem, Saxo autem ſociique, ob audientiam ſibi factam gratias agentes, cauſam ipſi ſuam maiorem in modum commendabant. PONTANVS inde in eo erat, vt confeſſionis exempla, Germanicum et Latinum, ALEXANDRO SCHWEISSIO, Caeſaris a ſecretis, traderet, ſed Caeſar ipſe, porrecta manu, vtrumque accepit. Ante vero, quam diſcederet, per FRIDERICVM Palatinum Proteſtantes monuit, vt ne, inſcio ſe atque inuito, recitatam confeſſionem publicarent.

VII

Ad ea, quae ſolemnem Confeſſionis Auguſtanae exhibitionem proxime inſecuta ſunt, commemoranda pergentibus nobis ea primum occurrunt, quae admirandam Dei circa primarium hoc eccleſiae euangelicae ſymbolum prouidentiam declarant. Prouidentiae huius diuinae et *publica* illa, de qua iam diximus confeſſionis *recitatio* ſigulare praebet documen-

 tum.

tam. Nam cum, quod ſuis aduerſarii effecerant artibus, theologis, quos principes ordinesque proteſtantes Auguſtam Vindelicorum ſecum adduxerant, ſacras habere conciones, doctrinamque euangelicam praedicare, Caeſareo prohibitum eſſet edicto, alio, eoque multo illuſtriore modo, illam ipſam in comitiis Auguſtanis praedicari, numine contigit diuino: ſiquidem, „ concionatoribus tacere iuſſis, pro„dierunt Elector Saxoniae et caeteri principes „ac domini cum ſcripta confeſſione, et con„cionati ſunt liberrime coram Caeſarea Maie„ſtate et toto imperio, in omnium conſpectu, „vt audire cogerentur (aduerſarii,) nec con„tradicere quicquam poſſent.„ *). Auſpicato hinc accidit, vt non ſolum Caeſar, qui, dum confeſſio recitaretur, attentiſſime auſcultauerat, proteſtantium cauſae factus fuerit mitior, magiſque propitius, ſed etiam ex principibus Roma-

*) LVTHERI haec verba ſunt, in epiſtola lectu digniſſima, quam ad IOHANNEM, Pr. Electorem Saxoniae, ſcripſit, quaeque in tomis operum illius, itemque apud MVLLERVM, *l. c. p. 557, ſqq.* et CYPRIANVM, *p. 188 ſqq.* extat; Latine a COELESTINO, *f. 140, b*, et in *noua collectione epp.* LVTH. *p. 142, ſq.* exhibetur. Add. GE. SPALATINVS, in *vitis aliquot Electorum Saxoniae, tomo II ſcriptorum rerum Germ.*, *a* I. B. MENCKENIO *editorum*, *p. 1118.*

Romano catholicis nonnulli multo rectius, quam antea, de eccleſiarum euangelicarum doctrina iudicarent, confeſſionemque noſtram verbo Dei conſentaneam eſſe, profiterentur.*) Dei porro prouidentia euenit, vt, poſt exhibitam confeſſionem, ea mox a multis deſcripta, et in quamplurimas linguas tranſlata, ac breui tempore, per ipſos pontificios, longe lateque fuerit diſſeminata. Nam et Caeſar, qui a noſtris illam euulgari noluerat, in Hiſpanicum et Italicum ſermonem eam vertere, iuſſit, et Regum principumque externorum legati, in comitiis praeſentes qui aderant, in patrias linguas tranſlatam eandem ad ſuos miſerunt; quo facto inſtauratae euangelii doctrinae lux complures illuſtrauit regiones.**)

*) Vid. praeter ſaepius iam laudatos a nobis hiſtoriae Aug. Conf. ſcriptores, ii, qui veritatis teſtimonia, quae R. Catholici principes, ordineſque complures, audita confeſſione, ei perhibuerunt, ex fide dignis monimentis ſingulari ſtudio congeſſerunt, praeſertim IOHANNES SAVBERTVS, in libro, cui titulum fecit: *Miracula Auguſtanae Confeſſionis*, quemque Norimbergae edidit, anno MDCXXXI.

**) Audire hac de re, iuuat, LVTHERVM, apud GE. COELESTINVM, *hiſt. comit. Auguſt. tom. II. f. 190, b.* Conf. IOH. SCHMIDIUS, in diſſ. de *A. C. nomine. occaſione, auctoribus, acceptatione*, §. 27, p. 70 *ſqq.*

VIII

Sed nec ſilentio praetereunda ſunt, aduerſis exhibitam a Proteſtantibus confeſſionem, Romano Pontifici addictorum, in ipſis comitiis Auguſtanis, conata. Etenim altero die poſt, quam recitata ea fuerat, ordines R. Catholici, coacto conuentu, quid factu opus eſſet, deliberarunt, collatiſque conſiliis; confeſſionis diiudicationem delectis partium ſuarum theologis committendam decreuerunt. Hinc examinandae illius negotium datum eſt theologis, qui cum ipſis Auguſtam venerant, et, quorum praecipui erant IOH. ECCIVS, IOH. FABER, CONRADVS WIMPINA, IOH. COCHLAEVS, acerrimi LVTHERI aduerſarii iidem omnes.*) Hi, hoſtili in veritatem euangelicam animo affecti, confeſſioni eius refellendae omne ſtudium, operamque omnem impenderunt, et magno ac difficili labore, ſex hebdomadum ſpatio, confectam, illius exhibuerunt

*) Theologi pontificii, qui in comitiis Auguſtanis adfuerunt, et ad confeſſionis noſtræ examinationem adhibiti ſunt, nominatim referuntur in GE. SPALATINI *annalibus reformat. p. 141*, et a MVLLERO, *l. c. p. 656.* Pluribus de iiſdem agit CHRISTIAN. SIGISM. LIEBE, in *den Lebensbeſcreibungen der Euangeliſchen und Paebſtiſchen Theologorum, welche a. 1530 den Reichstag zu Augſpurg beſucht, etc.*

buerunt *confutationem*. Caeſar ante, quam eam approbaret, conuitia demi voluit; tum vero, vbi ipſius ſatisfactum fuerat voluntati, in ſolemni ordinum, tertio Auguſti die, habito conuentu recognitam illam, emendatamque recitari iuſſit, et ad eandem aſſenſione ſua comprobandam cohortatus eſt Proteſtantes. At enim Saxo, ſociique, in re tanti momenti nihil temere admittendum eſſe, rati, confutationem debito ſtudio atque diligentia expendendam, ſibi communicari, petierunt. Quod cum Caeſar non, niſi ea, quae periniqua erat, lege fieri vellet, *) ſatis illi habuerunt, ſi aduerſus praecipua confutationis momenta, quae ex noſtris quidam calamo exceperant, confeſſionis ſuae apologiam adornandam curarent. Hancque adeo, a PHILIPPO conſcriptam, apologiam confeſſores noſtri, quorum in vera fide conſtantiam Romanenſes multis nequicquam tentauerant modis, in ſolemni, ad ſecundum et viceſimum Septembris diem, Caeſarei de religione decreti promulgandi cauſa, indicto conuentu, Caeſari obtulerunt, qui vero, aduerſariorum perſuaſu et impulſu, illam accipere noluit, decretoque ſuo proteſtantes morem gerere iuſſit. **)

*) Vid. MVLLERVS, *l. c. cap. XXV, p.* 701, *ſqq.*
**) Vid. Idem, *cap. XXXIV, p.* 895, *ſqq.*

IX

Ordo dicendorum poſtulat, vt ipſam Auguſtanae Confeſſionis *indolem* et *rationem* nunc ediſſeramus. Eccleſiarum euangelicarum doctrinae, quoad praecipuos fidei articulos, ea continet *ſummam*.*) Tribus generatim conſtat partibus, praefatione, tractatione, epilogo. In *praefatione* ad Caeſarem CAROLVM V, pii confeſſores primum ſcriptae confeſſionis huius cauſas enarrant; ſecundo, ad id, quod Caeſar volebat, vt in comitiis religionis diſſidium componeretur, omne ſtudium, omnemque operam collaturos ſe, pollicentur; tum vero, tertio, ſi, ſalua veritate, pax et concordia inter ipſos et diſſidentes conciliari nequeat, ad generale, liberum et chriſtianum concilium denuo prouocant, eamque in rem Caeſaris opem et auxilium implorant. In *epilogo*, ea tantum hoc ſcripto propoſita fuiſſe, monent, quae neceſſario fuerint dicenda, vt intelligi poſſet, nec in doctrina, nec in caerimoniis, quidquam ſe recepiſſe, quod Scripturae ſacrae, eccleſiaeue catholicae repugnaret; tandemque confeſſionis huius ſuae vberiorem, vbi opus fuerit, expoſitionem et confirmationem promittunt. *Tractatio*, ſeu confeſſio ipſa, duas

*) Vid. *A. C.* p. 19: *Haec fere* etc. et *p.* 45, *ſq.*

duas habet partes, quarum prior viginti et vno, poſterior ſeptem conficitur articulis. Illi, in editione Latina, inſcribuntur; *articuli fidei praecipui;* ſiquidem non omnia, ſed ea duntaxat fidei doctrinae exhibentur capita, de quibus euangelicos inter et pontificios erat diſſenſio, vel quae ideo proponenda erant, vt maliti oſae aduerſariorum, quibus veterum recentiorumque haereſium noſtros inſimulabant, repellerentur criminationes. Qui alteram partem conſtituunt, articuli ſeptem hoc inſigniti ſunt titulo: *articuli, in quibus recenſentur abuſus mutati;* hiſque ipſis verbo Dei aduerſae conſuetudines pontificiae notantur, *) et grauiſſimae, quare in eccleſiis euangelicis abrogatae illae fuerint, adducuntur rationes.

Quem ad modum prioris maxime partis articuli concinno inter ſe cohaerent *ordine:* **) ita

*) *Abuſuum* nomine fidei pariter, atque cultus vitia et errores a confeſſoribus denotari, CARPZOVIVS, *in iſag. p. 119*, oſtendit. Quod foedae religionis chriſtianae corruptelae papales dicantur *abuſus*, id Auguſtanae confeſſionis attribuendum eſt lenitati.

**) Singulorum articulorum *nexum*, qui quidem non vno eodemque modo ab interpretibus declarari ſolet, ſtudioſe in primis enarrauit BALTHASAR MENZERVS, in *exegeſi Auguſtanae Confeſſionis.* Praefixi iiſdem *tituli* plerique in exemplis authenticis, primiſque deſunt editionibus, debitaque accuratio in quibuſdam deſideratur.

ita non ſolum de vnoquoque illorum vera ecclesiarum euangelicarum exponitur doctrina, ſed etiam plerisque additur ἀντίθεσις, et ſanae doctrinae oppoſiti veterum, recentiorumue reiiciuntur, damnanturque errores. *)

Auguſtanam confeſſionem maximopere commendant et articulorum, confeſſionis indoli apprime accommodata, *breuitas*, et ſtili, quo iidem ſcripti ſunt, *perſpicuitas*, et *lenitas* atque *moderatio*, qua in coarguendis pontificiorum erroribus et corruptelis vſus eſt MELANCHTHON. **) Summa vero confeſſionis Auguſtanae praeſtantia in eo conſiſtit, quod articuli, quibus eccleſiarum euangelicarum exhibetur doctrina, firmiſſimo omnes *ſacrarum litterarum* nitantur *fundamento*, ***) repurgatamque adeo ab erroribus et abuſibus, ac ſuo reſti-

*) Antitheſis, vbi explicite non additur, implicite in theſi continetur.

**) Lenitatem hanc PHILIPPI ipſe approbauit LVTHERVS, in epiſtolis ad Pr. Electorem Saxoniae, et ad IVSTVM IONAM. Pluribus eandem enarrarunt, S. R. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in diſp. *de Confeſſ. Auguſtanae lenitate*, *Göttingae*, *a.* *1730*, et PHIL. FRID. HANE, in diſſ. de PHIL. MELANCHTHONIS *moderatione*, *in Aug. Conf. negotio conſpicua*, *ſeu*, PHILIPPI *leiſe treten bey verfertigung der Augſpurgiſchen Confeſſion*, *Kiloni*, *a. e.*

***) V. *Aug. Conf. p. 6, 19, 45*; *Form. Conc. p. 633*; et *praefatio generalis libri Concordiae*, *p. 9.*

reſtitutam nitori, verbi diuini referant doctrinam.

X

De Confeſſionis Auguſtanae *auctoritate* non opus eſt vt pluribus agamus, poſteaquam de librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum, quos inter iure ſuo primas illa tenet, auctoritate generatim, *ſect. I, th. VI*, expoſuimus. Cum, ob ſummam et perfectam cum Scriptura ſacra conuenientiam, omnibus ac ſingulis de rebus fidei ac morum pronuntiatis eius debeatur aſſenſus, tum vero ea in eccleſiis noſtris commune hocce ſymbolum noſtrum *) pollet auctoritate, vt non ſolum quoad res, ſed etiam quoad formulas et loquendi modos, eos videlicet, qui ad res fidei dextre exprimendas, declarandas, er communiendas adhibiti ſunt; regula ſit atque norma, ad quam doctrinae ratio conformanda, et controuerſiarum diiudicatio eſt inſtituenda. **)

XI

Cum Auguſtana Confeſſio, quam eccleſiae euangelicae pro ſymbolo ſuo agnoſcunt, *non variatae* confeſſionis titulo ſoleat inſigniri, neceſſum eſt, rei huius rationem, ipſumque adeo

*) *F. C. p. 571, 633.*
**) Vid. *praefatio libri Concordiae, p. vii.*

adeo inter *non variatam* et *variatam* confeſſionem indicare diſcrimen. Variata nimirum, cui non variata opponitur confeſſio, ea eſt, cui graues illatae ſunt corruptelae, quaeque adeo vero nomine dicenda eſt *corrupta*, et deprauata. Variationes quidem etiam nonnullae in Auguſtanae Confeſſionis editionibus, poſt exhibitionem eius euulgatis, occurrunt, quae librariorum incuriae, praepoſteroue PHILIPPI emendandi ſtudio*) debentur, illae tamen ita comparatae ſunt, vt confeſſionis ſententia iiſdem non inuertatur.**) Nequicquam

*) Vid. auctores *der nochmaligen Hauptvertheidigung des evangeliſchen Augapfels*, *cap. XXVI*, *p. 479*. Cauſas, quae veterum A. C. editionum Germanicarum diſcrepantiam effecerunt, luculenter enarrauit b. ERN. SAL. CYPRIANVS, *hiſt. Aug. Conf. cap. XI*, *p. 151, ſqq.* Commune is omnium, ipſorum etiam ſacrorum, librorum, et veterum fidei confeſſionum, quoad varias lectiones, fatum confeſſionem noſtram ſubiiſſe, vltimo loco obſeruat, et, ad retundendum pontificiorum ἔγκλημα, editionum Synodi Tridentinae decretorum diſcrepantiam adducit.

**) Vere SECKENDORFIVS, *commentar. de Lutheraniſmo*, *lib. II*, *pag. 171*: "friuola, inquit, eſt, et „tantum litis ac vexae cauſa excitata fuit a ſcripto„ribus quibuſdam pontificiis controuerſia de diuer„ſitate et variatione ſtili in editionibus Aug. Conf. „tam Latinis, quam Germanicis. Etſi enim diſcre„pantia quaedam in illis appareat, nulla tamen de„monſtrari poteſt, quae caput et ſubſtantiam con„trouerſiae

quam igitur editionum illarum diſcrepantiam eccleſiis euangelicis Romanenſes inuidioſe obiectarunt, et, ob variationes iſtas, defectionis ab Auguſtana confeſſione reas ipſas poſtularunt: quam iniquiſſimam eorum criminationem noſtrates *) praeclariſſime repulerunt.

Variata, ſeu corrupta, de qua dicere inſtituimus, confeſſio Auguſtana in publicam prodiit lucem, anno MDXL, auctoremque habet PHILIPPVM. Is nimirum, poſtquam, pro ingenio ſuo, et corrigendi ſtudio, in omnibus, quotquot inde ab anno MDXXXI Vitembergae prodierant, A. C. editionibus, verba quaedam, ſalua confeſſionis ſententia, mutauerat, eo tandem prolapſus eſt, vt realem textui inferret mutationem, ſeu potius corruptionem. Etenim ſpe fretus, fore, vt Zwingliani ſocias Lutheranis manus daturi, et Auguſtanae ſubſcripturi

„trouerſiae peruertat, quae inter pontificios et Lu„theranos verſatur."

*) Horum complures recenſent IOH. ALB. FABRICIVS, in *centifolio Lutherano*, p. 134, 601; et PHILIPP. FRID. HANE, in *hiſtoria critica Aug. Confeſſ.* p. 4, *ſqq.* Controuerſiae, eo nomine inter pontificios et euangelicos, ſuperiore maxime ſeculo, agitatae hiſtoriam curatius deſcripſit, editaque ab vtraque parte ſcripta enarrauit C. A. SALIG, in *der vollſtändigen hiſtorie der Augſp. Confeſſion*, lib. IV, c. 3, p. 767, *ſqq.* Add. S. R. WALCHIVS, *introd. in libros ſymbol.* lib. I, c. 3, p. 215, *ſqq.*

ſcripturi eſſent confeſſioni, *) ſi modo *articulus decimus de ſacra coena* paullo aliter, et ad eum componeretur modum, vt ne ipſis aduerſari videretur, in Latina, ſupra dicto anno euulgata, editione, in locum verborum articuli X: *adſint et diſtribuuntur*, ſubſtituit: *exhibeantur;* clauſulamque annexam: *et improbant ſecus docentes*, deleuit. Neque vero ſolum decimum hoc modo in Zwinglianorum ſententiam inuertit articulum, ſed etiam caeteris quibuſdam articulis admiſcuit a forma ſanorum verborum aliena. **) Tantum autem abeſt, vt, priuato temerarioque auſu ſuſceptam hanc a PHILIPPO confeſſionis Auguſtanae variationem ratam habuerint euangelici vt potius, re cognita, et a Pr. Electore Saxoniae, IOHANNE FRIDERICO, et a LVTHERO, eam ob cauſam grauiter ille reprehenſius, ***) inde-

*) Vid. VAL. ERN. LOESCHERVS, *hiſt. motuum inter euangelicos et reformatos*, *part. II, c. 4, p. 35, ſqq.* E. S. CYPRIANVS, *l. c. cap. XIII, p. 176 ſqq.* C. A. SALIG, *lib. III, c. 1, p. 481, ſqq.* WALCHIVS, *l. c. p. 194.*

**) Ita, verbi cauſa, in *articulo IX*, baptiſmum *caerimoniam* vocauit; in *articulo XIII*, fide nos accipere, dixit, gratiam promiſſam, quam ſacramenta *ſignificent;* in *articulo XIIX* manifeſta ſynergiſmi ſemina ſparſit.

***) Vid. Auctores *der weitlaeuft. hauptvertheid. des euangel. augapfels*, *cap. XXIII*, et *XXIIII*, *p. 391 ſqq.*

LOE-

indeque variata ab eo confeſſio, publico principum et ordinum euangelicorum decreto, reiecta fuerit, et repudiata. Perperam igitur pontificii id, quod temere licenterque factum eſt a PHILIPPO, euangelicae imputant eccleſiae, eique confeſſionem attribuunt, quam omnibus illa improbat modis. Reformati autem, qui factam a MELANCHTHONE mutationem defendunt, malam ipſius, patrocinio ſuo, peiorem reddunt cauſam.

XII

Germanico pariter, atque *Latino* ſermone, princeps elector Saxo, conſociatique cum ipſo principes ordineſque euangelici confeſſionem Auguſtanam conſcribendam curarunt. Cum eandem quidem, quae in Germanica confeſſione traditur, doctrinam, non vero eodem prorſus modo, iiſdemque verbis, Latina referat confeſſio,*) diligens huius cum illa comparatio

LOESCHER. *l. c. p, 39;* CYPRIANVS, *l. c. cap. XII,* & *XIII;* & caet.

*) Diſſonantiae in vocibus, phraſibuſque ratio eſt, quia Proteſtantibus propoſitum fuit, non verſionis, proprie ſic dictae, habere rationem, ſed vnicam, quoad rem, in vtraque lingua Caeſari exhibere fidei confeſſionem; quem ad modum contra LAVRENTII FORERI criminationes pluribus oſtenditur in *der hauptvertheid. des Ev. augapfels, cap. XXIX, p. 529, ſqq.*

paratio eſt inſtituenda. Nam pars et Germanicum, et Latinum exemplum gaudent auctoritate, cum vtrumque publico nomine ſcriptum fuerit, ſubſcriptumque, et oblatum. Germanico tamen prae Latino quaedam competit praerogatiua. *)

Egregio rei euangelicae commodo factum eſt,**) vt Germanicum confeſſionis exemplum, poſt publicam recitationem, Caeſari CAROLO V exhibitum, *S. R. I. tabulario* Moguntino fuerit illatum. Nam cum variationes illae, de quibus antea diximus, et corrupta maxime a PHILIPPO confeſſio, magnas inter ipſos A. C. addictos peperiſſent diſſenſiones, et

*) VAL. ALBERTI, *in der Widerlegung des pæbſtiſchen Buchs: Auguſt. & antiauguſt. Conf. part. I, c. 6, p. 44,* textus Germanici ἐξοχὴν his confirmat argumentis: quia (1) ſeptendecim illi, qui A. C. fundamentum extiterunt, articuli lingua Germanica a LVTHERO ſunt conſcripti; (2) ordines euangelici, eorumque theologi, in comitiis, Germanicam confeſſionem perlegerunt, examinarunt, et approbarunt; (3) haec ipſa coram Caeſare et imperio publice fuit recitata. Addimus, quod, in vera confeſſionis ſententia declaranda, vindicandaque, ad textum Germanicum provocatum fuerit in *Apologia A. C. ad artic. II, p. 51.*

**) IOH. GEORGIVS DORSCHEVS, in diſſert. *de ſingularibus et mirandis prouidentiae diuinae circa Auguſtanam Confeſſionem documentis,* id ipſum meritiſſimo inter illa retulit, *p. 21, ſqq.*

et ad has tollendas, tum vero etiam ad reprimendas pontificiorum criminationes, calumniaſque, neceſſe omnino eſſet, vt Confeſſionis Auguſtanae vera et ſincera, indubitataeque fidei editio, in perpetuum eccleſiarum euangelicarum vſum conſtitueretur, Electores, principes et S. R. I. in Germania ordines euangelici, quorum auſpiciis liber Concordiae, anno „MDLXXX, publicatus eſt, Confeſſionis exem„pla, in archiuis antecеſſorum ſuorum, qui „CAROLO V in comitiis eam exhibue„runt, repoſita, per fide dignos homines, „cum eo, quod Imperatori ipſi exhibitum eſt, „et in S. R. I. archiuo aſſeruatur, conferenda, et illam adeo, quae Caeſari vere exhibita fuit, confeſſionem dicto Concordiae libro inferendam curarunt. *)

*) Diſertis hocce verbis ipſi laudatiſſimi principes teſtantur, in praefatione libri Concordiae, §. *Ideo ne aduerſariorum, p. 14, ſqq.* Illuſtre hoc et indubitabile teſtimonium a Ieſuitarum cauillationibus vindicarunt delecti a Pr. Electore Saxoniae, IOH. GEORGIO I, theologi, in *iterata pupillae euangelicae defenſione, cap. XXVII et XXIIX, p. 494, ſqq.* Add. VAL. ALBERTI, in *confutatione libri pontificii, ſub titulo: Auguſtana et anti-Auguſtana confeſſio, Viennae euulgati,* IOH. GEORGII III, Elect. Sax. iuſſu conſcripta, *cap. VI, p. 42, ſqq.* Num prototypum, ſeu confeſſionis, Caeſari exhibitum, exemplum ex tabulario Moguntino perierit, quod quidam aiunt, perſuaſiſſimumque eſt S. R. PFAF

XIII

Princeps igitur inter Auguſtanae Confeſſionis *editiones Germanicas* eſt, quam modo commemorauimus, ea videlicet, quae in libro Concordiae, Dreſdae, anno MDLXXX, primum euulgato, exhibetur. Hinc et omnes, quotquot ad illam expreſſae ſunt, eandemque referunt, editiones pro *non variatis*, hoc eſt, iis, quae prototypum, non quoad ſenſum ſolum, ſed etiam quoad verba, exactiſſime reddunt, ſunt habendae. Has ipſas vero pariter, atque *variatas* et *corruptas*, ſigillatim recenſendi ſuperſedemus labore. Egregie hac opera perfunctus eſt vir celeberrimus, PHILIPPVS FRIDERICVS HANE, in *hiſtoria critica Auguſtanae Confeſſionis*, Hamburgi edita, anno MDCCXXXII.

De *Latinis* cum iam dicendum ſit editionibus, mentio primum facienda eſt authentici confeſſionis exempli Latini, quod, Sereniſſimorum confeſſorum manibus ſubſcriptum, Caeſari

PIO, vt ex ipſius *introductione in libros ſymbol. c. 3, §. 4*, et *praef. ad nouam A. C. editionem Germanicam, §. 1, p. 6, ſq.* patet, alii vero negant, ſcire, noſtra parum refert. Sufficit, eo tempore, quo liber Concordiae editus eſt, in archiuo imperii illud extitiſſe, cum nullo modo negari poſſit, ad id ipſum accuratam fuiſſe, quae dicto libro inſerta eſt, confeſſionem.

Caeſari exhibitum eſt, iſque ad ſe recepit. Bruxellas id deportatum, et archiuo ibidem illatum fuiſſe, hiſtorici narrant plerique omnes. Narrationis huius veritatem, WILHELMI LINDANI teſtimonio, S. V. IAC. WILHELMVS FEVERLINVS confirmauit. *) An hodieque illud ipſum in archiuo ſuperſit, ea de re non conſtat. Praeſtantiſſima editio Latina eſt, quae, anno MDXXXI, Wittebergae, per *Georgium Rhau*, in 4. impreſſa, vna cum apologia, confeſſionem exhibet, ex bonae fidei exemplari, vt in praefatione dicitur, probe et diligenter deſcriptam. Verum omnino, et oblato Caeſari exemplo conſonum plane confeſſionis in ea haberi textum, idoneis comprobatur documentis. Editioni huic mox alia ſucceſſit, eodem videlicet anno, ibidemque in 8. euulgata, quoad voces autem phraſeſque a PHILIPPO non nihil immutata. Cum Concordiae liber, anno MDLXXX, Latina etiam publicaretur lingua, ob nimiam feſtinationem, et quod prior illa editio ad manus non eſſet, accidit, vt poſterior haec in illo recuderetur. Cognito, qui admiſſus fuerat, errore, in noua, quae, anno MDLXXXIIII, Lipſiae lucem ad-

*) Vid. praefatio eius ad *obſeruationes in Auguſt. Confeſſ. ſingulos articulos.*

ſpexit, libri Concordiae editione, confeſſionis pariter, atque apologiae textum ad priorem illam editionem Wittebergenſem, in 4. NIC. SELNECCERVS, exprimendum curauit; ad quam etiam comparatus is eſt in *Rechenbergiana*, aliiſque Concordiae editionibus Latinis, itemque in *Reinecciana* Germ. Latina. Inconſulte adeo poſteriorem, eamque variatam, Wittebergenſem editionem, in Concordia, Ienae, anno MDCCV, edita, repetiit PHILIPPVS MVLLERVS, acriter ob id a CHRISTIANO REINECCIO caſtigatus.

XIIII

Scriptis, quae in quamplurimas *tranſlata* ſunt linguas, iure meritoque annumeranda eſt Confeſſio Auguſtana. Memoratu in primis digna eſt Graeca PAVLI DOLSCII interpretatio, quippe quae a PHILIPPO ad IOASAPHVM, Patriarcham Conſtantinopolitanum, et a theologis Tubingenſibus ad ſucceſſorem illius, IEREMIAM, miſſa, litterarum de illa ipſa confeſſione inter eos commercio cauſam dedit. *)

Expoſi-

*) Interpretationis huius rationem expoſuit C. REINECCIVS, in exercitatione, quam Aug. Confeſſioni Germanicae et Latinae, cum Graecis DOLSCII et LAVR. RHODOMANNI verſionibus, Lipſiae, anno MDCCXXXI, editae, ſubiunxit. Actorum vero,

quae

Expoſitionum, ſeu ſcriptorum, quibus primarium huncce eccleſiarum euangelicarum librum ſymbolicum theologi noſtrates explicarunt, declararunt, itemque defenderunt, ingens eſt numerus. Notitiam quandam illorum tradunt, qui librorum theologicorum catalogos et bibliothecas ediderunt, tum maxime I. A. FABRICIVS, *) I. F. BVDDEVS, **) C. M. PFAFFIVS, ***) et I. G. WALCHIVS. ****) Cum ſingularem commendationem mereatur opera, quam Auguſtanae Confeſſioni explanandae nauarunt IOH. BENEDICTVS CARPZOVIVS, in *iſagoge in libros eccleſiarum Lutheranarum ſymbolicos*, et BALTHASAR MENTZERVS, in *exegeſi A. C.*, tum ſolidam eiuſdem declarationem, defenſionemque in ſe continet, quae ſecundum inter libros noſtros ſymbolicos locum tenet, et de qua ſequenti ſectione agemus, CONFESSIONIS APOLOGIA.

quae ad eandem pertinent, hiſtoriam, praemiſſa de verſionibus A. C. tractatione, copioſe deſcripſit C. A. SALIG, *hiſt. A. C. lib. IV, c. 1, p. 721, ſq.*

*) *Conſpect. Luth. p. 118, ſqq. et p. 592, ſq.*

**) *Iſag. in theol. vniuerſam, lib. II, c. 2. §. 11, p. 521, ſqq.*

***) *Introd. in hiſt. theologiae litter. part. 3, p. 408, ſqq.*

****) *Introd. in libros ſymbol. l. I, c. 3, p. 250, ſqq.*

SECTIO IIII
DE
APOLOGIA AVGVSTANAE CONFESSIONIS.

I

Inter libros eccleſiae euangelicae ſymbolicos, et temporis, et argumenti ratione, proximum ab Auguſtana Confeſſione locum tenet eiuſdem APOLOGIA, qua nimirum doctrina, in illa tradita, vindicatur, vberiuſque declaratur, et confirmatur. Quae de libro hoc cognitu neceſſaria ſunt, in primis qua is occaſione, et quas ob cauſas, quo item auctore, et quo modo conſcriptus fuerit, quaeque ad ſymbolicam eius ſpectant auctoritatem, paucis ediſſeremus.

II

Adornandae apologiae huic cauſam dedit confeſſionis Auguſtanae *confutatio*, quae a pontificiis quibuſdam theologis, in ipſis comitiis Auguſtanis, ex R. Catholicorum principum et ordinum imperii decreto, confecta, indeque, Caeſaris iuſſu, in ſolemni conuentu, d. III Auguſti habito, eſt recitata.*) Confutationi

enim

*) Vid. ſupra, *ſect. III*, *§. VIII*, dicta. Confutatio haec Germanice item & Latine compoſita fuit. Summam

enim huic cum Princeps Elector Saxo, ſocii-que, aſſentiri, et Caeſaris hac in re voluntari morem genere, per conſcientiam non poſ-ſent, *) vt de iuſta denegatae aſſenſionis cauſa publico conſtaret, confeſſionis illi ſuae, ipſiuſ-que adeo diuinae in ea expoſitae veritatis, ad-uerſus pontificiam iſtam confutationem, apo-logiam edere conſtituerunt.

III

Apologiam parare iuſſus eſt PHILIPPVS MELANCHTHON. Is, denegato Proteſtan-tibus ipſius confutationis exemplo, ad capita, „ locorum et argumentorum, quae inter prae-„ legen-

mam eius refert IOH. SLEIDANVS, *commentar. lib. VII, p. 187.* Latine primum eam publicavit ANDREAS FABRICIVS, in libro, quem, ſub titulo *Harmoniae Auguſtanae Confeſſionis*, edidit, Coloniae, anno MDLXXIII, in fol. Germanice primum, anno MDLXXII, illam prodiiſſe refert C. A. SALIG, *hiſt. A. C. lib. II, c. 6, p. 270.* Cum, quam in-epta ſit confutatio iſta, noſſe, iuuet, nonnullumque ad Apologiae intelligentiam ea praeſtet vſum, con-ſulto eandem CHYTRAEVS & COELESTINVS, in praecedente ſectione laudatis, libris ſuis, Germa-nicisque A. C. expoſitionibus IOH. MVLLERVS & AVG. PFEIFFERVS, Concordiae item editioni PHILIPPVS MVLLERVS, et appendici ad libros ſymbolicos celeberrimus PFAFFIVS, inſeruerunt.

*) Vid. *Praefatio Apol. A. C. p. 48.*

legendum ex noſtris quidem exceperant, „ reſpondit, mandatoque ita functus eſt munere, vt compoſitum ab eo ſcriptum Sereniſſimi Confeſſores dignum iudicarent, quod Caeſari offerrent; qui vero oblatum id non recepit. *)

IIII

Sed, quam modo memorauimus, apologia, in ipſis videlicet comitiis Auguſtanis a PHI-

*) Haec omnia ipſe narrat MELANCHTHON, in *praefatione Apologiae A. C. p. 47,* et *48.* Malitioſe A. FABRICIVS, in praefatione libri, cujus paullo ante mentionem fecimus, PHILIPPI narrationem de negata noſtris confutationis copia, falſitatis arguit, huiuſque exemplum, cum apologiam primum ſcriberet, illum habuiſſe, ECCII, idonei, ſcilicet, teſtis, fide affirmat. Compilatio quaedam confutationis, quantum videlicet, cum ea recitaretur, aſſequi licuerat noſtris, in tomis operum LVTHERI Germanicis, et tomo V Ienenſi Latino, *f. 95,* habetur. Quinam fuerint ex noſtris, qui momenta illius calamo exceperint, non conſtat. CAMERARIVS quidem eo nomine a quibusdam laudatur. Sed illum in comitiis Auguſtanis non adfuiſſe, ex epiſtolis, a PHILIPPO ad eum Auguſta miſſis, patet; tum vero is ipſe, in *vita* MELANCHTHONIS, *p. 132 ſ.* ad alios factum id refert. Cauſa, quare confutationis copiam aduerſarii noſtris facere noluerint, ex ipſa eius repetenda eſt indole, ſiquidem, ut SPALATINVS, in *vitis Elect. Sax. edit. Mencken. p. 1119,* vere ait, in illa meras nugas egerunt. Conf. de eadem PHILIPPI iudicium, in epiſtola ad LVTHERVM, *epp. lib. I, p. 16,* et apud E. S. CYPRIANVM, in *additamentis ad hiſtoriam A. C. p. 195.*

PHILIPPO, prout res tunc ferebat, ſcripta, et Caeſari a Proteſtantibus per GREGORIVM FONTANVM fruſtra oblata, non eadem prorſus eſt cum illa, quae inter libros eccleſiae noſtrae ſymbolicos Auguſtanae confeſſioni ſubiuncta extat, quippe cuius illa prima quaſi fuit *delineatio*; quo titulo etiam eandem Latinae A. C. hiſtoriae, *p. 335, ſqq.* inſeruit DAVID CHYTRAEVS. Enimuero, vbi, finitis comitiis, confutationis pontificiae PHILIPPVS quoddam nactus eſt exemplum, quam in illis adumbrauerat, curatiore ſtudio elaborare itidem ille aggreſſus eſt apologiam, et, omiſſa addendo, at breuiter dicta copioſius ediſſerendo, luculentiorem eam reddere, inſtituit, ſicque adeo recognitam, et egregiis auctam acceſſionibus, *Auguſtanae Confeſſionis Apologiam* in publicam edidit lucem.

V

Haec igitur, quae poſterioribus MELANCHTHONIS curis debetur, quaeque, vna cum Confeſſione, Wittebergae, anno MDXXXI, in 4. per *Georgium Rhau*, typis primum impreſſa fuit,*) illa eſt *Confeſſionis Augu-*

*) In editionis huius praefatione, expoſita editae confeſſionis ratione, cauſa, quare illi addita fuerit apologia, his indicatur verbis: „Addidimus et Apolo- „giam, quae etiam Caeſareae Maieſtati oblata eſt: vere-

Auguſtanae Apologia, quae in Concordiae libro extat, quaeque adeo *ſymbolica* gaudet *auctoritate*.*) Quem ad modum autem dignitatem hanc omni ea tuetur modo, ſiquidem ſumma doctrinae euangelicae, in confeſſione propoſita, capita vberius in illa explanantur, firmiſſimiſque ſacrarum litterarum teſtimoniis confirmantur, et ab aduerſariorum ἀντιλογίαις vindicantur, erroreſque illorum confutantur: ita, ſi qua in eadem occurrunt δυσνόητα, quaeque euangelicae, in ipſa Confeſſione, caeteriſque libris ſymbolicis expoſitae, doctrinae contraria eſſe videntur, illa ipſa, ſi modo legitimae interpretationis media adhibeamus, et ad ſcopum in primis, ordinemque ac ſeriem orationis curatius attendamus, euangelicae veritati haudquaquam aduerſari, nec admiſſi erroris argui poſſe, deprehendemus.**)

verebamur enim, futurum, vt alibi ederetur non,, felicius, quam edita eſt Confeſſio.,, Ad huius editionis exemplum, reiecta illa, quae, anno eodem, ibidemque in 8. prodiit, et in qua PHILIPPVS nonnulla mutauit, Apologia, in recognita emendataque libri Concordiae editione Latina, anno MDLXXXIIII, publicata, et ad hanc conformatis ſinceris omnibus eiuſdem editionibus, exhibetur.

*) Auctoritatem hanc mox inde, poſtquam edita eſt, obtinuit Confeſſionis Apologia. Vid. S. R. ALBERTVS MENO VERPOORTENNIVS, in *analectis ad libros eccl. euang. ſymbolicos*, c. IV, §. 4, p. 106.

**) Ad Apologiae intelligentiam multum facit, rationem

VI

Latino ſermone Apologiam ſcripſit MELANCHTHON: Latino igitur exemplo authentica competit dignitas, idque adeo, ad veram libri huius ſententiam diiudicandam, eſt adhibendum. Germanica, eaque liberior, interpretatio, quae, cum Germanica Confeſſione, primum etiam Wittebergae, anno MDXXXI, per *Georgium Rhau*, in 4. impreſſa, prodiit, auctorem habet IVSTVM IONAM.

Singularibus commentationibus qui explanauerint, defenderintque Auguſtanae Confeſſionis Apologiam, vix quidem reperiuntur; hanc tamen ei operam affatim nauarunt, qui, cum omnium librorum noſtrorum ſymbolicorum,

tionem habere illius, quod, in *praefatione*, *p. 48*, auctor ipſe ait; „ſe in his controuerſiis, quantum „omnino potuerit, vſitatae doctrinae retinuiſſe for„mam,“ et caet. quippe quibus verbis, vt egregie notat VERPOORTENNIVS, *l. c. p. 108*, in formulas quaſdam, priori aetate, et tum temporis multis adhuc inter noſtros cum pontificiis communes, nonnunquam ſe deſcendiſſe, ſignificat; vt adeo interdum κατ' ἐπιτροπήν, ſeu, κατὰ συγχώρησιν ἀγωνιστικῶς item, et κατ' ἄνθρωπον, non ſemper θετικῶς egiſſe, intelligatur. Hoc enim obſeruato, complures, qui perdifficiles quibuſdam videntur, facili negotio ſolui poſſunt nodi. Caeterum et haec, et alia, quae in libris noſtris ſymbolicis pro δυσνοήτοις habentur, in ipſis theologiae ſymbolicae inſtitutionibus data opera excutiemus.

rum, tum ſpeciatim Auguſtanae Confeſſionis expoſitiones, vindiciasue, compoſuerunt, quippe quorum plerique Apologiam eiuſdem explicarunt, et a pontificiorum, qui acerbiſſimis aliquot ſcriptis nequicquam illam oppugnarunt, cauillationibus vindicarunt.

SECTIO V
DE
ARTICVLIS SMALCALDICIS

I

Articvli Smalcaldici, quibus tertius inter libros eccleſiae euangelicae ſymbolicos in Concordiae libro datus eſt locus, ſinceram de praecipuis, iiſque maxime inter nos et pontificios controuerſis, religionis chriſtianae capitibus complectuntur doctrinam, in concilio generali ab euangelicis agendorum cauſa, a B. lvthero concinnati.

II

Smalcaldici hi dicuntur articuli, quia *Smalcaldiae*, Hennebergici comitatus oppido, in conuentu Proteſtantium, anno MDXXXVII, celebrato, exhibiti, et a praeſentibus theologis approbati ſunt, ſubſcriptique. Nec enim, quod bene multi aiunt, in dicta vrbe iſti articuli

culi compoſiti ſunt, indeque Smalcaldicorum nomen acceperunt. *) Subiunctus autem iiſdem, *de poteſtate et primatu Papae*, *ac de poteſtate et iuriſdictione epiſcoporum*, tractatus Smalcaldiae, in eodem illo conuentu, a MELANCHTHONE eſt perſcriptus. **)

III

*) Communis fere haec illorum, qui articulorum Smalcaldicorum appellationis rationem tradunt, eſt ſententia, Smalcaldiae illos ipſos fuiſſe conſcriptos; in quam opinionem Latina potiſſimum Formulae Concordiae verba, *p. 634*, eos induxiſſe videntur. At enim vero ante, quam Proteſtantes Smalcaldiae conuenirent, Electoris Saxoniae iuſſu, LVTHERVM Vitembergae articulos hoſce compoſuiſſe, ex ipſius ad Electorem litteris, d. III Ianuarii, a. 1537, datis, pariter, atque huius reſponſione, quae in tabulario Vinarienſi aſſeruantur, et a SECKENDORFIO, *comm. de Lutheraniſmo, lib. III, ſect. 16, §. 55, p. 151 ſq.* referuntur, itemque ex GE. SPALATINI *annalibus, p. 307*, luculentiſſime patet. Hinc rectius omnino recentiores, articulos Smalcaldicos a loco exhibitionis, approbationis, ſubſcriptioniſque, id nomen habere, dicunt. Vid. praeter caeteros, DAN. LAVRENTIVS SALTHENIVS in *hiſtoria artic. Smalc.* §. *VIII*, I. G. WALCHIVS, in *dem Vorbericht zu dem XVI Haelliſchen Theil der Schrifften* LVTHERI, *p. 32;* CHRISTIAN. MÜNDENIVS, in *dem hiſt. Vorbericht zu den Smalcald. artickeln*, §. *IX.*

**) Tractatus iſte *per theologos, Smalcaldiae congregatos*, in titulo, *p. 340*, conſcriptus, dicitur. Quamuis autem theologi, praeſentes qui adfuerunt, fundamenta forte et argumenta ad eum contulerint, a MELANCHTHONE tamen is ipſe ſcriptus eſt, quippe qui auctorem eius ſe profitetur,

in

III

Auctorem horum articulorum eſſe LVTHERVM, vel ipſe praefixus eis titulus docet, tum vero LVTHERVS ipſe, illos ſe conſcripſiſſe, in praefatione, *p. 298*, diſertis teſtatur verbis. *Occaſio*, iisdem componendis data, cum in eodem titulo, tum in praefatione a LVTHERO indicatur. Nempe, poſtquam PAVLVS III, R. P., Caeſaris, CAROLI V, impulſu, menſe Iunio, a. MDXXXVI, generale indixerat concilium, ad tertium et viceſimum Maii diem, inſequente anno MDXXXVII, Mantuae congregandum,*) repurgatae religioni addicti ordines

in epiſtola ad IOACH. CAMERARIVM, *epp. edit. Lipſ. p. 280*, Teſtimonio ſuo id confirmat CAMERARIVS, in *vita* MELANCHTH. *p. 169*. Quin etiam inter conſilia PHILIPPI tractatum iſtum retulit CHRISTOPH. PEZELIVS, *part. I, p. 272, ſqq.* Conf. SECKENDORFIVS, *l. c. p. 152, ſ.* et *p. 156*.

Silentio hac occaſione haud praetermittendus eſt, a pluribus quidem iam notatus, ridiculus error, quem LVDOVICVS IACOBVS a S. CAROLO, in *Bibliotheca pontificia*, (Lugduni, anno MDCXLIII, edita,) *lib. II p. 455*, commiſit, vbi, ARTICVLVM ALSMACALDVM, *Germanum, Lutheranum, ediſſe*, ſcripſit, *de primatu & poteſtate Papae librum*.

*) Vid. programma noſtrum, in feſto reformationis, anno MDCCXXXVI, publico nomine editum, in quo et pontificium diploma exhibetur, &, praeter alia, quam infeſtum euangelicorum cauſae, et ad

dines imperii R. G. de iis, quae ex re ſua erant, maturam deliberationem ſuſcipiendam eſſe rati, Smalcaldiae, menſe Februario, anno MDXXXVII, conuentum habuerunt. Ante vero, quam ibi conuenirent, Elector Saxoniae LVTHERO in primis iniunxit, „vt arti-„
culos doctrinae noſtrae conſcriberet, et colli-„
geret, ſi forte res procederet, vt conſtaret,„
quid et quatenus pontificiis noſtri cedere, et,„
in quibus capitibus conſtanter perſeuerare et,„
vellent, et poſſent.„*)

IIII

Iam, quo modo hi a LVTHERO conſcripti articuli a theologis, Smalcaldiae congregatis, *approbati*, et *ſubſcripti;* a LVTHERO inde *publicati;* tandemque in *librorum* noſtrorum *ſymbolicorum numerum relati* fuerint, eſt exponendum. Ad prius illud quod attinet, cum principes Proteſtantes, ciuitatumque, foedere ipſis iunctarum, legati,**) de concilio,

ad horum perniciem inſtructum, concilium apparare inſtituerit curia Romana, quamque iuſtas adeo illud recuſandi cauſas habuerint Proteſtantes, oſtenditur.

*) Verba haec ipſius ſunt LVTHERI, in *praef. artic. Smalcald. p. 298.* Conf. SECKENDORFIVS, *l. ſ. c.*

**) Principes & legati, qui hoc in conuentu Smalcal-

 dienſi

lio, a pontifice nuper indicto, deliberaturi, miſſiſque ad eos oratoribus, Caeſareo et Pontificio, commune daturi reſponſum, *) Smalcaldiam veniſſent, praeſtantiſſimoſque ſecum adduxiſſent theologos, his id maxime datum eſt negotium, vt Confeſſionem Auguſtanam, eiuſdemque Apologiam denuo expenderent, tum vero de articulis, quos LVTHERVS conſcripſerat, ſententias inter ſe conferrent. Illi, quae in mandatis acceperant, in conuentibus, eo nomine actis, quibus vero LVTHERVS, grauiſſimo impeditus morbo, **) intereſſe non potuit,

dienſi fuerunt, nominantur a IOH. SLEIDANO, *commentar. lib. XI, p. 320.* Conf. IOH. BALTHASAR SCHMIDT, in *dem vorbericht zu den Schmalkald. artickeln, p. 21, ſqq.*

*) Quae cum legatis his acta ſunt, refert SLEIDANVS, *l. c. p. 269, ſqq.* Ex tabularii Vinarienſis documentis quaedam addidit SECKENDORFIVS, *l. c. p. 143, ſqq.* Acta huius conuentus omnia in ephemerides digeſſit SALTHENIVS, in diſſertatione laudata, §. *V, p. 7, ſqq.*

**) De hoc LVTHERI morbo, quem CAMERARIVS, in *vita* MELANCHTH. *p. 169*, vere grauem periculoſumque dixit, lectu digna ſunt, quae SECKENDORFIVS, *l. c. p. 164, ſqq.* narrat. Singularis de eodem extat libellus, a IACOBO ANDR. GRAVLIO ſcriptus, edituſque Lipſiae, anno MDCXVII, in 8. Cum Smalcaldia LVTHERVS aueheretur, vrbem eum reſpexiſſe, et dixiſſe, ferunt: *Deus vos impleat odio Papae.* Vid. SECKENDORF. *l. c, p. 165, ſq.* Votum hoc ipſius, quo peculia

potuit, debito ſtudio ac diligentia fecerunt, et, vbi articulos LVTHERI cum ſacra Scriptura, et cum euangelicae eccleſiae doctrina conuenire cognouerunt, vnanimi confeſſione illos ipſos approbarunt,*) eiſque ſubſcripſerunt.**) Relegerunt iidem Confeſſionis Augustanae

peculiari diſſertatione IOH. FRID. MAYERVS vindicavit, notante E. F. NEVBAVERO, in *dem Heſſiſchen hebopfer, part. XV, p. 421*, a CHRISTOPH. SCHLEVPNERO ita refertur: *Deus vos impleat dilectione Christi, et odio Papae.*

*) Vid. LVTHERI *praefatio p. 298.*

**) Notabilis eſt MELANCHTHONIS ſubſcriptio, de qua diuerſa ſunt doctorum iudicia. Magnopere a quibusdam ea reprehenditur; timiditatique PHILIPPI, et intempeſtiuo pacis ſtudio ſpeciatim a nonnullis tribuitur; ab aliis vero excuſatur, eo quod PHILIPPVS hanc, ſub qua pontifici ſuperioritas in epiſcopos a nobis permitti poſſit, addiderit conditionem: *ſi pontifex euangelium admitteret;* hoc enim ſi faceret, ipſe ſibi abiudicaret ſuperioritatem. Noua ratione patrocinium illius ſuſcepit celeberrimus HEVMANNVS, peculiari ſcripto, inſerto *parti XVII des Heſſiſchen hebopfers, p. 624, ſqq.* LVTHERO viſam fuiſſe ſubſcriptionem illam, de quo multi dubitant, ex epiſtola Electoris ad LVTHERVM, die VII Ianuarii data, quam SECKENDORFIVS, *l. c. p. 151, ſq.* refert, confici videtur. Conf. C. MÜNDENIVS, *l. ſ. c. §. XIV.* Cauſam, quare non omnes iidemque theologi & articulis, ſubiuncto iis tractatui ſubſcripſerint, ſed aliorum quoad hunc, aliorum quoad illos, ſubſcriptio deſideretur, IOH. GABR. SIISSE, peculiari ſcripto Dreſdae, a. 1739, edito, expoſuit, eoque ipſo ſubſcriptionem Smalcaldiae non die XXIII. Februarii, vt quidam ſen-

guſtanae et Apologiae articulos, hiſque vere addictos ſe eſſe, ſua profeſſi ſunt ſubſcriptione, qua etiam a PHILIPPO compoſitum, exhibitumque in hoc conuentu, *de poteſtate et primatu Papae, et de poteſtate et iuriſdictione epiſcoporum*, tractatum comprobarunt.

V

Receptos, approbatoſque in conuentu Smalcaldienſi articulos LVTHERVS Germanico, quo eos conſcripſerat, ſermone Vitembergae, anno MDXXXIIX, *publicauit*. Quam graues ad id faciendum habuerit cauſas, in praefatione, *p. 299*, ipſe docet, vbi, in publicum „ideo illos emittere ſe voluiſſe, ſignificat, vt, „ſi citius decederet, quam concilium congre„garetur, poſteri teſtimonium et confeſſionem „ſuam haberent, antea editae adiungendam „*confeſſioni*,*) in qua conſtanter prrmanſerit, „et

ſentiunt, ſed inſequente die quarto et viceſimo factam fuiſſe, probare inſtituit. Quod ipſi principes et ordines euangelici articulis non ſubſcripſerint, id ideo factum notat CARPZOVIVS, in *iſag. p. 892*, quia tempus nondum adfuit, quo concilio exhiberentur.

*) Confeſſionem indigitare videtur, quae tertiam partem conſtituit confeſſionis de coena Chriſti (*Bekaentnis vom Abendmahl Chriſti*) editae Wittembergae anno 1528; quaeque ſeparatim etiam, ſub titulo

„et deinceps, per Dei gratiam, permanſurus „eſſet.

VI

Quanquam autem, non publica auctoritate, ſed priuato conſilio, articulos hoſce edidit LVTHERVS,*) mox inde tamen in eccleſiis euangelicis, vt certiſſimis conſtat documentis, magno in pretio iidem haberi coeperunt. **) *Symbolicam* autem dignitatem, auctoritatemque ſolemni obtinuerunt modo, vbi Auguſtanae Confeſſioni addicti, Electores, Principes, et S. R. I. in Germania ordines librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum collectionem, ſub *Concordiae* titulo, edendam, et in hac ipſa, proxime ab Auguſtana Confeſſione, eiuſque Apologia loco, Articulos Smalcaldicos, vna cum tractatu de poteſtate et primatu Papae, exhibendos curarunt. ***)

titulo: *Bekentnis des Glaubens D. Martin Luthers*, in *tomo IV Altenburg. p. 520, ſqq.* et a FRID. ANDR. HALLBAVERO, in editione *der drey merckwürdigſten Glaubensbekenntniſſe*, Jenae, 1730 ab ipſo procurata, *p. 87, ſqq.* exhibetur.

*) Vid. SECKENDORF. *l. c. p. 153.*

**) CARPZOV. in *iſag. p. 771*; VERPOORTENNIVS, in *analect. ad libros ſymbolicos, p. 120*; SALTHENIVS. in *hiſt. artic. Smalc. §. XI, p. 21, ſqq.*

***) Vid. *praef. Concordiae, p. vlt. Form. Conc. p. 634, et 635.* Conſilia ſuper hac re agitata HVTTERVS, in *concordia concorde*, refert. Conf. PHIL. FRID.

HANE,

VII

Articulorum Smalcaldicorum *tripartita* eſt *diuiſio.* Pars I, eaque perbreuis, eſt ἀναμφισβήτητος, ſeu eos continet articulos, de quibus inter nos et pontificios nulla eſt controuerſia. In partis ſecundae et tertiae articulis prout Formula Concordiae, *p. 634*, docet, „Auguſtanae Confeſſionis doctrina repetita„ eſt, et in quibuſdam articulis ex verbo Dei„ amplius declarata: et inſuper (in altera ma-„ xime parte) fundamenta monſtrata, er gra-„ ues cauſae recitatae ſunt, cur a pontificiis er-„ roribus et idolomaniis ſeceſſionem feceri-„ mus: cur etiam in iis rebus cum pontifice„ Romano nobis conuenire non poſſit, quod-„ que cum eo in illis conciliari nequeamus.„ Neque vero ſolum articuli hi cum Auguſtanae confeſſionis, ipſiuſque adeo verbi diuini conſentiunt doctrina, ſed in iis etiam, quae non ad fidei pertinent dogmata, naeui, erroriſue cuiuſdam admiſſi iure nequeunt accuſari. Si quae in Papatum, pontificemque Romanum aſperius dicta videntur, iuſtam ea habent excuſationem, propterea quod in pontificiis erroribus, corruptelisque notandis, neceſſe omnino

HANE, *de articulorum Smalcald. auctoritate, eademque ſymbolica, oratio, Kilon. a. 1737.*

omnino erat, ſuis res nominibus appellare, nec, pro παῤῥησίᾳ ſua, aliter facere poterat; LVTHERVS, quin, quod de Papa vere ſentiebat, apertiſſime planiſſimeque eloqueretur.*)

VIII

Germanice, vt ſupra diximus, articulos hos LVTHERVS conſcripſit; qua lingua etiam MELANCHTHON ſubiunctum eis de poteſtate et primatu Papae compoſuit tractatum. Germanicus igitur illorum textus pro authentico eſt habendus. Is ad principem, quae, ipſo curante LVTHERO, Vitembergae, anno MDXXXIIX, prodiit, editionem**) expreſſus,

*) Vere FRIDERICVS BALDVINVS, in epiſtola dedicatoria, *diſputationibus XXII pro articulis Smalcaldicis* praefixa, LVTHERVM illuſtre in illis „ſpecimen edidiſſe ſcribit eorum, quae in reliquis „ipſius ſcriptis omnibus ſunt conſpicua, ὀρθοδοξίας nimirum cum dexteritate, et conſtantiae cum *heroica* „*animoſitate* coniunctae.

**) Titulus illius eſt: *Artickel, ſo da hetten ſollen aufs Concilion zu Mantua, oder wo es wurde ſein, überantwortet werden, von unſers teils wegen. Vnd was wir annemen oder geben kündten oder nicht etc. D. Mart. Luth. Wittemberg. MDXXXVIII.* In calce libri legitur: *Gedruckt zu Wittemberg durch Hans Lufft MDXXXVIII.* Omiſſae ſunt in hac editione ſubſcriptiones theologorum; omiſſus item eſt tractatus de poteſtate et primatu Papae. De primae huius editionis ratione, et ἐξοχῇ, pluribus exponit SECKENDORFIVS, *l. c. p.* 197.

ſus, in Concordiae libro exhibetur. Laudatam editionem aliae inſecutae ſunt complures; *) quas inter notatu in primis dignae ſunt, cum Vinarienſis, quam, IOHANNIS FRIDERICI, Saxonis, iuſſu, IOH. STOLZIVS et IOH. AVRIFABER, collato authentico exemplo MSto, additiſque PHILIPPI tractatu, et ſubſcriptionibus, anno MDLIII, adornarunt; tum ea, quam Vitembergenſes theologi, cum praefatione apologetica, et cum ſcripto, a theologis, in conuentu Smalcaldienſi, anno MDXL, compoſito, anno MDLXXV, publicarunt. Cum in ſeptimum et triceſimum ſeculi huius annum ſecularis incideret memoria articulorum Smalcaldicorum, viri quidam docti, laudabili opera, Germanice ſcriptos illos ſeparatim recudendos curarunt, eorundemque hiſtoriam addiderunt. Singularem hoc nomine Francofurtenſis editio CHRISTIANI MÜNDENII, et Smalcaldienſis IOH. BALTHASARIS SCHMIDII, merentur commendationem.

Arti-

*) Articulorum Smalcaldicorum editiones, et quae ad illos ſpectant, ſcripta praeter alios, recenſent SALTHENIVS, in *diſſertatione, de artic. Smalc. p. 30, ſqq.* MÜNDENIVS, in *dem hiſtoriſchen Vorbericht, §. XVIII et XIX;* NEVBAVERVS, in *dem Heſſiſchen Hebopfer, part. XV, p. 439, ſqq. et part. XXII, p. 180, ſqq.*

Articulos Smalcaldicos PETRVS GENERANVS, teſte SECKENDORFIO,*) Latine vertit, ediditque Vitembergae, anno MDXLI. Tractatus de poteſtate et primatu Papae duae ſunt verſiones Latinae, quarum altera in prima praefeſtinataque, quae Lipſiae, anno MDLXXX, prodiit, altera in emendata Concordiae editione, et ad hanc expreſſis editionibus, exhibetur.

Praeter illos, qui in libros eccleſiae euangelicae ſymbolicos in vniuerſum omnes commentati ſunt, noſtratium theologorum quidam, in primis BVRCH. HARBARTVS, FRIDERICVS BALDVINVS, IOH. DEVTSCHMANNVS, IOH. KAHLERVS, articulos Smalcaldicos peculiaribus ſcriptis explicarunt.

SECTIO VI
DE
VTROQVE CATECHISMO LVTHERI.

I

Articulos Smalcaldicos, in librorum noſtrorum ſymbolicorum συλλογῇ, ſeu Con-

 cordiae

*) Vid. *Index III, commentario de Lutheraniſmo ſubiunctus, ad a. 1537, n. 5.*

cordiae libro, ſubſequuntur CATECHISMI LVTHERI, *minor* alter, alter *maior*. *Catechiſmi* nomine*) cum, ſtilo eccleſiaſtico, ea ſignificetur inſtitutio, qua pueri, rudeſue homines, chriſtianae religionis elementis imbuuntur, **) iſque veri nominis ſit catechiſmus, quo homini ſaluando cognitu cum maxime neceſſaria coeleſtis doctrinae capita, apta, et imperitorum captui conueniente docendi methodo, traduntur: catechiſmorum LVTHERI haec ipſa omnino eſt ratio, ſi quidem in illis, praeſertim

*) *Catechiſmi* nomen originem debet Graeco verbo κατηχεῖν. Nempe verbo κατηχεῖν, quod proprie, *inſonare*, hincque, *viua voce docere*, ſignificat, tum ſpeciatim quoque apud ſcriptores Graecos de *primorum artis, ſcientiaeue rudimentorum doctrina* vſurpatur, quem ad modum HENRICVS STEPHANVS, in *theſauro Gr. linguae, t. I, c. 1484, ſq.* et IO. ALB. FABRICIVS, in *notis ad* SEXTVM EMPIRICVM, *p. 285*, oſtendunt, eccleſiae Graecae doctores eum ſpeciatim attribuerunt ſignificatum, quo, *in religionis chriſtianae principiis et elementis erudire*, notat; qua ipſa etiam notione in Noui Foederis tabulis, in primis *Act. XIIX. 25*, verbum illud occurrit. Vſu receptam hanc eius ſignificationem, deducta inde nomina κατήχησις, κατηχητής, κατηχούμενος, et reliqua confirmant. Conf. IOH. CASPAR SVICERVS, *theſauri eccleſ. tom. II, p. 70, ſqq.*

**) Ita LVTHERVS ipſe, in altera *praefatione catechiſmi maioris, p. 397*, catechiſmum exponit *puerilem inſtitutionem*.

ſertim minore, doctrina, ex verbo Dei de-„ſumta, quam maxime perſpicue et ſimpliciſ-„ſime, in vſum rudiorum et laicorum, eſt „comprehenſa, et dilucide declarata; ita vt iidem, *quaſi laicorum Biblia* eſſe, cenſeantur.*)

II

Vt, qua *occaſione*, quibuſque *rationibus* adductus, LVTHERVS, catechiſmos, in librorum noſtrorum ſymbolicorum numerum relatos, compoſuerit, plenius intelligatur, primum omnium ad miſerum, ea tempeſtate, qua reformationem is aggreſſus eſt, reſpiciendum eſt eccleſiae ſtatum. Etenim in craſſiſſimis illis, quae orbem chriſtianum occupauerant, tenebris, catechetica etiam doctrina, apud veteres chriſtianos tantopere celebrata, omni obſcurata erat modo, ita vt nulla prorſus in eccleſia Romana, teſte *Apologia A. C. p. 212*, eſſet κατήχησις puerorum. Itaque, indignitate rei commotus, ſub ipſa reformationis initia, eo etiam curam cogitationemque ſuam conuertit LVTHERVS, vt tanto remedium afferret malo, inſtaurandaeque catecheſi mature operam dedit. **)

III

*) Vid. *Form. Concord. p. 571*, et *p. 634*.

**) Catechetica LVTHERI ſcripta, inde ab anno MDXVII edita, ordine recenſet GREGORIVS

LAN-

III

Proximam autem LVTHERO duos ſpeciatim illos, de quibus agimus, catechiſmos componendi occaſionem dedit, Principis Electoris Saxoniae, IOHANNIS, iuſſu et auctoritate, anno MDXXVII, ſuſcepta, et inſequente anno continuata, maximamque partem finita, eccleſiarum in prouinciis, ipſius ſubiectis ditioni, *viſitatio.* *) Hac enim in viſitatione cum LVTHERVS incredibilem ac miſerandam rerum diuinarum animaduertiſſet ignorantiam, nec de plebe homines tantum doctrinae chriſtianae rudes plane atque ignaros, ſed ipſos etiam parochos ad docendum illos

LANGEMACK, *hiſtoriae catecheticae part. II, c. 2, p. 85, ſqq.*

*) Viſitationis huius hiſtoriam ex actis, quae in tabulario Vinarienſi aſſeruantur, deſcripſit, & obſeruationibus ſuis illuſtrauit SECKENDORFIVS, *comment. de Lutheraniſmo, lib. II, p. 100, ſqq.* Summam idem refert cum inſtructionis viſitatorum, tum libelli viſitatorii, a MELANCHTHONE ſcripti, et ſub titulo: *Unterricht der Viſitatoren an die Pfarrer im Churfürſtenthum Sachſen,* cum praefatione LVTHERI, editi, anno MDXXIIX, huiusque operum tomis inſerti. Conf. viri celeberrimi, IOH. ERHARDI KAPPII *Nachleſe einiger zur erlaeuterung der Reformations-geſchichte nützlicher Urkunden, pars. I, p. 173,* et programma noſtrum, in feſto reformationis, anno MDCCXXIIX, publica propoſitum auctoritate.

illos minus aptos et idoneos, officiiue negligentes eſſe, cognouiſſet, ad catechiſmum conſcribendum animum appulit, quo et miſeris, ac ſumma laborantibus inſcitia, opem ferret, eorumque ſuccurreret ſaluti, et eccleſiae miniſtros ad officium faciendum excitaret. Has igitur ob cauſas, cum *minorem*, tum *maiorem* conſcripſit catechiſmum; quemadmodum in *praefationibus*, vtrique praemiſſis, *p. 350*, et *p. 390, ſqq.* diſertis ipſe profitetur verbis.

IIII

Catechiſmum vtrumque *Germanico*, prout inſtituti ratio poſtulabat, ſermone ſcripſit, et anno MDXXIX*) edidit LVTHERVS. In eo

*) Corrigendus eſt IOH. SEBAST. MÜLLERVS, qui, *annal. Saxon. p. 95*, primam editionem ad initium anni MDXLI refert. Confimilem IACOBI LENFANT, typographicum forte, quoad annum editionis, errorem notavit I. G. WALCHIVS, *introd. in libr. ſymb. l. 1, c. 6, p. 610.* Quemnam autem horum catechiſmorum prius ediderit, de eo non conuenit inter viros doctos. CARPZOVIVS, in *iſag. p. 943*, aliique complures, minorem primum, inde maiorem, et illum quidem menſe Ianuario, hunc menſe Octobri, a. MDXXIX, editum fuiſſe, cenſent. Contra ea SECKENDORFIVS, *l. c. p. 145*, ex praefatione catechiſmi *minoris*, *p. 145*, apparere, ait, ante hunc in lucem prodiiſſe *maiorem*, quia, LVTHERVS, in dicta praefatione, ad illum paſtores remittit. Idem hoc ſignificare videtur IOH.

eo inter ſe differunt *minor* qui dicitur, et *enchiridii* titulo ab ipſo inſignitus eſt LVTHERO, et *maior* catechiſinus, quod chriſtianae doctrinae elementa, in illo quidem, cum breui explicatione, per quaeſtiones et reſponſiones propoſita, in hoc vero vberius enarrata atque declarata, exhibeantur; hicque adeo ad prouectiorum, et ipſorum docentium, ille primis Chriſtianiſmi rudimentis initiandorum vſum ſit comparatus.

V

IOH. MATHESIVS, in *hiſtoria* LVTHERI, *conc. VI, p. m. 54*, vbi, facta maioris, a LVTHERO editi catechiſmi mentione, inde minorem etiam commemorat. Eandem in ſententiam IOH. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis in* I. F. MAYERI *hiſtoria verſionis Germanicae Bibliorum, p. 33*, catechiſinum maiorem iam, anno MDXXIX, menſe Iulio, Latine verſum fuiſſe, notat. Conſentit VERPOORTENNIVS, in *analectis ad libr. ſymbol. p. 128*. Attamen GREGORIVS LANGEMACK, *l. c. p. 100 ſqq.* pro re nondum confecta habet, catechiſmum maiorem prius editum fuiſſe a LVTHERO, quam minorem. Conf. S. R. WALCHIVS, in *praefatione ad tomum X edit. Hal. operum* LVTHERI *Germanicorum, §. III, p. 6*, vbi ſententiam illam veriſimilem quidem, non vero prorſus indubitatam eſſe, ait; quoad rem ipſam autem, nihil referre, recte iudicat, ſiue hic, ſiue ille catechiſmus primum prodierit in lucem. Doctrinae ordine maiorem omnino praecedit minor, iſque ordo etiam ſeruatus eſt in Concordiae libro.

V.

Quinque ſunt, quae in vtroque catechiſmo proponuntur, religionis chriſtianae capita: (1) *decem praecepta*, (2) *articuli chriſtianae fidei*, *ſeu*, *ſymbolum apoſtolicum*, (3) *oratio dominica*, (4) de *baptiſmo*, et (5) de *coena Domini* ſacrarum litterarum doctrina. Capitibus hiſce, iam dicto modo, in catechiſmo minore breuis et plana expoſitio, in maiore vberior addita eſt declaratio, ad verbi diuini haec et illa compoſita normam. De *poteſtate clauium* quod, in vſitato hodie catechiſmo minore, medio inter capita de baptiſmo et ſacra coena loco extat, caput, LVTHERVM non agnoſcit auctorem; qui, *de confeſſione*, *quomodo ſimpliciores de ea erudiendi ſint*, doctrinae de ſacramento altaris aliquam praemiſit praeceptionem.

A quonam autem *de poteſtate clauium* conſcriptum fuerit caput, quo item tempore, quaque id occaſione ad LVTHERI acceſſerit catechiſmum, noſtrates quaerere inſtituerunt. Nouiſſime rationes inueniſſe ſibi viſus eſt IAC. HENR. BALTHASAR,*) quibus conficiatur,

*) Vid. eine *erſte Sammlung einiger zur Pommeriſchen Kirchen-hiſtorie gehoerigen Schrifften*, *p.* 93, et *andere Sammlung*, *p.* 385, *ſqq.*

tur, illud ipſum IOHANNI KNIPSTROVIO, Pomeraniae Superintendenti generali, auctori eſſe adſcribendum. In ipſo autem Concordiae libro, catechiſmo minori additae ſunt: *benedictiones*, ſeu precationes, *matutina*, *veſpertina*, *menſalis*, et *tabula oeconomica*; in Germanicis etiam, quae primam inſecutae ſunt, Concordiae editionibus,*) duo eidem catechiſmo ſubiuncti ſunt LVTHERI libelli: (1) *das Traubüchlein*, de copulatione coniugum, (2) *das Tauffbüchlein*, de infantibus baptizandis.

VI.

Quanta, quamque ſingularis vtriusque LVTHERI catechiſmi ſit *praeſtantia*, quamque eximium inde eccleſia perceperit fructum, cum res ipſa loquatur, non opus eſt, pluribus praedicare verbis. Praeclariſſima illa, quibus ab idoneis exiſtimatoribus LVTHERI catechiſmi ornantur, elogia meritiſſimo vtique eis

*) De cauſis, quare in prima Concordiae editione, anno MDLXXX, omiſſi fuerint hi libri, vid. CARPZOVIVS, in *iſag. p. 939*, et CHR. REINECCIVS, in *Germanico Latina Concordiae editione*, *p. 584, ſqq.* De viginti quaeſtionibus, quae in vulgo vſitatis catechiſmi minoris editionibus tabulae oeconomicae ſubnectuntur, fruſtra quaeri videtur, num LVTHERVS verus illarum ſit auctor, et caet. Agitur ea de re in *dem Heſſiſchen Hebopfer*, *P. III, p. 300*, et *P. IX, p. 976, ſq.*

eis competunt iure. Summa adeo ipſorum ductae vtilitate, "omnes eccleſiae Auguſta- " nae confeſſionis, teſte *Formula Concordiae*, " *p. 634*, eos approbarunt, atque receperunt, " ita vt paſſim in eccleſiis et ſcholis publice, et " in priuatis etiam aedibus fuerint propoſiti." *Symbolica* inde iidem donati ſunt auctoritate, communi videlicet principum et ordinum euangelicorum conſenſu, in librorum ſymbolicorum numerum relati, et Concordiae inſerti libro.

VII

Cum, poſt Scripturam ſacram, non alius fere ſit liber, qui toties typis excuſus, et in tot linguas tranſlatus, et tot varii generis ſcriptis expoſitus fuerit, quam catechiſmus LVTHERI minor, huius quidem editiones enarrare, perdifficile, immo ſuperuacaneum foret. Principes minoris pariter, atque maioris catechiſmi editiones ſunt, quas LVTHERVS ipſe procurauit; tum vero vtriuſque textus, ad exemplum, Ienenſibus operum LVTHERI tomis inſertum, in Concordiae libro expreſſus, pro authentico eſt habendus. Inter verſiones, primas tenet Latina interpretatio, quae in emendata Concordiae editione Latina extat, quae vero textui originali Germanico haudquaquam eſt aequiparanda. Minoris catechi-

ſmi *verſionibus* variis pariter, atque diuerſi generis expoſitionibus recenſendis GREGORIVS LANGEMACK*) ſummum laborem, operamque impendit ſingularem.

SECTIO VII

DE

FORMVLA CONCORDIAE

I

De librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum quinto, eoque vltimo, praecipua, quae ad hiſtoriam eius pertinent, momenta, pro inſtituti noſtri ratione, hac ſectione a nobis ſunt enarranda. FORMVLA CONCORDIAE is appellatur, **) eoque articulorum quorundam, de quibus inter Auguſtanae Confeſſionis theologos controuerſiae ortae ſunt, ad *concordiam* ſtabiliendam comparata, *declaratio* continetur.

II

*) *Hiſt. catechet. part. II, cap. 8, p. 263, ſqq.* et *cap. XV, p. 564, ſqq.*

**) *Formulae Concordiae* nomen, vſu vulgari, ipſi etiam librorum noſtrorum ſymbolicorum tribuitur ſyntagmati, quod vero rectius *concordia*, ſiue *concordiae* liber vocatur. Hinc, vbi liber ſymbolicus quintus *Formula Concordiae* appellatur, vulgo addi ſolet: *ſpecialiter*, vel, *ſtricte ſic dicta*.

II

Formulae Concordiae condendae cum cauſam dederint diſſenſiones, et controuerſiae, poſt b. LVTHERI e vita exceſſum, inter A. C. theologos exortae, et magna animorum contentione, coetuumque euangelicorum maxima cum offenſione, agitatae, id primum omnium agendum eſt, vt, quaenam illae fuerint controuerſiae, quique eaſdem excitauerint, cognoſcatur.

Ordinis, quo in Formula Concordiae illae definiuntur,*) ratione, controuerſia prima eſt de *peccato originis*, vtrum id ſit ipſa ſubſtantia hominis, an vero accidens, ab hominis ſubſtantia diſtinctum? Controuerſiae huius auctor extitit, egregiis alias in eccleſiam Euangelico-Lutheranam promeritis clariſſimus theologus, MATTHIAS FLACIVS, *Illyricus*,**) quippe qui, poſtquam in ſolemni cum VICTORINO STRIGELIO, Vinariae, anno

 MDLX,

*) F. C. conditores, in decidendis controuerſiis non temporis, quo exortae illae fuerunt, rationem habuerunt, ſed ad nexum articulorum reſpexiſſe videntur.

**) FLACII vitam, poſt alios, ſingulari ſtudio deſcripſit IOH. BALTHASAR RITTERVS. Deſcriptio haec iterata vice prodiit Francofurti, anno MDCCXXV., in 8.

MDLX, habito colloquio,*) feruentius diſputans, peccatum originis non accidens, ſed ipſam hominis ſubſtantiam eſſe, affirmauerat, huncce, per praecipitantiam tunc admiſſum, errorem poſtea tuendum ſuſcepit; vnde adeo recte ſentientibus cum illo, eiusque ſectatoribus, CHRISTOPHORO IRENAEO, CYRIACO SPANGENBERGIO, et caeteris, qui FLACII errorem ſuis adauxerunt placitis, grauis diſceptatio interceſſit.**)

III

FLACIVS cum, in oppugnando STRIGELII ſynergiſmo, in illum, quem diximus, de peccato originis prolapſus fuerit errorem, *ſynergiſtica* inde in Formula Concordiae expenditur controuerſia. Diſputatum nimirum fuit

*) Colloquii huius acta, cum praefatione SIMONIS MVSAEI, edita ſunt, anno MDLXIII. Summam eorum refert IOH. MVSAEVS, in *praef. ad* FLACII *clauem Scripturae*, et in *praelectionibus in epitomen F. C. p. 38, ſqq.*

**) Flacianae controuerſiae hiſtoriam, ipſiusque erroris Flaciani rationem enarrat S. R. WALCHIVS, in *der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Euangeliſch-Lutheriſchen Kirche, part. 1, p. 112, ſeqq.* et *part. IV, p. 112, ſqq.* Quae ad ſequentium, in Formula Concordiae deciſarum, controuerſiarum hiſtoriam pertinent, omnia idem iſte, in hac introductione, laudabili opera congeſſit.

fuit inter A. C. theologos quoſdam, num homini poſt lapſum tantum reliquum ſit virium, vt is, nondum renatus, quando verbum Dei ei praedicatur, ad gratiam Dei apprehendendam aliquo modo ſeſe applicare, eam amplecti, et verbo Dei aſſentiri, ſicque adeo, naturalibus viribus, ad conuerſionem ſuam aliquid conferre, ſeu cooperari poſſit? *) Negatiuam tuebantur, quotquot, cum b. LVTHERO ſentientes, orthodoxae ſacrarum litterarum de libero arbitrio, et de conuerſione hominis, doctrinae inhaerebant; pro affirmatiua pugnabant PHILIPPI maxime diſcipuli, qui hoc ipſo nomine, quod naturalis irregenitique hominis voluntati in conuerſione συνέργειαν quandam attribuerent, *ſynergiſtae* appellabantur, ac *ſemipelagianis* annumerabantur. Hos inter, princeps facile fuit, antea memoratus, VICTORINVS STRIGELIVS, **) acerrimus ſynergiſmi ὑπερασπιστής. Neque vero FLACIVS ſolum ei reſtitit, ſed etiam aduerſus eundem, pariter, atque caeteros, ſynergiſtico addictos errori, Vitembergenſes in primis theologos,

*) F. C. p. 578, 581, 655.

**) *De vita et controuerſiis* VICT. STRIGELII ſingularis extat diſſertatio, praeſide CHRISTIANO EBERH. WEISMANNO, habita Tubingae, anno MDCCXXXII.

OB MAIOREM, PAVL. EBERVM, et PAVL. CRELLIVM, itemque IOH. PFEFFINGERVM, et IOH. STOESSELIVM, TILEM. HESHVSIVS, IOH. WIGANDVS, NIC. AMSDORFIVS, aliique complures orthodoxam doctrinam defenderunt.

IIII

Tertia, ad quam definiendam Formulae Concordiae auctores operam ſuam contulerunt, controuerſia eſt *de iuſtitia fidei*, ANDREAE OSIANDRI, theologi t. t. Regiomontani, excitata commento, quo is, per iuſtitiam Dei eſſentialem, quae ipſe ſit Chriſtus, vt verus, naturalis et eſſentialis Dei filius, per fidem in electis habitans, eoſque ad bene operandum impellens, nos ſtatuit iuſtificari.*) Hunc nimirum, coniunctumque cum illo errorem, quod Chriſtus, ſecundum diuinam naturam tantum, noſtra ſit iuſtitia, vbi OSIANDER in ſolemni, Regiomonti, anno MDL, habita propoſuit diſputatione, graues hinc enatae ſunt concertationes, cum nec in Boruſſia, nec in Germania deeſſent, qui partibus eius fauerent, et ſententiae ipſius ore, calamoque ſuffragarentur; meliorum vero partium theologi

*) F. C. p. 583, 682, ſqq.

logi primarium euangelicae de iuſtificatione doctrinae articulum Oſiandriſtica corruptela labefactari haud paterentur, editiſque illam refellerent ſcriptis. OSIANDRI aduerſariis cum ſeſe adiunxiſſet FRANCISCVS STANCARVS, ortu Mantuanus, et linguae Hebraeae in academia Regiomontana profeſſor, in confutando illo, aeque grauem de Chriſto, ſecundum humanam duntaxat naturam, mediatore noſtro, admiſit errorem.

V

Sequitur, *de bonis operibus*, quae inter theologos quoſdam A. C. orta eſt, controuerſia. Diſceptatum eſt cum de eo, an bona opera ad ſalutem ſint neceſſaria? tum de neceſſitatis vocabulo, num de bonis operibus illud ſit adhibendum? *) De bonorum operum *ad ſalutem neceſſitate* lis praecipue fuit cum GEORGIO MAIORE, celebri theologo Vitembergenſi, vnde etiam controuerſia illa *Maioriſtica* appellari ſolet. Etenim MAIOR illam, qua theologi electorales Saxonici, in reſponſo de libro *Interim*, vſi fuerant, de bonis operibus, ad ſalutem neceſſariis, loquendi formam, aliquot editis ſcriptis, defendere

 inſti-

*) *F. C. p. 588, 698, ſq.*

inſtituit, haecque addidit pronuntiata: neminem abſque bonis operibus eſſe ſaluatum; et, impoſſibile omnino eſſe, vt vllus homo abſque bonis operibus poſſit ſaluari. MAIORIS, adiutoriſque eius, IVSTI MENII, ſententiam grauiter impugnarunt, et bona opera ad ſalutem neceſſaria dicere, a forma ſanorum verborum alienum eſſe, eaque aſſertione, quocunque illa explicetur modo, bona opera *ſalutis* conſtitui *cauſam*, demonſtrarunt NICOLAVS AMSDORFIVS, MATTHIAS FLACIVS, IOH. WIGANDVS, aliique complures. Neque vero MAIOR pertinaciter in ſententia ſua permanſit, quin potius, vbi propoſitionem illam: bona opera ad ſalutem ſunt neceſſaria, ambiguam eſſe, et ab erroneo ſenſu liberari non poſſe, perſpexit, eandem ipſe repudiauit. Caeterum in Maioriſtica hac controuerſia idem vſu venit, quod in Synergiſtica accidit, et Oſiandrina. Nam cum NIC. AMSDORFIVS bonorum operum ad ſalutem neceſſitatem acriter impugnaret, in alterum incidit extremum, et, bona opera *ad ſalutem noxia et pernicioſa* eſſe, pronuntiauit.

De altera ſupra dicta quaeſtione, num bonis operibus neceſſitatis conueniat praedicatum, diſputandi cauſam dederunt antinomi, qui bona opera *neceſſaria* dicenda eſſe negarunt,

runt, eo quod *libera* illa ſint, et ſpontanea. Ineptiſſime ſcilicet illi ex neceſſitate ordinis, mandati, et voluntatis diuinae, cuius intuitu bona opera neceſſaria dicuntur, quaeque minime omnium contraria eſt libertati, cuius reſpectu eadem illa libera ſunt, et ſpontanea, coactionis confinxerunt neceſſitatem; tum vero iidem diſputationem illam ad primarium ſuum de regenitorum libertate ab obedientia legi diuinae praeſtanda, errorem propugnandum tranſtulerunt.

VI.

In quaeſtionem porro venit, an *Euangelium* proprie ſit tantummodo concio de gratia Dei, et remiſſione peccatorum, per fidem in Chriſtum, num vero etiam ſit *concio poenitentiae, arguens peccata*, cum maxime peccatum incredulitatis.*) In ipſa quidem Confeſſ. Auguſt. Apologia, *p. 71.*, et *p. 165*, de Euangelio dicitur, quod concio ſit poenitentiae, arguatque peccata: Euangelii autem vocabulum, in latiori, quo in ipſis quoque ſacris litteris aliquando vſurpatur, ſignificatu, pro tota videlicet Chriſti et Apoſtolorum doctrina, legem et euangelium in ſe continente,

 ibidem

*) *F. C. p. 591, 709.*

ibidem accipi, ex contextu manifeſtum eſt. Nec aliter id accepit PHILIPPVS, vbi in ſcriptis ſuis eadem illa vſus eſt phraſi. At enimvero ex diſcipulis eius quidam fuerunt, qui Euangelium, proprie et ſtricte ſic dictum, peccata, in primis peccatum incredulitatis, arguere, affirmarunt. His, qui ad alteram *antinomorum* referendi ſunt claſſem, aſſertione iſta ſua, legis et euangelii, ſummo ſtudio ſeruandum, tollentibus diſcrimen, eam obrem contradixerunt recte ſentientes.

VII

Poſteaquam IOHANNES AGRICOLA, *Iſlebius*, mortuo LVTHERO, ad ἀντινομίαν ſuam rediit, varii generis inde extiterunt *antinomi*, quorum alii, AGRICOLAE penitus inhaerentes errori, legem ex eccleſia Chriſtiana exterminari et eiici voluerunt, ita vt nec conuertendis ſit praedicanda; alii, de quibus modo dictum eſt, non legem tantum, ſed etiam euangelium, ſtricte dictum, concionem poenitentiae eſſe, et peccata arguere, ſtatuerunt. Antinomi vero etiam dicti ſunt, qui vſum *didacticum*, quem lex conuerſis et iuſtificatis praeſtat, quatenus norma eſt agendorum et fugiendorum, ei denegarunt, renatiſque adeo legem haudquaquam proponendam

eſſe,

eſſe, docuerunt. Pauci quidem illi fuerunt, inque horum numerum ANDREAS MVSCVLVS refertur, qui vero errorem ſuum poſtea agnouit, eundemque abiecit. Controuerſiae de didactico, ſeu normali legis, quoad renatos, vſu motae, definitioni dicatus eſt Formulae Concordiae articulus ſextus.

VIII

Inter controuerſias, quae condendae Formulae Concordiae cauſam dederunt, praecipua facile eſt illa, quam de *Coena Domini* excitarunt *Crypto Caluiniani.* Dicti hoc nomine ſunt, qui Auguſtanae Confeſſionis, de vera et reali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia, doctrinae addictos ſe ſimularunt, noſtriſque ex parte vſi ſunt verbis, re ipſa autem cum Caluinianis conſenſerunt, improbatumque et damnatum in Confeſſione Auguſtana, eiuſque Apologia, Zwinglianum errorem ſuis comprobarunt doctrinis. *Verſutis* nimirum hi et *callidis*, qui in Formula Concordiae, *p. 598*, appellantur, et a *craſſis* diſcernuntur, *ſacramentariis* ſeſe adiunxerunt. Primas inter eos egerunt theologi Vitembergenſes, nominatim CHRISTOPHORVS PREZELIVS, HENRICVS MOLLERVS, CASPAR CRVCIGER, Caſp. Fil. FRIDERICVS WIEDEBRA-

DEBRAMVS. Scripta, quibus crypto-caluiniſmum prodiderunt, potiora haec ſunt: *catecheſis*,*) *ſtereoma*,**) *conſenſus Dreſdenſis*,***) *exegeſis perſpicua controuerſiae de Coena Domini*.****) Fortiter iiſdem ſe opponuerunt,

*) *Catecheſis* haec, HVB. LANGVETI, et CASP. PEVCERI, MELANCHTHONIS generi, et crypto-caluiniſmi patroni maximi, conſilio, et inſtinctu, a PEZELIO conſcripta, prodiit Wittebergae, anno MDLXXI, in 8.

**) Liber hic Germanice compoſitus, cum addita defenſione catechiſmi, ibidem, eodemque anno, prodiit, hoc titulo: *Von der Perſon vnd Menſchwerdung unſers Herrn IEſu Chriſti der wahren chriſtlichen Kirchen* GRVNDFESTE *wider die neuen Marcioniten etc. unter dem Flacianiſchen Hauſen, durch die Theologen zu Wittenberg* etc.

***) Cum in conuentu theologorum Saxonicorum Electoralium, Dreſdae, menſe Octobri, anno MDLXXI, habito, perſpicuam iidem doctrinae de Coena Domini confeſſionem exhibere, ab AVGVSTO iuſſi fuiſſent, hocce Vitembergenſes confecerunt ſcriptum, Latine et Germanice, eodem illo editum anno. Germanicae editionis Dreſdenſis titulus hic eſt: *Kurze, chriſtliche und einfeltige Wiederholung der Bekentnis der Churſaechſiſchen Kirchen von dem H. Nachtmahl des Herrn Chriſti, ſamt denen zu der Zeit in Streit gezogenen Artickeln von der Perſon und Menſchwerdung Chriſti, ſeiner Maieſtaet, Himmelfarth und Sitzen zur Rechten GOttes. In der chriſtlichen Verſammlung zu Dreſden geſtellt, den 10. Octobr. Mit einhelligen Conſens der Vniverſitaeten Leipzig und Wittenberg* etc.

****) Hoc in libro, a theologis Vitembergenſibus, anno MDLXXIV, ἀνωνύμως edito, cum Sacramentariorum

poſuerunt, technaſque eorum ſolide confutarunt non Ienenſes theologi ſolum, ſed etiam quamplurimi alii eccleſiarum et academiarum euangelicarum doctores orthodoxi.

IX

Cum ea, de qua modo diximus, controuerſia coniuncta fuit *de perſona Chriſti* diſceptatio. Etenim Zwingliani et Caluiniani realem et ſubſtantialem corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentiam hoc maxime impugnabant argumento: corpus Chriſti coelo eſſe incluſum, ac proinde in ſacrae coenae celebratione adeſſe non poſſe. Falſiſſimae huic, et ſacrarum litterarum de idiomatum diuinorum, ſpeciatimque omnipraeſentiae, per vnionem perſonalem, carni Chriſti facta communicatione, doctrinae repugnanti aſſertioni Crypto-Caluiniani, in illis, quorum paullo ante mentionem fecimus, aliiſque adhaeſerunt ſcriptis.

tariorum errores apertius illi profeſſi fuiſſent, eo ipſo Crypto Caluiniſmum ex eccleſiis Saxonicis tum temporis eiiciendi dederunt occaſionem. De hoc, et caeteris, quae Crypto Caluiniani ediderunt, tum vero etiam de illis, quae orthodoxi iiſdem oppoſuerunt, ſcriptis vberius expoſuit b. VALENT. ERN. LOESCHERVS, in *der hiſtoria motuum zwiſchen den Euangeliſch-Lutheriſchen und Reformirten, part. III, cap. 9, et 10, p. 143, ſeqq.* Conf. WALCHIVS, *l. ſ. c. part. IIII, p. 69, ſqq.*

ſcriptis. Euangelicam igitur de perſona Chriſti, carniſque ipſius omnipraeſentia doctrinam etiam contra illos aeque, ac Caluinianos, orthodoxi theologi in oppoſitis eis ſcriptis aſſeruerunt.

X

De *deſcenſu Chriſti ad inferos* non vna eademque noſtratium theologorum fuit ſententia. Quidam enim, praeſertim IOHANNES AEPINVS,*) de doloribus infernalibus, quos anima Chriſti poſt mortem ſuſtinuerit, illum expoſuerunt, eundemque ad exinanitionis retulerunt ſtatum. Cum aliae quoque de hoc articulo motae fuerint quaeſtiones, Formulae Concordiae conditores, in *articulo IX*, *p. 613*, et *788*, de conſilii ſententia pronuntiarunt, a diſputationibus hac de re abſtinendum, et articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos quam ſimpliciſſime credendum eſſe, et docendum, prout eum b. LVTHERVS in

*) IOHANNIS AEPINI, *Doctoris Theologi, et primi Hamburgenſium Superintendentis*, *memoriam inſtauratam* ARNOLDVS GREVIVS edidit Hamburgi, anno MDCCXXXVI, in 4. Hoc in libro, *p. 82. ſqq.* AEPINI de deſcenſu Chriſti ad inferos ſententiam clariſſime is expoſuit, examinauitque, et controverſiae, inter ipſum et collegas eo nomine agitatae, hiſtoriam exhibuit, ex ipſis miniſterii Hamburgenſis actis deſcriptam.

in concione Torgauiae, anno MDXXX, habita, pie admodum explicauit.

XI

Adiaphoriſticae, de qua in *articulo X* Formulae Concordiae agitur, controuerſiae, magna contentione agitatae, prima origo repetenda eſt ab *Interim* Auguſtano, hoc eſt, religionis formula, quam Caeſar CAROLVS V, bello Smalcaldico confecto, eum in finem, vt, praeſcripto illius, vſque dum in generali concilio Romano Catholicos inter et Euangelicos tolleretur diſſenſio, *interea* temporis religionis conformaretur ratio, a delectis ad id negotium triumuiris, IVLIO PFLVGIO, Numburgenſi epiſcopo, MICHAELE HEDINGIO, *Sidonio*, poſtea Martiſburgenſi epiſcopo, et IOHANNE AGRICOLA,*) componendam curauit, et in comitiis imperii *Auguſtanis*, anno MDXLIIX, ſolemniter promulgauit.**) Saxoniae

*) Vid. IO. SLEIDANVS, *commentar. lib. XX, p. 600*,

**) *Interim Auguſtani*, quod *Ratiſbonenſi*, conuocatis ad colloquium, anno MDXLI, theologis, Caeſaris nomine, propoſito, ſucceſſit, hiſtoriam deſcripſerunt AD. RECHENBERGIVS, in peculiari diſſertatione, Lipſiae, a. MDCLXXXIII; IOH. ERDM. BIECK, in *der dem dreyfachen Interim vorgeſetzten Interims-hiſtorie, cap. II, p. 13, ſqq.* aliique. Add. C. A. SALIG, *hiſt. Aug. Conf. part. I, p. 564, ſqq.* et WALCHIVS, *l. c. p. 257, ſqq.*

Saxoniae Dux, ad Septemuiratum a Caeſare euectus, MAVRITIVS, mox inde regionum ſuarum theologis mandauit, vt formulam illam expenderent, et quo vſque Caeſaris voluntati, ſalua conſcientia, morem geri poſſe, arbitrarentur, ſcripto ſignificarent. Hi, crebris actis conuentibus,*) formulam iſtam, infucata Romanae eccleſiae placita in ſe continentem, examinarunt, et fidei quidem, propoſitas in ea, doctrinas non admittendas eſſe, cenſuerunt, Sphingemque Auguſtanam eo nomine reiecerunt, quoad cultum autem externum, caerimonias illas, quae impietatis nihil admixtum haberent, *adiaphora* quas appellabant, praeſentis periculi euitandi cauſa, ex Principis Electoris Saxoniae ſententia, recipi poſſe, iudicarunt. Compoſitum hoc nomine ab illis ſcriptum, probatum eſt MAVRITIO, qui eidem, in comitiis, ſub finem anni MDXLIIX, Lipſiae

*) Conuentus, anno MDXLIIX, inſtituti ſunt *Miſenae*, *Peganiae*, *Torgauiae*, tandemque *Cellae*, vbi de ritibus et caerimoniis, iuſſu Pr. Electoris, compoſitum eſt ſcriptum. Theologi, qui conuenerunt, praeter GEORGIVM, principem Anhaltinum, fuerunt, Vitembergenſes, PHIL. MELANCHTHON, PAVL. EBERVS, IOH. BVGENHAGIVS, GE. MAIOR; itemque IOH. PFEFFINGERVS, DAN. GRESERVS, IOH. FOERSTERVS, Superintendentes. Praecipuae autem in hoc negotio PHILIPPI fuerunt partes.

Lipſiae celebratis, *comitialis decreti* tribuit auctoritatem, et *ſummarium* illius, in quo caerimoniae, quibus cultum diuinum externum in prouinciis ſuis deinceps peragi volebat, conſignatae erant, in patente, quae dicitur, forma publicauit. Atque haec illa ſunt ſcripta, quorum alterum,*) *Interim Lipſienſe maius*, alterum,**) *Interim Lipſienſe minus*, MATTHIAS FLACIVS et NIC. GALLVS, primi appellarunt, quaeque longe maximas turbas et offenſiones, bellumque, *adiaphoriſticum* dictum, pepererunt. Praeter id enim, quod in maiore illo Interim Lipſienſi quaedam occurrerent dicta, quae non conſona prorſus erant ſanae doctrinae, antiadiaphoriſtis, minime ferendum eſſe, videbatur, vt, quae doctrina diſiunctiſſimae erant eccleſiae, externo coniungerentur cultu, euangelicique, in hoc maxime confeſſionis caſu, abrogatos pontificiorum reciperent ritus. Quin etiam inter illos ipſos ritus, qui, ſub titulo et praetextu adiaphororum, in vtroque Interim Lipſienſi erant praeſcripti, reperiebantur, qui, licet color eis inductus fuiſſet, verbo Dei aduerſabantur, ideoque adiapho-

*) *Beſchluß des Land-Tags zu Leipzig*, etc.

**) *Auſzug aus dem Beſchluß des iüngſtgehaltenen Land-tags zu Leipzig*, etc.

adiaphoris non poterant annumerari. Hinc cum auctoribus Interim Lipſienſis acriter diſputarunt, eorumque de adiapgoris ſententiam; praeter FLACIVM et GALLVM, NIC. AMSDORFIVS, IOH. AEPINVS, IOACH. WESTPHALVS, IOH. WIGANDVS, aliique impugnarunt. Itaque ad hanc etiam controuerſiam decidendam operam ſuam contulerunt Formulae Concordiae conditores. *)

XII

Harum igitur, quas breuiter hactenus enarrauimus, controuerſiarum dirimendarum cauſa, Formula Concordiae eſt concinnata. Tot enim tamque graues Auguſtanae confeſſionis theologorum de chriſtianae doctrinae articulis diſſenſiones, pertinaceſque contentiones, cum ipſis quidem euangelicis ſummum offendiculum, aduerſariis vero eccleſiam noſtram criminoſe

*) In *articulo* quidem *XI* F. C. auctores *de aeterna* etiam *praedeſtinatione et electione Dei* agunt; ſub initium autem notant, „de hoc articulo inter Au„guſtanae Confeſſionis nullam adhuc apertam, et „cum ſcandalo coniunctam, lateque ſparſam, con„trouerſiam eſſe exortam. Quia uero apud exte„ros de illo vehementer diſceptatum ſit, et inter „noſtros aliqnid gliſcere coeperit, vt omnes diſſen„ſiones et ſchiſmata apud poſteritatem praecaueantur, illius articuli declaratio vt huic ſcripto inſe„reretur, placuiſſe, dicunt, *p.797.* Conf. *Epit. p. 617.*

noſe inſectandi praeberent occaſionem, illamque ipſam in maximum periculum, et extremum paene adducerent diſcrimen,*) id ſecum expendentes, Auguſtanae Confeſſioni addicti, Electores, Principes, et S. R. I. in Germania ordines, vt indies magis magiſque creſcenti occurrerent malo, efficax circumſpicere coeperunt remedium, quo et lites omnes atque diſſidia tollerentur, et concors in eccleſia doctrina ſtabiliretur. Id quod feliciter effectum eſt, vbi, curante potiſſimum Principe Electore Saxoniae, AVGVSTO, delecti theologi, nominatim IACOBVS ANDREAE, Cancellarius et Praepoſitus Tubingenſis, MARTINVS CHEMNITIVS, Superintendens Brunſuicenſis, DAVID CHYTRAEVS, Theologiae Profeſſor Roſtochienſis, NICOLAVS SELNECCERVS, Theologiae Profeſſor et Superintendens Lipſienſis, ANDREAS MVSCVLVS, Theologiae Profeſſor Francofurti ad Viadrum, et CHRISTOPHORVS CORNERVS, Theologiae Profeſſor Francofurtanus, et Superintendens

*) *Emphatica* verba ſunt, quibus Elector Saxoniae, AVGVSTVS, haec diſſidiorum iſtorum mala, in conuentu theologorum Lichtenbergenſi, menſe Februario, a. MDLXXVI, habito, ſignificauit, idque in propoſitione ſua, quae extat in HVTTERI *Concordia concorde, cap. IX, p. 274 ſqq. ed. a. 1690.*

dens generalis Brandeburgicus, librum, cui Formulae Concordiae nomen poſtea datum eſt, compoſuerunt.

XIII

Qua ratione, AVGVSTI cum maxime auſpiciis, quibuſque auxiliis, Formula, quae dicitur, Concordiae a laudatis theologis fuerit compoſita, et, quae ad hiſtoriam eius pertinent, omnia, neceſſariis eam in rem inſtructus praeſidiis, fuſe copioſeque perſcripſit LEONHARDVS HVTTERVS, in praeſtantiſſimo, *de origine et progreſſu Formulae Concordiae*, opere, quod, ſub titulo: *Concordiae concordis*, RODOLPHI HOSPINIANI *Concordiae diſcordi*, mendaciorum et calumniarum pleno libro, oppoſuit, ac Vitembergae, anno MDCXIIII, publica edidit auctoritate.

XIIII

Nos praecipua paucis percenſebimus momenta. Anno, ſupra milleſimum et quingenteſimum, ſexto et ſeptuageſimo, Princeps Elector Saxo, AVGVSTVS, communicato cum aliis principibus conſilio, conuentum indixit *Torgauienſem*, conuocatiſque ad eum theologis, quorum praecipui erant ſex illi, paulo ante nominati, ſignificauit, velle ſe, vt exortas, agitataſque inter noſtrates controuerſias omnes cura-

curatius expenderent, eaſque ad Verbi diuini normam deciderent, atque conciliarent. Reddita ipſis ſunt, quae ad inſtitutum hoc ſpectabant, quaeque ad Electorem miſſa fuerant, ſcripta, *formula* videlicet *concordiae inter Saxonicas et Sueuicas eccleſias*, et *formula Maulbrunnenſis*. Hi, vtriuſque formulae habita ratione, mandatum concinnarunt ſcriptum, confectumque id exhibuerunt AVGVSTO; qui exempla eius ad euangelicos principes, ordineſque miſit, vt reſciſceret, quid ipſorum theologi de illo iudicarent.

Complura cum adueniſſent iudicia, ſententiae atque cenſurae, inſequente ſeptimo et ſeptuageſimo anno, menſe Martio, iidem, qui primas in Torgauienſi conuentu egerant partes, theologi in coenobio *Bergenſi*, prope Magdeburgum, conuenerunt, tranſmiſſaque iudicia ponderarunt, quamque Torgauiae conſcripſerant, formulam recognouerunt, pluribuſque in locis mutarunt. *) Propterea, *Torgauienſis*

 quae

*) Cum ſcire, iuuet, quaenam in *Torgauienſi* ſcripto factae fuerint mutationes, et in quonam illius et *Bergenſis* differentia conſiſtat, laudabili opera, ſtudioque, S. R. IACOBVS HENRICVS BALTHASAR, poſtquam Torgauienſis formulae nactus eſt exemplum MS; illam ipſam cum Bergenſi formula conferre, factaſque mutationes obſeruationibus ſuis illuſtrare, inſtituit; idque in libro, cuius ſex, inde

quae adhuc dicta fuerat, *Bergenſis formula* appellari coepit. Eodem in conuentu epitomen iidem confecerunt, quae, ſolidae praemiſſa declarationi, primam Formulae Concordiae conſtituit partem.

Recognitam in Bergenſi coenobio, perfectamque Concordiae formulam Principes Electores, Saxo et Brandeburgicus, iiſdem, quibus Torgauienſe miſerant ſcriptum, principibus et S. R. I. ordinibus miſerunt: quorum quidem plerique, vna cum theologis ſuis et eccleſiarum ſcholarumque miniſtris, ſolemni illam comprobarunt *ſubſcriptione*. Hanc libere ab omnibus factam fuiſſe, indubitata confirmant documenta; hiſque ipſis mendacia et calumniae aduerſariorum conuelluntur.

Quandoquidem autem ii maxime, qui proſcriptis fauebant erroribus Caluinianis, *Haſſiaci*, *Palatini*, *Anhaltini*, *Bremenſes*, et caeteri, non ſolum ſubſcriptionem formulae huic denegabant, ſed etiam variis eandem onerabant incu-

inde ab anno MDCCXLI, Gryphiſwaldiae prodierunt partes, et cui titulum fecit; *Hiſtorie des Torgiſchen Buchs, als des naechſten Entwurffs des Bergiſchen Concordien-Buchs, darin deſſelben Verfertigung und Veraenderungen, nebſt andern zur Hiſtorie des Concordien-Buchs gehoerigen und biſher unbekannten Nachrichten erzehlet und erlaeutert werden.*

inquiſitionibus, id operam dederunt noſtri, vt obiecta diluerent; compluresque hoc nomine conuentus, anno MDLXXVII, acti, et cum diſſidentibus colloquia ſunt inſtituta.

Fruſtra omni eam in rem adhibita cura, ſtudioque, nonnullis etiam, ſingulares ob cauſas, recuſantibus ſubſcriptionem, *) AVGVSTVS, conſociatique cum eo principes et ordines publicam Formulae Concordiae editionem non diutius differendam, ac procraſtinandam eſſe, cenſuerunt. Cumque Concordiae libro praefigenda eſſet *praefatio*, in qua et inſtituti ratio ac modus, et finis atque vtilitas exponerentur,

*) Paucis, hac occaſione, mentio facienda eſt odii, quod in Formulam Concordiae FRIDERICVS II, Daniae Rex, concepit. Ferunt, Regem, ſibi a ſorore ſua, AVGVSTI, Saxoniae Pr. Electoris, coniuge, tranſmiſſam eam in ignem, cui in cubiculo aſſederit, conieciſſe. Narrationem quidem iſtam, quam auide amplexi ſunt libri Concordiae hoſtes, falſam, et pro fabula habendam eſſe, demonſtrare annixus eſt IO. HERMANNVS AB ELSWICH, in *diſquiſitione hiſtorica de Formula Concordiae, num in Dania ſit combuſta, edita Vitembergae, anno MDCCXVI.* Rationes vero ipſius refellere inſtituit ANDREAS HOIERVS, *de rebus Danicis, p. 292.* Alieno Regem a Concordiae libro animo fuiſſe, ſatis conſtat. Id inſtinctui potiſſimum CAROLI DANCAEI, Caluiniani, Regis Galliae ad ipſum legati, tribuit OTTO FRID. SCHVTZIVS, de *vita Chytraei, lib. II, §. 64, pag. 455.*

rentur, hanc, a IACOBO ANDREAE ſcriptam, et a delectis ex politicorum pariter, atque theologorum ordine viris ſumma cura recognitam, iidem approbarunt.

Sicque tandem, propitio Deo, hoc tam ſalutare, tamque ſumme neceſſarium concordiae inter theologos, Auguſtanae Confeſſioni addictos, ſtabiliendae negotium, poſt tot in id impenſas curas atque operas, tot erogatos ſumtus, tot ſuperatas difficultates, ad exoptatum perductum eſt finem; et *Concordiae Formula*, libris eccleſiae euangelicae ſymbolicis adiuncta, *Dreſdae, octogeſimo ſupra milleſimum et quingenteſimum anno*, eſt publicata.

XV

Vixdum in publicam Concordia prodierat lucem, cum infeſto animo eam oppugnarent Caluiniſmo clam palamue addicti. Neque vero in defendenda illa partibus ſuis defuerunt noſtrates, praeſertimque TIMOTHEVS KIRCHNERVS, NIC. SELNECCERVS, et MART. CHEMNITIVS, in *Apologia libri Concordiae*, Germanice publica conſcripta auctoritate, potiora eorum ſcripta confutarunt. Ex Romanenſibus etiam IOH. NASSVS, IOH. PISTORIVS, WILH. LINDANVS, et alii publicatae Concordiae inſultarunt, praeſertimque ROB.

BEL-

BELLARMINVS iniquiſſimum de illa, Ingolſtadii, anno MDLXXXVI, edidit *iudicium*, cuius vero ſycophantias mox theologi Tubingenſes, tum et alii profligarunt.

Quin etiam inteſtinum de Formula Concordiae exortum eſt bellum. Nam ex illis ipſis, qui ei ſubſcripſerant, quidam, *Helmſtadienſes* nimirum theologi, TILEMANNO HESHVSIO duce, primum diſcrepantiam editionis Dreſdenſis et exempli MSti accuſarunt, indeque, cum in ipſa Formula Concordiae, eiusque interpretatione Latina, tum in praefatione Concordiae libri, aliqua reprehenderunt. Actum cum ipſis eſt in *colloquio*, quod, prouidentia et auctoritate Pr. Electorum, Palatini, Saxonis, Brandeburgici, habitum eſt *Quedlinburgi*, ſub initium anni MDLXXXIII. Conſenſerunt quidem illi de nonnullis; expoſitam vero in Formula Concordiae de omnipraeſentia humanae Chriſti naturae doctrinam, a qua in primis diſſidebant, admittere noluerunt, ſed pertinaciter eam impugnarunt.

XVI

Non iuuat, referre, quot, quibuſque iniuriis, ad hodienum vſque diem, Concordiae Formulam laceſſere inſtituerint, capitali eius incenſi odio, tam externi, quam domeſtici veri-

tatis hoſtes.*) Tantum autem abeſt, vt quid ea inde ceperit detrimenti, vt potius, inanibus aduerſariorum compreſſis conatibus, diuino numine ſarta tecta fuerit conſeruata. Ea vtique illa ipſa gaudet dignitate, vt pleraeque omnes, quotquot in Germania, aliiſue regionibus

*) Ad inteſtinos iſtos hoſtes et Formulae Conc. oppugnatores, quorum familiam ducit famoſus ille haereticorum patronus, GODOFREDVS ARNOLDVS, in *hereſiologia*, ſeu *Kirchen- und Ketzerhiſtorie*, *part. II, lib. XVI, c. 18, p. 213, ſqq.* nuperrime acceſſit auctor libri, Duiſburgii, anno 1747, in 4. euulgati. Titulus libri eſt: *Anmerkungen über das Concordien-buch, worinnen daſſelbe nach der Richtſchnur der Heil. Schrift geprüfet, gegen die Schwaebiſche und Niederſaechſiſche Formulen und das Torgauiſche Buch gehalten, auch aus vielen Manuſcriptis und andern Urkunden erlaeutert, und wo es noethig, widerleget wird. Nebſt einer hiſtoriſchen Nachricht von den Auctoribus und andern merckwürdigen Umſtaenden des Concordien-buchs. Verfaſſet von I. P. T.* Quid dignum tanto fert hic promiſſor hiatu? Profligatas dudum repetit calumnias, et conuicia, iiſque Concordiae librum et auctores eius proſcindit, et omnes ac ſingulos doctrinae chriſtianae articulos, in Formula Concordiae declaratos, miſerandum inquinat in modum, ὀρθοδοξίας cuius rudis ipſe eſt et ignarus, infeſtiſſimus oſor. Quod ſi quis libri huius, qui cauillationum, falſarumque et fanaticarum opinionum eſt πολυμιξία, ſuſciperet confutationem, ei Augiae ſtabulum repurgandum foret. Recenſio eius extat in *volumine III der Berliniſchen Bibliotheck, p. 747, ſqq.* vbi etiam, *p. 750*, auctor illius indicatur.

nibus, Auguſtanae addiſtae ſunt Confeſſioni; eccleſiae explicatam in illa veritatem coeleſtem ſumma conſenſione profitentur.*)

Silentio hoc loco praetereunda haud eſt Pr. Electoris Saxoniae, IOHANNIS GEORGII II, glorioſae memoriae, pietas, qua is ductus, illo ipſo die, quo, centum annis ante, Formula Concordiae Torgauiae coepta eſt adornari, die videlicet VII Iunii, anno MDCLXXVI, ſolemnem theologorum in illa vrbe inſtituit conuentum, ac praeſens ipſe, cum primariis publicae rei adminiſtris, et FILIO ſuo, conuocatiſque praecipuis theologis Lipſienſibus et Vitembergenſibus, *hilaria euangelica* celebrauit.**) Secularem idem ille religio-

*) Symbolicam Formula Concordiae in iis etiam eccleſiis Euangelico Lutheranis, a quibus primum recepta haud eſt, poſtea obtinuit auctoritatem, v. c. apud *Holſatos*, *Argentoratenſes*, *Pomeranos*, etc. Cum doctrina illius etiam conſentiunt *Norimbergenſes*, et, a maioribus ſuis diuerſi, *Helmſtadienſes*. Vid. H. C. LENCKERI *de Corporis doctrinae Iulii et Formulae Conc. conuenientia diſſ. ſub praeſidio* IONAE CONR. SCHRAMMII *habita*, *Helmſt. a.* 1726, *p.* 47, et, quam praeſes addidit, epiſtola.

**) Conuentus huius et ſacrorum ſolemnium, (quorum I. A. SCHERZERVS, in *epiſt. dedicat. ſyſtem. theol.* A. RECHENBERGIVS, in *append. ad libr. ſymb. part.* I, *c.* 6, *p.* 36; H. PIPPINGIVS, in *introd. ad libr. ſymb. c.* VIII, *p.* 133, *ſq.* I. S. MÜLLERVS, in *annal. Sax. p.* 524; CHRIST. IVNCKERVS,

religioſiſſimus Princeps publicati Concordiae libri memoriam, anno MDCLXXX, celebraturus erat, niſi, quae in annum illum inciderunt, publica patriae calamitas, ipſiusque fatum, quod animo deſtinauerat, interuertiſſent.

XVII

Quemadmodum Formulae Concordiae *neceſſitatem* cauſae, ob quas compoſita ea fuit, antea memoratae, declarant, ita *vtilitatem* eius egregia, quae ex illa in eccleſiam euangelicam redundarunt, comprobant emolumenta.*) Eximia eandem gaudere *praeſtantia*, res ipſa loquitur, ſiquidem ab excellentiſſimis et ὀρθοδοξοτάτοις theologis, qui maximo ſtudio et diligentia in concinnanda illa deſudarunt, atque elaborarunt, articuli controuerſi omnes, ad ſacrarum litterarum normam, ea expoſiti ſunt accuratione, vt, veriſſimo SALOM. GESNERI iudicio, "nullum in vllo vſpiam concilio,

RVS, in *dem Ehrengedaechtniß* LVTHERI, *p.* 495, mentionem faciunt,) acta MSS. a beato auo, MARTINO GEIERO, qui praecipuam eorum curam geſſit, litteris conſignata, poſſidemus.

*) De commodis, ex Formula Concordiae in eccleſiam et rem publicam redundantibus, data opera expoſuit, ſigillatimque octo vtilitates eius commemorauit GOTTLIEB WERNSDORFIVS, in *programmate, edito Vitembergae, anno* MDCC.

lio, vel oecumenico, vel nationali, ſimile, ſymbolum fuerit publicatum.„ Hinc et *ſymbolica* ipſi vtique competit *auctoritas*, et in eccleſiis euangelicis, quibus formula haec, ſummarum poteſtatum auſpicio, tradita, et a quibus recepta eſt, ſacro miniſterio, aliiſue officiis publicis praeficiendi iure ad eam adſtringuntur.*)

XIIX

Articuli, de quibus inter nonnullos theologos, Auguſtanae Confeſſioni addictos, diſceptatum fuit, in Formula Concordiae, ad controuerſias de iiſdem decidendas comparata, hoc pertractantur modo, vt, ſtatu controuerſiae, quoad omnes et ſingulos, rite formato, ſincera primum et cum Scriptura ſacra, Confeſſione Auguſtana, eiuſque Apologia, et caeteris libris ſymbolicis conſentiens doctrina proponatur, atque confirmetur, ac deinde falſa, quae illi repugnant, dogmata, omiſſis auctorum nominibus, refellantur, et reiiciantur. Praemittitur *de compendiaria regula atque norma, ad quam omnia dogmata exigenda, et, quae inciderunt, certamina pie declaranda et componenda ſunt,* expoſitio. Sequuntur articuli, hoc ordine:

I. *de*

*) Vid. SEBAST. SCHMIDII *diſputatio theologica de obligatione Formulae Concordiae, p.p. Argentorati, a. MDCLXXX.*

I *de peccato originis*, II *de libero arbitrio*, III *de iuſtitia fidei coram Deo*, IV *de bonis operibus*, V *de lege et euangelio*, VI *de tertio uſu legis*, VII *de coena Domini*, VIII *de perſona Chriſti*, IX *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, X *de adiaphoris*, XI *de praedeſtinatione*. Additur XII *haereticorum et ſectariorum, qui Auguſtanam Confeſſionem nunquam amplexi ſunt*, Anabaptiſtarum videlicet, Schwenckfeldianorum, Neo-Arianorum, et Neo-antitrinitariorum, notatio, qua errores illorum recenſentur, et damnantur. Duae libri ſunt partes, quarum altera, *Epitome*, altera, *ſolida, plana et perſpicua Declaratio* appellatur. In illa nimirum breuiter, ſummatimque dicuntur, quae in hac copioſus explicantur. Teſtimoniorum Scripturae et antiquitatis catalogus, Formulae Concordiae ſubiunctus, pro parte illius non eſt habendus. *)

XIX

Authenticus Formulae Concordiae, lingua *Germanica* ſcriptae, textus in principe *Concordiae Germanicae, Dreſdae, anno MDLXXX, in folio*, **) publicata editione, tum vero etiam in

*) Vid. HVTTERVS, *cap. XLV, p. 1062*, et REINECCIVS, in *edit. Concordiae Germ. Lat. II, p. 75, ſq.*

**) Bis, ſaepiuſue Concordia Germanica, eodem anno MDLXXX, Dreſdae typis excuſa eſt, quaeque

in omnibus, quae ad illam conformatae ſunt, Concordiae Germanicae editionibus*) exhibetur.

Latina Formulae Concordiae *interpretatio*, primae libri Concordiae editioni Latinae, Lipſiae, anno MDLXXX, inſerta, auctorem habet LVCAM OSIANDRVM, theologum Tubingenſem.**) Quod cum exemplo Germanico non prorſus ea congrueret, NICOLAVS SELNECCERVS primum,***) indeque theologi,

in primam ἔκδοσιν irrepſerant, typographica in iterata editione ſublata ſunt menda. MStum, ex quo impreſſa illa eſt Dreſdae, in aedis Crucianae ſacello aſſeruari, refert C. IVNCKERVS, *l. c. p. 358.* In conuentu, Quedliuburgi, a. MDLXXXIII, habito, cum ἀυτογράφῳ exempla tria diligentiſſime collata, eaque in Electorum, Palatini, Saxonis et Brandeburgenſis, optimo conſilio, repoſita ſunt archiuis, teſte HVTTERO, *c. XLV, p. 1051.*

*) Germanicae Concordiae editiones PHIL. FRID. HANE, *hiſt. criticae Aug. Conf. ſect. I, c. 1, §. 8, p. 38, ſq.* recenſet. Singulari commendatione dignae ſunt, tum illa, quae, cum HENRICI PIPPINGII *introductione in libros noſtros ſymbolicos hiſtorico theologica,* hic Lipſiae, anno MDCCIII, in 4. prodiit, cum b. CHRISTIANI WEISII epilogo, anno MDCCXXXIX, recuſa, tum maxime Germanico Latina Concordia, quam, egregio docentium, diſcentiumque commodo, CHRISTIANVS REINECCIVS procurauit.

**) Vid. acta diſputationis Quedlinburgenſis, apud HVTTERVM, *c. XLV, p. 1060.*

***) Vid. O. F. SCHVTZIVS, *l. c. lib. II, p. 543.*

logi, qui ad colloquium conuenerant Quedlinburgenſe, illius ſuſceperunt emendationem. Horum emendata curis, Latina verſio, alteri, anno MDLXXXIIII, debito ſtudio diligentiaque accuratae, *Concordiae* Latinae illata eſt editioni Lipſienſi; eademque in compoſitis ad alteram hanc Concordiae ἔκδοσιν librorum ſymbolicorum editionibus extat.

Eximiam libro huic ſymbolico ſpeciatim explicando theologi noſtrates operam impenderunt. Etenim, vt nonnullos eorum memorem, LEONH. HVTTERVS, SALOMON GESNERVS, CHRISTIANVS CHEMNITIVS, IOH. HVLSEMANNVS, FRID. RAPPOLTVS, IOH. MVSAEVS, SEB. SCHMIDIVS, praelectionibus, diſſertationibuſue, publico commodo editis, Formulam Concordiae laudabiliter expoſuerunt.

INSTITVTIONES
THEOLOGIAE
SYMBOLICAE.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE
CAPVT I
DE SCRIPTVRA SACRA
CHRISTIANAE FIDEI DOCTRINAE PRINCIPIO ATQVE NORMA.

SECTIO I
HISTORICA.

I

Quanquam de Scriptura ſacra in CONFESSIONE AVGVSTANA ſingulari non exponitur articulo, attamen pii confeſſores noſtri, in praefatione ad Caeſarem CAROLVM V, eccleſiarum euangelicarum doctrinam, in confeſſione ſummatim exhibitam, *ex ſcripturis ſanctis, et puro verbo Dei, (aus grunde goettlicher heiliger Schrifft,)* deſumtam eſſe, vere affirmantes, hoc ipſo Scripturam ſacram, pro

chriſtianae fidei ac religionis principio atque norma a ſe haberi, declarant, canonicamque adeo illi ſoli competere docent auctoritatem. Eandem in ſententiam, in *epilogo*, *p. 46*, latiorem, vbi opus id fuerit, de propoſitis doctrinae ſuae capitibus, informationem, *iuxta ſcripturas; (mit grund goettlicher heiliger Schrifft,)* exhibere ſe velle, pollicentur.

II

Diſertis vero etiam verbis in FORMVLAE CONCORDIAE, *de compendiaria regula atque norma, ad quam omnia dogmata exigenda, et, quae inciderunt, certamina declaranda et componenda ſunt*, praefatione, articulorum inter A. C. theologos controuerſorum declarationi, deciſionique praemiſſa, ſoli Scripturae ſacrae canonica auctoritas vindicatur; affirmaturque, *p. 632:* „Prophetica & Apoſtolica ſcripta Veteris et „Noui Teſtamenti limpidiſſimos puriſſimosque Iſraelis eſſe fontes, et ſacras litteras ſolas, vnicam et certiſſimam illam regulam „eſſe, ad quam omnia dogmata exigere, et „ſecundum quam de omnibus tum doctrinis, „tum doctoribus iudicare oporteat: „ tum vero diſcrimen, quod hoc nomine inter ſacras litteras, et theologorum veterum recentiorumue orthodoxorum ſcripta, ſymbola praeſertim oecumenica, libroſque eccleſiae noſtrae euangelicae ſymbolicos intercedit, explicatur. (*)

(*) Cauſa.

(*) Cauſa, quare Formulae Concordiae conditores exortarum inter A. C. theologos controuerſiarum definitioni, de compendiaria doctrinae regula atque norma praemiſerunt tractationem, haec eſt, quia theologorum, ſeſe mutuo oppugnantium, alii ad hos, alii ad illos publice editos provocarunt libros, iisque fidei doctrinam cenſuerunt eſſe conformandam. Vid. IOH. MVSAEVS, in *praelectionibus in epit. F. C.* p. 13, ſqq. In hac igitur tractatione *primum* pro certo ponitur, Scripturam ſacram vnicam et certiſſimam doctrinae fidei, tam directiuam, quam deciſiuam, regulam eſſe atque normam. Commemorantur *ſecundo* cum primariae veteris eccleſiae fidei confeſſiones, chriſtianae doctrinae puritatis aduerſus haereſes communiendae cauſa, compoſitae, tria videlicet illa ſymbola oecumenica: *Apoſtolicum, Nicaenum, Athanaſianum;* tum eccleſiae Euangelicae Lutheranae libri ſymbolici, nominatim: *Auguſtana Confeſſio*, non variata, *eiusdem Apologia, Articuli Smalcaldici*, et *vterque Catechiſmus* LVTHERI. De his ipſis vero *tertio* pronuntiatur, (*p. 572.*) compendiariam quidem ſanae doctrinae, beati LVTHERI miniſterio reparatae, ὑποτύπωσιν formamue iisdem exhiberi, ea fini, „ut ad hanc omnis in „ eccleſiis ſcholisque evangelicis conformetur docendi ra„tio, et, ſi quid iis contrarium deprehendatur, id reii„ciatur, atque damnetur, quippe quod cum vnanimi fidei „noſtrae declaratione pugnet;„ nequaquam vero normae, regulaeque fidei eis competere auctoritatem. Etenim, *p. 635*, probe tenendum eſſe, monetur, diuina inter & humana, quocunque veniant nomine, ſcripta diſcrimen, quod LVTHERVS perſpicue indicauerit: „ ſo„las videlicet ſacras litteras pro vnica regula et norma „omnium dogmatum agnoſcendas, iisque nullius omnino „hominis ſcripta adaequanda, ſed potius omnia eſſe „ſubicienda;„ indeque ſignificatur, libros noſtros ſymbolicos teſtium duntaxat loco eſſe habendos, qui pro euangelicae religionis, ad ſacrarum nimirum litterarum doctrinam comparatae, veritate teſtimonium dicant. Qua

cum aſſertione nequaquam pugnat id, quod de confor-manda ad hos libros doctrina, diiudicandisque ſecundum illos fidei controuerſiis, praecipitur; quo ipſo videlicet *normae* iisdem attribuitur dignitas; quem ad modum etiam hocce titulo in fine *praefationis libri Concordiae* inſigniuntur. Enimuero, ſalua Scripturae ſacrae cano-nica id fit auctoritate, nec, quae aduerſariorum eſt cri-minatio, libri noſtri ſymbolici ſacris litteris hac ratione aequiparantur. Nempe Scriptura ſacra eſt, et manet vnica fidei norma, ſiue principium cognoſcendi verita-tes theologicas *πρῶτον καὶ ἄμεσον, αὐτόπιστον καὶ ἀναπόδεικτον*, fideique controuerſiarum iudex; libris autem noſtris ſymbolicis non abſolute, ſed ſecundum quid, reſpectu ſcilicet habito ad euangelicae doctrinae, ex ſacris litteris in iisdem propoſitae ac declaratae, receptionem, vigorem et approbationem, nomen, officiumque tribuitur *normae*, ad quam nimirum omnis in eccleſia noſtra componenda eſt docendi ratio, et ſecundum quam, num hoc illudue vere Euangelico Lutheranum ſit dogma, nec ne, diiudi-cari debet. Itaque libri noſtri ſymbolici non ipſius fidei, ſed *de fide* noſtra euangelica *confeſſionis*, ſeu *fidei pro-feſſionis* ſunt, et dicuntur *norma*. Vid. *prolegom. ſect. I, §. VI, p. 10, ſ.*

SECTIO II
THETICO ELENCTICA.

THESIS.

Scriptura ſacra fidei et religionis chriſtianae vnica regula eſt atque norma.

Vid. *Form. Conc. epit. p. 570, 572; declar. p. 632, 635.*

Expoſitio.

S*cripturae ſacrae*, *γραφῶν ἁγίων*, nomine intelliguntur prophetica et apoſtolica veteris et noui teſtamenti ſcripta, eaque adeo appellatione deſignatur verbum Dei, immediato Spiritus ſancti impulſu et afflatu, per prophetas et apoſtolos litteris conſignatum, de omnibus, creditu et factu neceſſariis, hominem inſtruens, ut, per fidem in Chriſtum, ſalutem aeternam conſequatur. Vid. *2 Tim. III, 15, ſqq. 2 Pet. I, 19, ſqq. Ioh. XX, 31.* Scripturam igitur ſacram illi conſtituunt libri, qui a viris *θεοπνεύστοις*, prophetis et apoſtolis, ſunt ſcripti, ac proinde nullo modo ad eam pertinent, *apocryphi* qui dicuntur, libri. De hac, quae Deum habet auctorem, et ab ipſo, qua res et verba, eſt inſpirata, hincque et ſumma

auctoritate, et infallibili gaudet veritate, Scriptura, in theſi propoſita praedicatur, *fidei et religionis chriſtianae vnicam regulam eam eſſe atque normam.* Quem ad modum autem geminum normae eſt officium, alterum, quo producendum opus dirigit, alterum, quo productum diiudicat, ita utrumque ſacrae competit Scripturae, eſtque illa cum *norma directionis*, ſeu principium cognoſcendi veritates theologicas, tum *norma deciſionis*, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia dogmata exigenda ſunt et iudicanda, an pia, an impia, an vera, an vero falſa ſint, *(F. C. p. 572,)* ſeu iudex controuerſiarum fidei atque morum. *Vnicam* vero Scripturam ſacram fidei dicimus eſſe normam, eoque, praeter illam, non aliam vllam, proprie ſic dictam, fidei normam admittendam eſſe, profitemur.

Confirmatio.

Scripturam ſacram principium cognoſcendi veritates theologicas, fideique adeo et religionis chriſtianae eſſe normam, non opus habet probatione, cum de eo omnes facile conſentiant, qui diuinam illius originem, auctoritatemque, quae firmiſſimis nititur fundamentis, agnoſcunt. Eam vero *ſolam* canonica hac gaudere auctoritate, probatur, quia non aliud vllum veritates theologicas, fideique myſteria cognoſcendi principium datur, quippe quorum cognitio ex ſola reuelatione

diuina,

diuina, quam θεόπνευστος vnice exhibet Scriptura, eſt haurienda; et quia verae fidei normae omnia ei ſoli competunt requiſita. Eſt enim αὐτόπιστος, infallibilis prorſus veritatis, ipſaque ἀλήθεια, *Ioh. XVII, 17*, veraciſſimi nimirum Dei mens atque verbum. Perfecta illa ipſa eſt, et omnia, quae homini ſaluando creditu, factuque ſunt neceſſaria, plene ſufficienterque tradit, nullamque admittit additionem. Vid. *Pſ. XIX, 8; 2 Tim. III, 15, ſqq. Ieſ. VIII, 20; Gal. I, 8; VI, 16.* Summa eadem quoad credenda et agenda omnia praedita eſt claritate. *Pſ. XIX, 9; 2 Petr. I, 19.* Tum vero etiam Scriptura ſacra ad examinanda dogmata quaeuis, veraque a falſis diſcernenda, quibus opus eſt, media praebet et adiumenta, iudicialique adeo ad controuerſias fidei definiendas pollet poteſtate. Vid. *Act. XVII, 11; Ioh. XII, 48; Hebr. IV, 12.*

* *Errorum Confutatio.*

Inter illos, qui canonicae Scripturae ſacrae auctoritati, quatenus ea ſola eſt principium cognoſcendi veritates theologicas, et iudex controuerſiarum fidei atque morum, aduerſantur, primum *Pontificii* tenent locum. Horum nimirum palmarium dogma eſt: commentitium, quod iactant, et *traditionum* nomine appellare ſolent, verbum Dei *non ſcriptum* pari cum verbo *ſcripto*, ſeu Scriptura ſacra, gaudere auctoritate. Ita enim CONCI-

LIVM TRIDENTINVM, *ſeſſione IV, decreto primo*, pronuntiauit: „Veteris et Noui Teſta„menti libros omnes, (quorum vero etiam „numero apocryphos adſcripſit,) nec non „*traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores* „*pertinentes*, tanquam vel oretenus a Chriſto, „vel a Spiritu S. dictatas, et continua ſuc„ceſſione in eccleſia catholica conſeruatas, „*pari pietatis affectu ac reuerentia* ſe *ſuſcipere et* „*venerari*:„ indeque cuiuis, qui traditiones praedictas ſciens et prudens contemſerit, anathema dixit. Conf. *Catech. Rom. praef. p. 7, edit. Pariſ. a. 1661.* Itaque, Concilii Tridentini arbitrio, non libri apocryphi ſolum, ſed etiam traditiones aeque, ac Scriptura θεόπνευστος, fidei et morum regula ſunt atque norma. Patrum Tridentinorum ſententiam hanc, quae legis rationem habet in eccleſia Romana, acriter propugnant Pontificii doctores, nec ſine cauſa, ſiquidem ſuppoſititiae iſtae fidei regulae, ad labefactandas veritates euangelicas, in ſacris videlicet litteris prorſus fundatas, et ad oppoſitos iisdem errores ſuos tuendos, praeſidium omne praebere ipſis videntur; quemadmodum egregie oſtendit MART. CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid. P. I, loc. II de traditionibus, p. 88, et 108, ſqq. edit. Francof. a 1707.* Quin etiam nonnulli eorum aperte id profitentur. GVIL. LINDANVS, in *praef. libri de optimo genere interpretandi, p. 9:* „traditio, inquit, omnis plane noſtrae chri-

„ſtianae

„ſtianae religionis eſt puppis et prora.„ Et MELCH. CANVS, *loc. theol. lib. III*, *p.* 155, „ad „confutandos haereticos maiorem vim in „traditione, quam in ſcriptura eſſe, h. e. non ex ſacris litteris, ſed ex traditionibus veritatis confeſſores a Romanenſibus oppugnari poſſe, profitetur.

Iam, ſicut perperam apocryphi libri, quippe qui canonici libri requiſitorum, et vel ipſius eccleſiae, Iudaicae pariter, atque veteris chriſtianae teſtimonii defectu laborant, cum propheticis et apoſtolicis V. et N. T. ſcriptis θεοπνεύςοις a Romanenſibus coniunguntur, eodemque numero et loco, ex Concilii Tridentini *de canonicis ſcripturis* decreto, ſupra notato, habentur; ita verbum Dei non ſcriptum, ſiue traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, id eſt, ea fidei ac morum dogmata, quae in ſacris litteris deſiderentur, in ſe continentes, omni carent fundamento, et perfectioni Scripturae ſacrae, de omnibus creditu et factu neceſſariis pleniſſime nos inſtruentis, nec vllam eo nomine admittentis additionem, directe aduerſantur. Rationum, quas, inanes prorſus, pro traditionibus ſuis afferre ſolent Pontificii doctores, horumque anteſignanus, ROB. BELLARMINVS, *de verbo Dei*, *lib. IV*, *cap.* 4, *et ſeqq. Controuerſ. fid. tom. I*, *edit. Prag.* 1721, *p.* 103, *ſqq.* prolixiori examine et confutatione non opus eſſe, arbitramur, cum traditionum Pontificiarum

ficiarum vanitatem ſolide demonſtrauerit CHEMNITIVS, *l. c.* tum vero hac opera, ſatis ſuperque defuncti ſint, ex noſtratibus in primis IOH. AD. SCHERZERVS, in *Anti-Bellarmino, diſp. II, p. 149, ſqq.* ex Reformatis, DAN. CHAMIERVS, *Panſtrat. cathol. tom. I, loc. I de canone, c. 11, p. 134*, aliique bene multi.

Vt paucis ea de re dicamus, incaſſum laborant Pontificii, vbi traditiones ſuas ex illis epiſtolarum Pauli locis, in quibus apoſtolus τῶν παραδόσεων, *traditionum* ſuarum mentionem facit, adſtruere conantur, ſiquidem hoc nomine illa ipſa, quae, a PAVLO tradita, ſacris litteris continetur, doctrina deſignatur; tantum abeſt, vt fidei ac morum dogmata, quae non perſcripta ſint, eo denotentur. Ita, quod ad locum, *2 Theſſal. II, 15*, attinet, ex quo, vt CHEMNITII, *l. c. p. 41*, verbis vtar, Pontificii argumentum nectunt, quod, tanquam Achilleam panopliam contra Scripturam, pro ſuis traditionibus, opponunt, et quo maiorem ſpeciem nullum habet, vbi nimirum apoſtolus Theſſalonicenſes τὰς παραδόσεις, *traditiones* ſeruare iubet, quas edocti fuerint, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι᾽ ἐπιςολῆς, verba haec de diuerſis quidem tradendi modis, non autem de rebus diuerſis traditis ſunt accipienda; idque adeo apoſtolus ſignificat, doctrinam euangelicam, *cum* oretenus, *tum* ſcripto a ſe traditam, a Theſſalonicenſibus eſſe ſeruandam. Conf. de hoc particulae εἴτε uſu

1 Cor

1 Cor. XIII, 8, et caet. Quod ſi vero etiam is
dicti ſenſus ſit, velle apoſtolum, ut Theſſa-
lonicenſes non tantum illam doctrinam, quam
in priori, ad ipſos ſcripta, epiſtola, epiſto-
larum PAVLI omnium prima, a ſe traditam
acceperant, verum etiam ea, quae viua voce
iisdem tradiderat, quaeque in illa epiſtola
non omnia continebantur, ſummo ſtudio te-
nerent; nulla tamen ratione hinc inferri po-
teſt, in ſequentibus apoſtoli epiſtolis, cae-
terisue noui foederis libris, homini ſaluando
cognitu neceſſaria omnia non eſſe perſcripta;
cum omnimodam Scripturae ſacrae perfectio-
nem in vltima, quam paullo ante obitum
ſuum ad Timotheum dedit, epiſtola apoſto-
lus ipſe diſertis profiteatur verbis, 2 Timoth.
III, 15, ſqq. Chriſti et apoſtolorum ſermo-
nes omnes in ſacris litteris non contineri, in
confeſſo eſt, ſed alia, praeter ea, quae ſcri-
pta ſunt, fidei ac morum dogmata ſermoni-
bus iſtis eos tradidiſſe, haecque ipſa in Pon-
tificiis ſupereſſe traditionibus, id vero per-
negamus. Fumos eſſe, quos, ſub titulo
apoſtolicarum traditionum, pontificii rudio-
ribus vendunt, cum vel ipſorum ſint com-
menta, vel apocryphorum, adulterinorum
et ſuppoſititiorum ſcriptorum fundamento
nitantur, vel denique ex multo poſteriorum
auctorum inſtitutis ortum ducant; CHEMNI-
TIVS, l. c. ſect. 8, p. 121, ſqq. oſtendit. Fru-
ſtra eſt BELLARMINVS, l. c. cap. IX, p. 118, ſq.
quinque

quinque proponens regulas, quibus in cognitionem verarum traditionum veniatur. Vid. SCHERZERVS, *l. c. p. 168.* Cum, pro tuendis traditionibus ſuis, Pontificii hac etiam vtantur ratione, dari nimirum fidei et morum dogmata, quae in Scripturis non extent, adeoque ex traditione cognoſcenda ſint, quam inanis ea ſit, ex illis, quae hoc nomine proferunt, apparet. In his enim primo ſunt, quae in ſcripturis omnino extant; quo pertinent doctrinae: de tribus in vnitate eſſentiae diuinae perſonis, realiter inter ſe diſtinctis; de Filii cum Patre ὁμοουσίᾳ; de proceſſione Spiritus ſancti a Patre et Filio; de paedobaptiſmo; de numero ſacramentorum. Secundo talia ſunt dogmata, quae homini ſaluando ſcitu, credituque haudquaquam ſunt neceſſaria, v. c. de B. V. Mariae ἀειπαρθενίᾳ, etiam poſt partum; de paſchate, die dominico, celebrando διαταγῇ. Tertio ſacrarum litterarum veritati manifeſto repugnantes, Romanae videlicet eccleſiae proprii, de ſacrificio miſſatico, de purgatorio, conſimilesque ad dogmata iſta ab eis referuntur errores. Hiſtoricas, ritualeſque, ſubleſtae has ipſas magnam partem fidei, traditiones nequicquam iidem adducunt, cum de eo unice quaeſtio ſit, an fidei et morum dentur doctrinae, extra ſcripturas a Chriſto et apoſtolis traditae, et continua ſucceſſione in eccleſia catholica conſeruatae, quae a Concilio Tridentino dicuntur

tradi-

traditiones, cum Scriptura ſacra pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipiendae. Atque hoc illud eſt, quod falſo pronuntiari, affirmarique, hactenus oſtendimus. Addimus teſtimonium AVGVSTINI, *de doctr. chriſt. l. II, c. 9, Opp. edit. Antuerp. a. 1710, t. III, p. 19*: „In iis, „quae aperte in Scripturis poſita ſunt, inue„niuntur illa *omnia*, quae continent *fidem, mo„resque* viuendi.„

Non ſolum autem Pontificii Scripturam ſacram, quae ex propheticis et apoſtolicis V. et N. T. libris conſtat, vnicum chriſtianae fidei ac religionis principium atque normam eſſe, negant; aequalem ſcilicet et parem libris apocryphis et traditionibus, quibus etiam pontificum conciliorumque decreta, patrum item conſenſum complures adiungunt, auctoritatem canonicam attribuentes; ſed etiam omnem eidem ſemet ipſam interpretandi facultatem, iudicialemque adeo fidei ac morum controuerſias definiendi abiudicant poteſtatem. Eo ſpectat CONCILII TRIDENTINI *tertium ſeſſionis quartae decretum*, quo praecipitur, „vt nemo Scripturam ſacram, contra „eum ſenſum, quem tenuit, et tenet S. ma„ter eccleſia, cuius ſit iudicare de vero ſenſu „et interpretatione SS. Scripturarum, aut „etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, „audeat interpretari.„ Hocce nimirum decreto, iis, quae Scriptura in ſe continet, adhibitis

hibitis mediis, verum verborum eius ſenſum inueſtigandi, ipſiusque adeo Spiritus ſancti mentem explorate cognoſcendi chriſtianis hominibus adimitur libertas, ſiquidem in eo acquieſcere iubentur ſenſu, quem, in rebus fidei et morum, dictis illius aſſignat eccleſia, quippe quae veri ſacrarum litterarum ſenſus, hincque etiam controuerſiarum fidei omnium conſtituitur iudex. Eccleſiae autem nomine Romanus intelligitur pontifex, vel cum concilio, vel ſolus, definiens, et credenda pariter, atque agenda praeſcribens. Diſertis verbis id profitentur doctores Pontificii tantum non omnes; ac praeſertim ROB. BELLARMINVS, *de verbo Dei, toto libro tertio*, *p. 75, ſeqq.* itemque, *controuerſ. de ſummo Pontifice, lib. IV, p. 445. ſeqq.* ſummum et infallibile in vero Scripturarum ſenſu indicando, et in controuerſiis fidei ac morum definiendis iudicium Romano Pontifici, magno, ſed irrito, conatu ſtudioque vindicare, laborat. BELLARMINI veſtigiis inſtiterunt theologi Bauari, ALB. HVNGERVS, IAC. GRETSERVS, et AD. TANNERVS, qui cum IAC. HAILBRONNERO et AEG. HVNNIO, de *norma doctrinae catholicae*, *et controuerſiarum religionis iudice*, in colloquio Ratisbonenſi, anno MDCI habito, diſputarunt; vt videre eſt ex actis colloquii huius, Monachii, a. 1602, editis.

Prae-

Praecipuum, quo BELLARMINVS, Scripturam ſacram ſemet ipſam interpretandi, controuerſiasque fidei dirimendi facultate pollere negans, utitur, argumentum ab illius deſumtum eſt obſcuritate. Nempe obſcuram eam eſſe, ait, variosque recipere ſenſus, nec poſſe dicere, quis horum ſit verus, et, quoad fidei controuerſias, quodnam dogma verum ſit, falſumue: opus igitur eſſe interprete, et controuerſiarum iudice infallibili, huncque Pontificem, ſcilicet, eſſe Romanum. Ita vero pro certo ponit, quod manifeſtum eſt ψεῦδος. Tantum enim abeſt, ut Scriptura ſacra, quoad credenda et agenda, hominique ſaluando eo nomine cognitu neceſſaria, (de his enim, non de δυσνοήτοις, quibus nulla continentur fidei ac morum dogmata, quaeſtio eſt,) obſcuritatis iure inſimulari poſſit, ut potius ſumma in his gaudeat perſpicuitate. Vid. *Pſalm. XIX, 8, 9; CXIX, 105; 2 Petr. I, 19,* et caet. Tam claris videlicet, tamque perſpicuis verbis et phraſibus, in ſacris litteris, dictisque cum maxime earum claſſicis, illa ſunt propoſita, ut ab idoneo quouis lectore, a praeiudicatis opinionibus, prauisque affectibus immuni, et vel communibus mediis hermeneuticis, quae ipſa ſuppeditat Scriptura ſacra, inſtructo, gratiaque et auxilio Spiritus S. adiuto, intelligi queant. Conf. *Ioh. V, 30. Act. XVII, 11; 2 Tim. III, 15; Rom. XV, 4.* Quin

etiam ſi alicubi obſcure nonnihil dicta quaedam occurrant, aliis in locis eadem illa aperta explicatione declarantur; cum, teſte AVGVSTINO, *de doctr. chriſt. lib. II, c. 6, p. 17*, „nihil „fere de obſcuritatibus Scripturae eruatur, „quod non planiſſime dictum alibi reperia„tur.„ Perperam porro BELLARMINVS, GRETSERVS, caeteri, ex eo, quod in republica lex et iudex diſtinctae res ſint, et iudex ab vtraque parte litigante videri debeat et audiri, arguunt, a Scriptura ſacra diuerſum, talem ſcilicet, qualem ipſi volunt, controuerſiarum iudicem requiri. Enimuero non ad morem, in re publica vſitatum, comparata eſt Scriptura. Eſt ea vox Spiritus Sancti, isque adeo per illam, in controuerſiis fidei omnibus, iudicium ſuum ſententiamque euidenter, efficaciterque pronuntiat; licet non, quod, in *colloquio Ratisbonenſi*, GRETSERVS impie poſcebat, viſibiliter iudicem ſe ſiſtat. Viſibilem vllum, eumque infallibilem, controuerſiarum fidei iudicem diuinitus conſtitutum eſſe, eaque ſpeciatim Romanum Pontificem pollere auctoritate, nullo prorſus probari poteſt documento; tamque futilia, inepta et ἀπροσδιόνυσα ſunt, quae pro eo BELLARMINVS, *de V. D. lib. III, c. 4 et ſeqq.* affert, argumenta, vt ne referri quidem mereantur. Profligarunt ea IOH. HVLSEMANNVS, *animaduerſ. in* BELLARM. *de V. D. cap. 8, p. 77, ſqq.* et SCHERZERVS, *l. c. p. 140, ſqq.*

Hi

Hi ſcilicet infallibiles Scripturae interpretes, et controuerſiarum fidei ſunt iudices, quos inter litterarum rudes atque imperitos, et grauiſſimorum errorum, vt caetera taceamus, reos fuiſſe, conſtat. Audire iuuat P. ALFONSVM DE CASTRO, Minoritam, *aduerſus haereſes lib. I. c. 4. f. 8, b.* „Non „credo, inquit, aliquem eſſe adeo impu„dentem Papae aſſentatorem, vt ei tribuere „hoc velit, vt nec errare, aut in interpreta„tione ſacrarum litterarum hallucinari poſſit. „Nam cum conſtet, plures eorum adeo illi„teratos eſſe, vt grammaticam penitus igno„rent, qui fit, ut ſacras litteras interpretari „poſſent?„ Extat teſtimonium hoc veritatis in editione Pariſienſi, a. MDXXXIIII, et Colonienſi, a. MDXXXIX, quam nos ipſi poſſidemus, in ſequentibus editionibus extinctum.

Paucis nunc etiam dicendum eſt de illis, qui alio modo theſi noſtrae aduerſantur. Eo nimirum loco, numeroque ſunt, qui veritates coeleſtes, diuina quae ſunt myſteria, in ſacris litteris nobis patefacta, ad *humanae*, ſeu *naturalis*, *rationis* exigunt normam, nec ſimplici, quam verbum Dei requirit, eas admittunt fide, eoque ipſo rationi ſubiiciunt Scripturam, quae vnicum res diuinitus reuelatas cognoſcendi eſt principium, fideique norma. Magnus omnino eorum eſt numerus, qui rationi, quoad fidei doctrinas, plus,

quam par eſt, re ipſa tribuunt, qui miniſterium, quod ei competit, in magiſterium conuertunt, et ad principia, regulasque ſuas philoſophicas, coeleſtes componunt veritates. Cum maxime notandi ſunt, qui eorum, quae in ſacris litteris traduntur, nihil, quod a ratione capi et intelligi nequeat, credendum eſſe, aperte ſtatuunt, ſicque adeo rationem fidei conſtituunt normam. Faciunt id *Sociniani*; eoque pertinent, quae in *Catecheſi Racouienſi, ſect. I. de S. S. c. 2, p. 7,* et *c. 3, p. 9, edit. recognitae*, itemque in DAN. BRENII *introductione ad intellectum ſacr. litt., annotationibus ipſius in V. et N. T. praemiſſa, ſub f.* leguntur. Diſerta F. SOCINI, IOH. SCHLICHTINGII, VAL. SMALCII, C. OSTORODI, eam in ſententiam dicta afferunt, ſimulque rationes, quibus eandem defendere conantur, refellunt ABR. CALOVIVS, in *Sociniſmo profligato, p. 75, ſeqq.* I. A. SCHERZERVS, *Collegii Anti-Sociniani diſp. II, p. 17, ſeqq.* aliique complures.

A Socinianis prope abſunt *Arminiani*, ut ex *Confeſſione* ipſorum, *c. I. §. 10,* SIM. EPISCOPII *inſtitut. theol. l. IV, cap. 16, p. 264, ſq.* STEPH. CVRCELLAEI *Rel. Chr. inſtitut. l. I, c. 16, § 6, et c. 17, Opp. p. 36, ſqq.* patet, et R. CARTESII placitis ſtrictius inhaerentes; prorſusque cum illis faciunt, immo inſpietate ipſos ſuperant, exercitationis paradoxae: *Philoſophia, Scripturae interpres*, quae in Belgio, a. MDCLXVI, prodiit, auctor, LVD. MEYERVS;

RVS, IO. TOLANDVS, qui Chriſtianiſmum myſterii expertem: *Chriſtianity not myſterious*, Londini, a. MDCCII, edidit; et furibundi eiusmodi homines alii, qui geminos, in ἀντίτυπον videlicet verbum Dei ſumme iniurios, noſtra etiam aetate, diuulgant libellos. Cum Rationaliſtae iſti rationem intelligant, quae in naturali eſt homine, quo loco ea habenda ſit, Apoſtolus indicat, ubi hominem ψυχικὸν res ſpirituales, ſeu diuina myſteria, quippe quae ſupra captum illius ſint poſita, non intelligere, nedum diiudicare poſſe, ait, tum vero his in rebus rationem omnem ſubiiciendam eſſe docet obſequio Chriſti, *1 Cor. II, 14, 15; 2 Cor. X, 5*; qui etiam hoc nomine chriſtianos a philoſophiae abuſu ſolicite ſibi cauere iubet, *Coloſſ. II, 8.*

Tertiam aduerſariorum claſſem conſtituunt, qui reuelationibus immediatis, cum internis, tum externis, viſionibus ſcilicet et apparitionibus, angelorum alloquiis, ſomniis, parem cum Scriptura ſacra, immo maiorem attribuunt auctoritatem, illasque pro principio habent cognoſcendi res diuinas, et pro norma religionis primaria atque uniuerſali. *Montaniſtas*, ſaeculo p. C. N. II, per Spiritum immediate ſe illuminari, et ad ſublimem perfectamque Dei cognitionem doceri, dictitaſſe; *Meſſalianos* item, ſiue *Euchitas*, ſaeculo IV, id ipſum profeſſos eſſe, ac prae ſe tuliſſe, externamque doctrinam reie-

ciſſe, veteres de haereſibus ſcriptores tradunt. Hinc, ſaeculo XVI, ſub ipſum religionis euangelicae inſtaurationis initium, exorti *Anabaptiſtae*: quorum princeps THOMAS MVNZERVS fuit, aliique, *coeleſtium prophetarum* atque *enthuſiaſtarum* nomine notati, immediatas etiam de ſe iactarunt reuelationes, ſtatueruntque, Spiritum, ſine vocali externoque verbo, ſacra videlicet Scriptura, dari, qui certam ſalutaremque rerum diuinarum cognitionem largiatur. Grauiter in eos ſcriptis aliquot animaduertit b. LVTHERVS; perniciosiſſimusque iſte illorum error, errorum caeterorum omnium fundamentum, in AVGVSTANA CONFESSIONE, *art. V*, *p. 11*, ARTIC. SMALCALD. *part. III*, *art. 8*, *p. 331*, *ſqq.* et in FORM. CONCORD. *art. II*, *epit. p. 585*, et *declarat. p. 678*, damnatur. Nihilo minus eundem errorem propugnarunt CASPAR SCHWENCKFELDIVS, VAL. WEIGELIVS, et magno numero alii, quippe qui *fanaticorum* omnium πρῶτον eſt ψεῦδος, cui etiam, quoad internas nimirum et immediatas reuelationes, addicti ſunt *Quakeri*, ſeu *tremuli*, qui dicuntur, et in quo tuendo, ex his, praeter caeteros, ROB. BARCLAIVS, in *apologia theologiae vere chriſtianae*, et GE. KEITHVS, multum operae poſuerunt. Specioſas autem horum rationes ſolide diſcuſſit IOH. GVIL. BAIERVS, in *ſynopſi et examine theologiae enthuſiaſtarum*, *ſeu Quakerorum*, *praecipue* ROB. BARCLAII.

Enim-

Enimuero internae illae immediataeque reuelationes, de quibus quaeſtio eſt, perperam, ſummaque cum ſacrarum litterarum iniuria, pro principio verae et ſalutaris rerum diuinarum cognitionis, doctrinaeque fidei ac morum norma habentur, ſiquidem, post conſtitutum Scripturae ſacrae canonem, Deus neminem quemquam, ſine verbo illo externo, per internam, ſeu immediatam reuelationem, de rebus credendis vult docere, quin potius verbo ſuo, a prophetis et apoſtolis ex inſpiratione Spiritus ſancti litteris conſignato, huic τῷ βεβαιοτέρῳ λόγῳ, *firmiori verbo*, quippe quod res diuinas cognoſcendi principium vnicum, et certiſſima perfectiſſimaque credendorum et agendorum, vt antea demonſtrauimus, regula est atque norma, vnice attendere, nequaquam vero internas immediatasque reuelationes expectare nos iubet. Ad enthuſiaſticum ſpiritum pertinet apoſtoli pronuntiatum: *Etiamſi angelus de coelo euangelium praedicet, praeter id, quod praedicauimus, anathema eſto. Gal. I, 8.* Veram ſpiritus, quem de ſe iactant enthuſiaſtae, indolem egregie deſcripſit LVTHERVS, in *artic. Smalcald. l. c. p. 332, ſq.*

✡ ✡ ✡

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT II

DE DEO TRINVNO ATTRIBVTISQVE ET OPERIBVS DIVINIS.

SECTIO I

HISTORICA.

Doctrina de Deo trinuno, in ſacris litteris reuelata, et eccleſiae, a prima eius origine, tradita, ſanctiſſimaque ab illa ſeruata fide in ipſo AVGVSTANAE CONFESSIONIS principio, *primo* videlicet illius *articulo*, ſummatim exponitur, ita ut ſimul attributorum et operum quorundam diuinorum mentio fiat; aduerſanteſque ei haereſes omnes damnantur. (*)

(*) Confeſſionis Auguſtanae quare a doctrina de Deo trinuno factum fuerit initium, ratio reddi facile poteſt. Quamuis enim de hoc fidei articulo nulla euangelicos inter et pontificios, ipſo teſte LVTHERO, in *Artic. Smalcald. parte I, p. 303* fuerit controuerſia, eundemque adeo, prout is in Confeſſione exhibetur, theologi pontificii, qui A. C. confutationem, Caeſaris iuſſu, in comitiis

miſſis Auguſtanis compoſuerunt, prorſus approbauerint, „eo quod, ut verba eorum habent, per omnia ad nor- „mam fidei, et cum Romana concordet eccleſia; (conf. *Apolog. A. C. p. 50.*) tamen graues utique ad proponendum eum pii confeſſores noſtri habuerunt cauſas. Nam cum res ipſa depoſcere videretur, ut a primario hoc religionis chriſtianae capite atque fundamento ſuam auſpicarentur confeſſionem, tum vero *apologiae*, quam eadem illa, ut in *prolegomenis, p. 25*, indicauimus, praeſtare debuit, ratio poſtulabat, ut catholicam de eſſentiae diuinae vnitate, et perſonarum in vna eſſentia trinitate fidem integram inuiolatamque a ſe ſeruari, docerent, eoque ipſo falſiſſimas illas aduerſariorum repellerent criminationes, quibus non grauiſſimorum duntaxat de Deo errorum, praeſertim Arianiſmi, ſed et atheiſmi euangelicos incuſare nonnulli haud uerebantur.

Articulus hic, quoad theſin, ex primo ſeptendecim deſumtus eſt articulorum, qui *Torgauienſes* vulgo vocantur, et quorum, a beato LVTHERO conſcriptorum, rationem in *prolegomenis* etiam expoſuimus, *p. 30, et ſq.* Diſcrepantia Germanicum inter et Latinum textum in re ipſa nulla eſt, ſed tantum in verbis. Nec enim in hoc pariter, atque caeteris articulis, Germanico Latinus de verbo ad verbum per omnia reſpondet. Nam, ut recte annotauit CHR. REINECCIVS, in editione *Concordiae Germanico-Latinae, p. 12*; ſciendum eſt, quod non verſionem Latinam ex Germanico conficere, ſed utroque ſermone confeſſionem componere, conſtitutum habuerint confeſſores; hoc ſufficere rati, quod exemplaria, Germanicum et Latinum, quoad ſenſum et doctrinam, conueniant. Conf. *prolegom. ſect. III, p. 49.* In nonnullis Germanicae confeſſionis editionibus, et apud CHYTRAEVM, in *hiſt. A. C. German. fol. 134*, in antitheſi *Iudaei* etiam nominantur. Quam inepte vero ex additamenti huius, quod PHILIPPVM procul dubio auctorem habet, in receptis publica auctoritate editionibus omiſſione, ab ipſo authentico exemplo confeſſionem, qua utimur, Auguſtanam diſcrepare, arguat PAVL. FORERVS, oſten-

oſtendunt Auctores *der Hauptvertheidigung des Evangel. Augapffels*, c. 28, p. 510, ſq. Textum Latinum MELANCHTHON in *variata*, quae dicitur, confeſſione Auguſtana intactum reliquit.

Inſcribitur articulus hic *de Deo*, titulo hoc inſequenti tempore ei impoſito, ſiquidem in exemplaribus, Caeſari CAROLO V oblatis, primisque editionibus, huic aeque, ac inſequentibus articulis plerisque omnibus, non tituli, ſed numeri adſcripti fuerunt. Vid. *proleg. p.* 48. Dilucide magis a B. MENZERO, in *exegeſi A. C.* aliisque, hoc ille inſignitur titulo: *de Deo uno et trino*, vel *de Deo trinuno*. Duabus conſtat partibus, theſi, et anthitheſi. In theſi primum agitur de eſſentiae diuinae vnitate, inſimulque de nonnullis attributis et operibus Dei; ſecundo de perſonarum in vnitate eſſentiae diuinae trinitate. In antitheſi damnantur cum generatim haereſes omnes, contra doctrinam de Deo trinuno exortae, tum ſpeciatim, nominatimque, qui vel eſſentiae diuinae vnitatem, vel perſonarum trinitatem, pernicioſiſſimos de Filio Dei et Spiritu ſancto fouendo errores, negant.

Explicatione quadam in hoc articulo, opus habere videtur id, quod initio ſtatim dicitur, magno conſenſu apud nos doceri, *decretum Nicaenae Synodi*, (quo nomine ſymbolum Nicaenum, de quo, *prolegom. ſect. II, p. 18, ſqq.* egimus, denotatur,) *de vnitate eſſentiae diuinae, et de tribus perſonis, verum, et ſine vlla dubitatione eſſe credendum.* His nimirum verbis, ſymbolum Nicaenum nequaquam pro principio fidei conſtitutiuo confeſſores noſtri agnouerunt, et, quae ſophiſtica ANDR. FABRICII, in *harmonia A. C. f. 11.* eſt interpretatio, *ex auctoritate illius de diuinitate ita ſe credere*, dixerunt, ſed, vt orthodoxam fidei expoſitionem, id adduxerunt, traditamque in eo de vnitate eſſentiae diuinae, et de tribus perſonis, doctrinam veram, et ſine vlla dubitatione credendam eſſe, pronuntiarunt, non, quod Synodi Nicaenae canonica quaſi ea nitatur auctoritate, ſed quod, quem ad modum ſuam ea de re ſententiam in *Apologia, p. 50*, luculenter declarant, *certa et firma teſtimonia ha-*

beat

hac in Scripturis ſanctis, quae labefactari non queant; tum vero etiam, veteris eccleſiae more, ad Nicaenum ſymbolum prouocarunt, eoque ſuum cum illo publice profeſſi ſunt conſenſum. Vid. *Form. Conc. p. 633*.

1. Cum in antitheſi, iis, qui damnantur, *Samoſateni, veteres et neoterici* addantur, per *veteres* quidem Samoſatenos, ſiue Samoſatenianos, PAVLVM, ortu Samoſatenum, praeſulem Antiochenum, ſaeculi III haereſiarcham, eiusque ſectatores, MARCELLVM in primis, et huius diſcipulum, PHOTINVM, intelligi, inter omnes conſtat. *Neotericorum* vero Samoſatenianorum nomine, quinam deſignentur, de eo non conuenit inter A. C. interpretes, aliosque viros doctos. Diuerſas eorum ſententias refert, et diiudicat S. R. WALCHIVS, in *diſſertatione, de Samoſatenianis neotericis, quorum mentio fit in A. Conf. p. p. Ienae, a. 1730*, et *Miſcellan. ſacr. l. I, p. 122, ſqq. inſerta*, breuiusque, in *introduct. in libros ſymbol. l. I, c. 3, p. 261, ſeqq.* Erronea eorum eſt ſententia, qui *Socinianos* indigitari cenſent, cum hi, poſt exhibitam confeſſionem Auguſtanam, primum fuerint exorti, eorumque de Verbo et de Spiritu ſancto placita differant ab illis, quae Samoſatenianis hic adſcribuntur. Ad IOH. CAMPANVM, qui Vitembergae eo circiter tempore ſanae V. D. de trinitate doctrinae aduerſatus eſt, et de quo ſingulari opera, ſtudioque egit IOH. GEORG. SCHELHORNIVS, *amoenitat. litter. tom. XI, p. 1, ſqq.* quidam reſpici volunt. Sed ille quidem non eosdem cum Samoſatenianis fouit errores, aliaque prorſus ratione Trinitatem negauit. LVDOVICVM HETZERVM cum CAMPANO, absque idonea item ratione, nonnulli coniungunt. Vero ſimilis in primis illorum eſt ſententia, qui MICHAELEM SERVETVM, maledicum illum catholicae de myſterio S. S. Trinitatis doctrinae conuiciatorem, et ſocios eius, Samoſatenianorum neotericorum nomine denotari, opinantur. Praeterquam enim, quod PAVLO Samoſateno *ſubinde* fuerit SERVETVS, unde etiam a PHILIPPO, aliisque *Samoſatenus* appellari ſolet, eiusque placita in libris de *Trinitatis erroribus*, ab illis, quae in

A.

A. C. ſpeciatim notantur, prope abſint; quemadmodum b. I. F. BVDDEVS, in *inſtit. th. dogm. p. 416*, et in *append. iſag. ad theol. vniuerſam; p. 158*, oſtendit; diſertis id MELANCHTHON teſtatum facere videtur verbis, vbi nimirum is ipſe in colloquio Vormatienſi ad ECCIVM dixit: „De primo articulo (Auguſt. Confeſſionis) non „eſt controuerſia, in quo, conſtat, noſtras eccleſias fide„liter defendiſſe communem conſenſum *aduerſus* SER„VETVM et alios „ Vid. *Acta Colloquii Vormat. Opp.* PH. MEL. *tomo IV, p. 646.* Attamen hocce PHILIPPI teſtimonio rem non confici, arbitratur Illuſtris Acad. Gotting. Cancellarius, IOH. LAVR. DE MOSHEIM, *in dem anderweitigen Verſuch einer vollſtaendigen und unpartheyiſchen Ketzergeſchichte*. quo libro MICH. SERVETI hiſtoria deſcripta ab ipſo exhibetur, *lib. I, annot. 3, p. 119, ſq.* idque dictae ſententiae cum maxime opponit, quod, anno demum ſaeculi XVI primo et triceſimo, ſuos, quibus Trinitatis myſterium oppugnauit, SERVETVS ediderit libros; tum vero id, quod ad hoc dubium reſpondetur, nempe doctrinam illius per famam innoteſcere, atque hac ratione etiam ad aures auctorum A. C. peruenire potuiſſe, nequitquam dici, ac de SERVETI erroribus nihil utique tum temporis compertum eos habuiſſe, pluribus demonſtrare allaborat. Veterum Samoſatenianorum errores, illo tempore, quosdam, qui demum cunque ii fuerint, reuocaſſe, negari nequit.

PAVLI Samoſateni dogmata, licet nec clare ſatis, nec vno eodemque ab omnibus recenſeantur modo, cum nec ipſe ſibi conſtitiſſe videatur, nonnullique Sabellianiſmum, diuerſum ab hoc alii ei tribuant errorem, de *Λόγῳ* tamen et de Spiritu ſancto eum fere in modum, quo, *aſtute et impie de iisdem Samoſatenianos rhetoricari*, in Confeſſione dicitur, illum docuiſſe, veteres quidam tradunt ſcriptores; ex quorum fide cum confeſſores Samoſatenianorum placita referant, hiſtoricam [illegible] nunquam illi admiſerunt.

II.

In ARTICVLIS SMALCALDICIS, eorundemque *parte prima*, quae illos continet articulos, de quibus nulla inter euangelicos et pontificios controuerſia erat, et de quibus proinde paucis agitur, *primo* de eſſentiae diuinae vnitate, et perſonarum in vna eſſentia trinitate, *ſecundo* de perſonalibus characteribus, quibus tres Deitatis perſonae a ſe inuicem realiter diſtinguuntur, breues proponuntur theſes. Referri huc etiam quodammodo poteſt Symboli Apoſtolici in *vtroque catechiſmo* LVTHERI expoſitio, ſiquidem ea, quae de tribus Deitatis perſonis credita maxime ſunt neceſſaria, praecipuum illius conſtituunt argumentum. In ipſis vero *Symbolis, oecumenicis*, *Nicaeno* cum maxime, et *Athanaſiano*, catholica de Deo trinuno fides egregie declaratur.

SECTIO II

THETICO ELENCTICA.

THESIS I.

Deus est essentia vnus.

Vid. *Aug. Conf. art. I, p. 9; Art. Smalc. P. I, p. 303.*

Expoſitio.

E*ſſentiae*, *οὐσίας*, vocabulo hic denotatur id, quod in Deo primum concipitur, et per quod Deus ab omnibus, quae exiſtunt, adaequate diſtinguitur, nempe quod ſit ens ſpirituale, a ſe ſubſiſtens, ſiue ſpiritus independens. In ſacris litteris non ipſa quidem illa vox hac notione occurrit, attamen in eſſentiali Dei nomine יהוה *αὐθουσίαν* ſignificante, (vid. *Exod. III, 14; Ieſ. XLI, 4; Apoc. I, 8,* et caet.) fundatam eam, ad *φύσιν*, *naturam* diuinam deſignandam conuenientiſſime adhibuerunt priſci eccleſiae doctores. *Vnitas*, quae de eſſentia diuina praedicatur, ſpeciatim hic accipitur de vnitate, *excluſiue* ſpectata, qua ita vnum quid eſt, vt nullum detur aliud in tota rerum vniuerſitate, ac per eam adeo indicatur, Deum ita vnum eſſe et vni-

tum, vt non alius et coexiſtat Deus, nec plures vllo modo eſſe poſſint dii. Vnitas haec Dei, in oppoſitione ad alios vnitatis modos, *numerica* dici ſolet, non ſenſu relatiuo, vel quantitatiuo, ſed abſoluto et tranſcendentali; cum indiuidualis Dei vnitas non niſi ſub numeri ratione conſiderari queat. Hinc veteres, Deum, *numero ſupra numerum, vnum* dixerunt; et LVTHERVS, in *commentar. in Gen. cap. I, f. 4, b. edit. 1550, vniſſimam eſſentiae Dei vnitatem eſſe*, affirmat. Conf. IOH. BENED. CARPZOVIVS, in *Iſag. in LL. ſymbol. p. 78, et p. 139.*

Confirmatio.

Deum, ens infinite perfectum, quod a ſe ipſo exiſtit, et a quo omnia, quae exiſtunt, dependent, vnum eſſe vnitate eſſentiae numerica ſummeque ſingulari, cum ex ipſa ſana ratione quodammodo demonſtrari poſſit, luculentiſſimis ſacrarum litterarum oraculis, teſtimoniiſque confirmatur. Pertinet huc in primis ex veteri teſtamento Iudaeorum קריאת שמע, ſeu dictum claſſicum, quod extat *Deut. VI, 4.* et *Marc. XII, 29.* repetitur: *Audi Iſrael,* יהוה אלהינו יהוה אחד *Dominus, Deus noſter, Dominus eſt vnus.* Nec minus illuſtres ſunt loci, quibus eſſentiae diuinae vnitas remotiue declaratur, ac, praeter vnum Iehouam, non alium vllum Deum eſſe, diſerte affirmatur, v. c. *Deuter. IV, 35. XXXII,*

XXXII, 39; Ieſa XLIV, 6; XLV, 5, 6. Ex nouo teſtamento addimus locum, *1 Cor. VIII, 4-6*, in quo communis fidei chriſtianae confeſſio exhibetur: ὅτι οὐδεὶς Θεὸς ἕτερος, εἰ μὴ εἷς, *non ullum eſſe Deum alium, niſi vnum*; putatitiisque gentium diis ac dominis, vnus Deus Pater, et vnus Dominus, IESVS Chriſtus, opponuntur. Conf. *Ioh. XVII, 3; 1 Tim. II, 5.* Nequicquam autem his, quae Deum vnum eſſe teſtantur, dictis Trinitatis myſterium oppugnant antitrinitarii, cum inter eſſentiae diuinae vnitatem et perſonarum trinitatem nulla ſit contradictio, et haec pariter, atque illa, ut in ſequenti oſtendemus theſi, diſertis ſacrarum litterarum nitatur effatis. Etenim eſſentiae vnitas non tollit diſtinctionem perſonarum, nec perſonarum diſtinctio multiplicat eſſentiae vnitatem. Inane vero etiam eſt quod ex allegatis N. T. locis aduerſus Deitatem IESV Chriſti Sociniani maxime petunt, argumentum, ſiquidem, vbi Pater Deus dicitur vnus, is, tanquam fons et principium communis tribus perſonis eſſentiae diuinae, deſignatur, nec Filio et Spiritui ſancto, ſed iis, quae extra Trinitatem ſunt, opponitur; IESVS Chriſtus autem, Filius Dei μονογενὴς, μόνος idem δεσπότης Θεὸς καὶ κύριος ἡμῶν, *Iud. v. 4*, vnusque adeo cum Patre et Spiritu S. Deus, ut mediator noſter et redemtor, ſpeciatim iisdem in locis commemoratur.

Anti-

Antitheſis.

Non gentium ſolum πολυθεότητος vanitati, ſed haereticorum etiam de duobus principiis, bono altero, altero malo, delirationi oppoſita eſt vera de vnitate Dei doctrina. Hinc in *Aug. Confeſſione* damnantur *Manichaei*, MANETIS, qui, ex Perſia oriundus, ſeculo p. C. N. III vixit, et *Manichaeus*, quaſi *manna fundens*, a ſuis dictus eſt, ſectatores, quorum nimirum primaria haereſis fuit, duo eſſe rerum principia coaeterna, ſed quam maxime diuerſa, ſibique aduerſa, bonum alterum, alterum malum, a quibus res omnes ſint productae. Peſtilentiſſimum hunc errorem, ex paganiſmo in orbem chriſtianum a compluribus haereticis ante inuectum, MANES ille magno conatu defendendum ſuſcepit, diſſeminauitque. Manichaeiſmi hiſtoriam, poſt alios plures, compoſuit ISAACVS de BEAVSOBRE. Gallice ſcripta duobus conſtat voluminibus, quae prodierunt Amſtelodami, a. 1734, et 1739. Lectu in primis dignus eſt IOH. CHRISTOPHORI WOLFII tractatus *de Manichaeiſmo ante Manichaeos, et in Chriſtianiſmo redivivo*, Hamburgi a. 1707 editus, quo non ſolum hiſtorice oſtenditur, dogma Manichaeorum de duobus principiis in plerorumque inter gentes philoſophorum, inter chriſtianos autem haereticorum, ſectariorumque tam ve-

terum, quam recentiorum; ſcholis receptum fuiſſe, ſed etiam erroris huius deteſtabilis vanitas ex ratione demonſtratur. Damnantur item in A. C. *Valentiniani*, VALENTINI, qui, ortu Aegyptius, ſeculo II haereſin inſtituit, diſcipuli et aſſeclae. Nam et VALENTINVS ille, ſuo de triginta aeonibus celebris figmento, modo dictum profeſſus eſt errorem, et ſummo Deo coaeternum adiunxit principium malum, quemadmodum oſtendit WOLFIVS in libro laudato, *ſect. II. §. 47, p. 198 ſeqq.* De VALENTINO et Valentinianis pluribus egit b. THOM. ITTIGIVS, in diſſ. *de haereſiarchis I et II a C. N. ſeculi, c. 5, &. 6, p. 121 ſeqq.* et in *append. h. diſſ. p. 40. ſeqq.* Add. IO. FRANC. BVDDEI diſſertatio *de haereſi Valentiniana, introductioni ad hiſtoriam philoſophiae Ebraeorum* ſubiuncta.

THESIS II.

In vna eſſentia divina tres ſunt perſonae, Pater, Filius & Spiritus ſanctus.

Vid. *Aug. Confeſſ. et Art. Smalc. ll. citatis.*

Expoſitio.

Vna illa numero eſſentia diuina, de qua in praecedente dictum eſt theſi, ita concipienda eſt, prout tribus ea conſiſtit perſonis,

quippe

quippe quae realiter quidem, non vero eſſentialiter inter ſe diſtinctae ſunt. Tres cum dicimus perſonas, *perſonae* vocabulum, quod eſt πολύσημον, ac, praeter alia, habitum qualitatemue, officium, dignitatemque, apud CICERONEM, caeteroſque ſcriptores Latinos, ſignificat, ea accipitur notione, qua priſci eccleſiae doctores in doctrina de Deo trinuno id uſurparunt. Expreſſe hinc confeſſores noſtri in articulo primo A. C. monent: *nomine perſonae ea nos uti ſignificatione, qua vſi ſunt in hac cauſa ſcriptores eccleſiaſtici, ut ſignificet non partem*, cum Deus ſit ſpiritus, adeoque impartibilis, *aut qualitatem in alio*, cum Pater, Filius et Spiritus ſanctus realiter inter ſe ſint diſtincti, *ſed id, quod proprie ſubſiſtit*. Eodem, quo Latini vocabulum *perſona*, Patres Graeci vocem ὑπόστασις adhibuerunt ſenſu, et, ἐν μιᾷ οὐσίᾳ τρεῖς ὑποστάσεις εἶναι, *in una eſſentia tria ſuppoſita eſſe*, dixerunt. His nimirum vocibus, *eſſentiae* videlicet pariter, atque *perſonae*, in exponenda ſacrarum litterarum de Deo trinuno doctrina, cum ὀρθοδοξίας declarandae, tum ἑτεροδοξίας dignoſcendae cauſa, opus eſſe, vere iudicarunt orbis chriſtiani doctores, ut et communis Patri, Filio ac Spiritui ſancti eſſentia diuina, et propria ſingulis in eſſentiae vnitate ὕπαρξις, ſeu ſubſiſtentia relativa debito modo concipiatur. Quare adeo hi ipſi termini eccleſiaſtici, quibus id, quod in ſcripturis ſacris traditur, apte conuenien-

uenienterque effertur, liberatumque ſpeciatim ab omni ambiguitate nomen *perſonae*, quatenus ſuppoſitum intelligens denotat, in eccleſiis euangelicis meritiſſimo retinentur iure.

Nomina, quibus tres Deitatis perſonae in ſacris litteris deſignantur, ſunt: *Pater*, *Filius*, ſiue Λόγος, et *Spiritus ſanctus*; iisdemque characteres perſonales, in actibus ad intra fundati, et reale vnius ab altera inferentes diſcrimen, indicantur. *Prima* videlicet perſona appellatur PATER, quippe quae ἀγέννητος, fons et principium Deitatis, ex ſubſtantia ſua ab aeterno gignit Filium, et cum Filio ſpirat Spiritum ſanctum; *ſecunda*, FILIVS, eo quod a Patre ab aeterno gignitur, cum ipſo ſpirans Spiritum ſanctum; *tertia*, SPIRITVS SANCTVS, quia per ſpirationem a Patre et Filio ab aeterno procedit. Atque ex hoc ipſo trium perſonarum *ordinis* ratio intelligitur, quae eſt diuerſus eandem numero eſſentiam habendi modus, nequaquam naturae, temporis, dignitatiſue diuerſitas, cum omnes ſint ὁμοούσιοι, coaeternae, coaequales, ſiue, vt Auguſtana Confeſſio ait, *eiuſdem eſſentiae et potentiae, et coaeternae*.

Confirmatio.

Doctrina de Deo trinuno cum ex ſummis illis fidei ſit myſteriis, ſiue doctrinis, qua-

quarum notitia diuinae vnice debetur reuelationi, per ſe patet, ex ſolis demonſtrandam, confirmandamque eam eſſe Scripturis ſacris. Non vllus omnino humanae rationi in demonſtrando, diiudicandoue Trinitatis myſterio relictus eſt locus, quippe quod, licet non ſit contra rationem, omni tamen ſupra eam poſitum eſt modo. Luculentiſſima autem cum in veteris, tum noui teſtamenti libris extant dicta, quae, in vna eſſentia divina tres perſonas, ſiue, Deum trinunum eſſe, docent. Ita, quod ad Vet. Teſt. attinet libros, non generatim, indeterminateque ſolum, perſonarum diuinarum pluralitas, ſed ſpeciatim etiam, determinateque ac definite, trinitas earundem indicatur. Fit hoc in deſcriptione operis creationis, *Gen. I, 1, 2*, prout egregie id ipſum declaratur, *Pſalm. XXXIII, 6*; eductionis item populi Iſraelitici ex Aegypto,, *Exod. c. XIV, et ſeqq.* quemadmodum ex aliis, in quibus de illa agitur, S. S. locis, *1 Cor. X, 4, 9*; *Jeſ. LXIII, 10*, dilucidius apparet. Nec minus illuſtre trium deitatis perſonarum documentum praebet miſſio tum Meſſiae, *Jeſa. XLVIII, 16, LXI, 1*; tum Spiritus ſancti, *Zach. XII, 10*. Haud incommode etiam huc refertur trina nominis יהוה repetitio, in benedictione ſolemni, *Num. VI, 24 - 26*; et τρισάγιον Seraphicum, *Jeſa. VI, 3*, coll. cum *Joh. XII, 41*, et *Act. XXVIII, 25*. Curatius haec et caetera teſtimonia, praeter

 alios

alios compluresq, expoſuit IO. BENED. CARPZOVIVS, in diſſertatione *de myſterio S. S. Trinitatis, maxime ex Vet. Teſt. ſcriptura demonſtrato*, p. p. Lipſiae, a. 1687. Addatur IOH. MEYERI diſſertatio *de myſterio S. S. Trinitatis, ex ſolis V. T. libris demonſtrato, atque ex veterum ac recentiorum Rabbinorum rariſſimis monumentis illuſtrato*, edita Harderouici, a. 1712. Vt adeo doctrina de Deo trinuno in veteris etiam teſtamenti libris ſatis ſit fundata, et, de quo inter Helmſtadienſes et Vitembergenſes, inprimis olim diſputatum fuit, cognitio illius ex iisdem comparari poſſit; qua et veteres Iudaeos imbutos omnino fuiſſe, certis documentis conſtat.

Euidentiora tamen vtique et clariora ſunt, quae noui foederis libri in ſe continent, S. S. Trinitatis teſtimonia et argumenta. Primum eo nomine commemoranda eſt illuſtriſſima illa in baptiſmo Chriſti ad Iordanem θεοφάνεια, a *Matthaeo, c. III, 16, 17*, caeterisque euangeliſtis deſcripta; de qua pii veteres dixerunt: *ſi non credis Trinitatem, comitare Iohannem ad Iordanem, & videbis*; quippe quam et tria diſtincta perſonarum nomina, et tria diſtincta manifeſtationis ipſarum ſymbola, et tres diſtincti actus euidenter ſatis demonſtrant. Sequitur baptiſmi formula, ab ipſo Seruatore noſtro, *Matth. XXVIII, 19*, praeſcripta; vnde prorſus conficitur, *Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*, in quorum videli-

delicet nomen baptizamur, vnum illum verum eſſe Deum. Huc porro pertinent dicta: *Ioh. XIV*, 16, 23; *2 Cor. XIII*, 13; *Apoc. I*, 4, *ſqq.* et caet. tum vero maxime inſigne illud, quod *I Ioh. V*, 7, extat, effatum, quippe quo et tres realiter inter ſe diſtinctae Deitatis nominantur perſonae: Ο ΠΑΤΗΡ, Ο ΛΟΓΟΣ, καὶ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΝΕΥΜΑ, et de iisdem, quod vnius numero ſint eſſentiae, affirmatur, veraque adeo et orthodoxa de SS. Trinitate doctrina diſertis traditur verbis.

Sed hoc quidem illud eſt dictum, cuius αὐθεντίαν magno conatu oppugnant Sociniani et Neo Ariani, qui et IOH. MORINVM, RICH. SIMONEM, IOH. CLERICVM, et alios plures ea de re ſecum habent conſentientes. Rationes, quae, ad labefactandam dicti huius Iohannei γνησιότητα, proferri ſolent, ſpecioſiſſimae hae ſunt: nempe in codicibus Graecis MSS. plerisque omnibus illud ipſum deeſſe; in verſionibus item antiquis, orientalibus maxime, Syriaca, Arabica, Aethiopica, deſiderari; nec a priſcis eccleſiae doctoribus, in diſputationibus contra Arianos, aliosue Trinitati aduerſantes, adduci; a veteribus denique epiſtolae IOHANNIS interpretibus ſilentio praetermitti. Quanquam autem facile damus, id quod negari nequit, codices Graecos MSS. qui ad noſtram peruenerunt aetatem, bene multos, de omnibus enim non confecta res eſt, hocce deſtitui

dicto, quod unde acciderit, nulla definiri poteſt coniectura, tamen ex hac eius in codicibus iſtis MSS., et comparatis ad illos verſionibus pariter, atque primis N. Teſt. Graeci editionibus, quibus potiſſimum inductus b. LVTHERVS, in conficienda Germanica verſione, id omiſit, abſentia, patrumue Graecorum ſilentio, pro ſuppoſititio illud habendum eſſe, haudquaquam inferre licet. Etenim ad aſſerendam Iohannei huius effati γνησιότητα graviſſima nobis ſuppetunt argumenta. Non in omnibus omnino, qui ſuperſunt, codicibus Graecis MSS. id ipſum deeſſe, ſed in quibusdam extare, documento ſunt antiquiſſimi et emendatiſſimi, codices Vaticani, ad quos adornata eſt editio N. Teſt. Complutenſis, prout teſtantur theologi Hiſpani, qui editioni huic praefuerunt, quorumque fides temere in dubium vocatur. Documento eſt codex Britannicus, ex quo dictum hoc, in binis prioribus N. Teſt. editionibus omiſſum, in tertia, a. MDXXII, reſtituit ERASMVS *Roterodamus*. Taceo regios, quibus uſus eſt ROB. STEPHANVS, et alios, de quibus controverſia eſt, codices MSS. itemque verſionem Armenam. Ad Latinos autem quod attinet codices, in plerisque omnibus illud exhibetur; id quod F. E. KETTNERVS, in *hiſtoria dicti huius Iohannei*, ſolerti ſtudio et induſtria probatum dedit. Iam vero etiam luculentiſſima priſcorum eccleſiae, Africanae maxime, doctorum teſtimonia adſunt, ex qui-

quibus, lectum id ab eis fuiſſe, patet. Praeterquam enim, quod TERTVLLIANVS, *adverſus Praxeam, c. XXV, Opp. edit. Pariſ. a. 1675, p. 515,* ad hunc Iohannis locum reſpexiſſe videtur, diſerte illum allegavit CYPRIANVS, *de unitate eccleſiae, Opp. ed. Pariſ. a. 1726, p. 195,* ubi haec eius ſunt verba: "Dicit Dominus: „Ego et Pater vnum ſumus. Et iterum DE „PATRE, FILIO ET SPIRITV SANCTO „SCRIPTVM EST: ET HI TRES VNVM „SVNT.„ Idem hoc, inſequentibus ſeculis, factum eſt a VICTORE Vticenſi, VIGILIO Tapſenſi, FVLGENTIO Ruſpenſi epiſcopo, aliiſque. Dictum noſtrum Iohanneum etiam refert M. AVRELIVS CASSIODORVS, *Senator* dictus, in *Complexionibus in epiſtolas et acta Apoſtolorum, et Apoc.*, a SCIP. MAFFEIO, Florentiae a. 1721 editis, et Londini, a. 1722, curante SAM. CHANDLERO, recuſis. Quam CASSIODORI allegationem, illuſtriſſimi IOHANNEI de Trinitate loci αὐθεντίαν propugnantibus validiſſimum ſubſidium praebere, MAFFEIVS, in *annotatt. p. 251, ſqq.* et in *praef. p. 42 ſqq.* pronuntiat, cum inde demum conſtet, non in Africanae tantum, ſed et in antiquiſſimis et emendatioribus eccleſiae Romanae codicibus, quippe quibus, cum Graeco textu collatis, uſus fuerit CASSIODORVS, verſiculum illum fuiſſe ſcriptum.

Argumentis, quae hactenus commemoravimus, externis addenda omnino ſunt interna,

na, quippe quae γνησιότητα dicti noſtri prorſus euincunt. Primum eam in rem illius cum aliis, quae in IOHANNIS apoſtoli ſcriptis occurrunt, dictis, tam quoad rem, quam quoad phraſin, ipſi propriam, conuenientia praebet argumentum. Tres IOHANNES eſſe dicit μαρτυροῦντας in coelo, (nempe quod IESVS, ſit Filius Dei, *v.* 5,) *Patrem*, τὸν Λόγον, quo nomine coeſſentialem Patri Filium Dei etiam appellat, *Eu. I*, 1, 14, et 1. *Ep. I*, 1, *et Spiritum ſanctum.* Idem hoc affirmat, et quidem de Patre, *Eu. c. V*, 32; de Patre et Filio iunctim, *VIII*, 18, de Spiritu S. *XV*, 26. Quod addit: *hoc tres* ἕν, *vnum eſſe*, conuenit cum eo, quod dicit *Eu. c. X*, 30; *XVI*, 13, *ſq.* Alterum argumentum ſcopi ſuppeditat conſideratio. Nam cum in eo ſit IOHANNES, vt, certiſſimorum teſtium teſtimonio conſtare, oſtendat, IESVM eſſe Chriſtum, Filium Dei, exiſtimari nequit, tres quidem illum nominaſſe teſtes terrenos, tres vero ſummos illos, ad quos Seruatorem ipſum eo nomine prouocaſſe in euangelio ſuo refert, ſilentio praeteriiſſe teſtes coeleſtes. Tertium argumentum praeſtat dicti noſtri cohaerentia cum verſu VIII, in quo teſtes memorantur ἐν τῇ γῇ, quippe quibus verbis manifeſte reſpicitur ad teſtes ἐν τῷ οὐρανῷ, itemque cum verſu IX, in quo, quae memoratur, μαρτυρία τοῦ Θεοῦ diſſertam illius antea factam ſupponit mentionem. Conf. IOH. ERNESTVS

GRA-

GRABIVS, in *annotatt. ad* GE. BVLLI *defenſ. fid. Nicenae, Opp. illius p. 138.*

Firmata dicti Iohannei *αὐθεντία*, a Socinianorum et Neo-Arianorum illorum, qui, ex abundanti, ſcilicet, eam nobis concedunt, *ψευδερμηνεία* vera verborum: *καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, et hi tres vnum ſunt*, ſententia eſt vindicanda. Haec ſcilicet verba non de trium coeleſtium teſtium *ὁμοουσίᾳ*, ſeu *eſſentiae identitate*, ſed de ipſorum *ὁμονοίᾳ*, ſeu *conſenſus vnitate*, iſti intelligenda eſſe aiunt; idque has potiſſimum ob rationes: primum, quia τὸ EN EINAI de Patre, *Λόγῳ*, et Spiritu ſancto, eodem, quo de ſpiritu, aqua, et ſanguine, *v. ſq.* id praedicatur, accipiendum ſit ſenſu; ſecundo, quia illa ipſa phraſis de Patris et Filii conſenſione, *Ioh. XVII, 11, 21, ſq.* adhibeatur. Vid. CATECH. RACOV. *edit. recogn. ſect. III, c. 1, p. 19;* GE. ENIEDINVS, in *explic. loc. V. & N. T. p. 426, ſq.* IOH. LVD. A WOLZOGEN, *inſtitut. chr. part. I, c. 14, p. 46, ſq.* et caet. Conf. CHR. SANDIVS, in *interpretatt. paradox. evangelior. p. 208, ſqq.* et in *append. p. 382, ſqq.* itemque, in *ſcriptura, S. Trinitatis revelatrice, p. 91, ſqq.* Sed ad primum quod attinet, ex eo, quod de ſpiritu, aqua et ſanguine conſenſus vnitas praedicatur, haud ſequitur, eandem illam de Patre, Filio et Spiritu S., praecedente verſu, praedicari, quin potius, diuerſam praedicatorum eſſe rationem, ex textu clare intelligitur, vbi de teſtibus *ἐν τῷ οὐρανῷ* dicitur, eos

EN

ΕΝ ΕΙΝΑΙ, de teſtibus autem ἐν τῇ γῇ, eos ΕΙΣ ΤΟ ΕΝ ΕΙΝΑΙ, ſicque adeo vnitatis coeleſtium et terreſtrium diſcrimen indicatur, ſimulque poſteriori phraſi ad illorum, qui eſſentia vnum ſunt, teſtimonium, horum comparatam eſſe teſtificationem, ſignificatur. Quoad alterum, licet phraſis: ἓν εἶναι, *Ioh. c. XVII*, ad arctiſſimi Patrem inter et Filium conſenſus referenda ſit vnitatem, id quod inſtituta ibi cum fidelibus comparatio docet, hinc tamen inferri nequit, τὸ ἓν εἶναι, iis etiam in locis, vbi de perſonis diuinis ſimpliciter et abſolute dicitur, non eſſentiae vnitatem, quae firmiſſimis nititur fundamentis, ſed ὁμόνοιαν tantum denotare. Illa ipſa, quae, *Ioh. c. XVII*, commemoratur, arctiſſimi Patrem inter et Filium conſenſus vnitas nequaquam numericam eſſentiae excludit vnitatem, quem ad modum nec fidelium conſenſus vnitas ſpecificam, genericamue eorundem excludit vnitatem. Caeterum, quam abſona Socinianorum dicti noſtri Iohannei de trium teſtium coeleſtium vnitate ſit interpretatio, vel ex illis, quas τοῦ Λόγου et Spiritus ſancti nominibus, in nota, *Catecheſi Racov. l. c. p. 20*, ſubiuncta, affingunt, notionibus apparet, ſi quidem per τὸν Λόγον *vocem Patris*, per Spiritum ſanctum *vim altiſſimi*, intelligi volunt.

Quemadmodum igitur doctrina de perſonarum in vna eſſentia diuina trinitate certiſſima

tiſſima ſacrarum litterarum teſtimonia habet, ita termini eccleſiaſtici, quibus efferri ea ſolet, rectiſſime adhibentur, quippe qui diſertis itidem earundem aſſertionibus nituntur. Nam primo Scriptura Sacra docet, Patrem a Filio, Filium a Patre, et ab vtroque Spiritum ſanctum realiter differre, ita vt alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus S.; idque cum in illis, quae de trinitate perſonarum agunt, tum in aliis dictis, v. c. *Ioh. V*, *32*, *XIV*, *16*, *23*, *XV*, *26*, et caet.; eoque ipſo etiam diſtincta nomina Patris, Filii, et Spiritus S, ſpectant, in diſtinctis videlicet actibus ad intra fundata, et reale quoddam vnius ab altero inferentia diſcrimen. Deinde non ſolum Patrem, ſed Filium etiam et Spiritum S. verum aeternumque eſſe Deum ſacrae litterae teſtantur, ſiquidem ea, quae ſoli ſummo aeternoque Deo propria ſunt, Filio et Spiritui S. aeque, ac Patri, in iisdem attribuuntur. Tertio vero etiam vnitati Dei, eique non ſpecificae, ſed numericae, firmiſſimum Scriptura teſtimonium praebet, et de Patris, Filii et Spiritus S. deitate nos erudiens, nusquam tres pluresue Deos, ſed non niſi vnum eſſe dicit Deum. Conf. I. F. BVDDEVS, *Inſtitut. Theol. dogm. l. II. c. 1. p. 364. ſqq.*

Errorum confutatio.

Cum Trinitatis myſterium cum maxime ad τὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ Θεοῦ pertineat,

de

de quibus apoſtolus dicit, *hominem naturalem ea non percipere, ſtultitiam enim illi eſſe, nec intelligi ab ipſo poſſe, quia ſpiritualiter diiudicanda ſunt*, 1 *Cor. II*, 14; mirum videri haud debet, eos, qui male ſanae quoad myſteria diuina rationis ductum ſequuntur, hoſtiliter id ipſum inſectari. Ingens inde ab apoſtolorum aetate ad noſtra vsque tempora eiusmodi hominum extitit numerus, qui ſacrarum litterarum de Trinitatis myſterio doctrinam deteſtandis erroribus ſuis euertere inſtituerunt. Vid. IOH. WILH. BAIERI *diſſertatio de monarchiunis antitrinitariis antiquis et recentioribus, ad illuſtrandum articulum I Aug. Conf. p. p. Halae, a.* 1695. Cum non vno eodemque omnes rem aggreſſi fuerint modo, cum b. I. F. BVDDEO, *inſtitut. theol. dogm. l. II, c. 1, p. 406, ſqq.* quatuor conſtituendas eſſe arbitramur antitrinitariorum claſſes.

Prima eſt eorum, qui vnicam tantum Deitatis perſonam, Patris nomine deſignatam, eſſe ſtatuentes, trinitatem ita negant, vt ne ſpeciem quidem, vel vmbram quandam illius admittant. Ad hanc referendi ſunt primorum aerae chriſtianae ſeculorum haeretici, *Cerinthiani, Ebionitae, Artemonitae*, et, ex communi fere virorum doctorum ſententia, *Samoſateniani*, tum vero maxime PHOTINVS, Sirmienſis epiſcopus, ſaeculi IV haereſiarcha, cum aſſeclis ſuis. Eo porro loco numeroque ſunt *Iudaei*, qui a maiorum ſuorum de

Deo

Deo trinuno fidei doctrina turpiter deſcive-runt, et, qui in A. C. *art. I* antitheſi nomina-tim notantur, *Muhammedani*. Nam et hi, vt ſolemnis eorum habet confeſſio, vnam tan-tum deitatis agnoſcunt perſonam, inque *Co-rana* ipſorum, *Sur. IV, V, IX*, de perſo-narum trinitate doctrina reprobatur, et hanc profitentes chriſtiani, tanquam *muſchri-kuna*, id eſt, *aſſociantes*, qui, polytheitarum more, vni Deo ſocios iungant, et vt *infideles* damnantur. Cum Muhammedanis et Iudae-is recentioribus aeque, ac priſcis illis haere-ticis prorſus conſentiunt *Sociniani*, FAVSTI nimirum SOCINI progenies, qui et, ob re-ſuſcitatam ex orco ab illo, patruoque eius, LAELIO, ſeculo XVI, PHOTINI haereſin, *Neo Photiniani* vocari ſolent. Paralleliſmum, ſeu conſenſum Muhammedanorum et Neo Photinianorum in doctrina de Deo ſpecia-tim expoſuit IOH. HENR. HOTTINGERVS, *Hiſt. orient. l. II, c. 3, p. 367. ſqq.*

Alteram Trinitatis hoſtium claſſem con-ſtituunt *Sabelliani*, qui, teſte THEODORETO, *haeret. fab. l. II, c. 9, opp. t. IV, p. 223*, tria Patris, Filii et Spiritus S. nomina ad vnam Deitatis referentes perſonam, Deum, ἓν τριώνυμον πρόσωπον, *vnam trinominem perſonam* eſſe, docue-runt, ac reale adeo perſonarum in vna eſſen-tia diuina negarunt diſcrimen. Abſoni hu-ius erroris non primus quidem auctor, prae-

ci-

cipuus tamen propugnator, ſeculo III, extitit SABELLIVS, a quo proinde is ipſe *Sabellianiſmi* nomen accepit. Hiſtoriam illius ſingulari libro deſcripſit CHRISTIANVS WORMIVS, edito Francofurti, a 1696. Vnicam dicto modo Deitatis perſonam, et Patris, et Filii, et Spiritus S. nominibus appellari, ſtatuentes Sabelliani, cum ex ὑποθέσει hac ipſas etiam Filii in carne perpeſſiones tribuerent Patri, eam ob rem *Patripaſſiani* a ſcriptoribus eccleſiaſticis appellantur. A Sabellianiſmo prope abſunt, qui Trinitatis myſterium ex ratione demonſtrare inſtituunt, quippe quorum demonſtratio eo comparata eſt, vt in Deo non niſi tres habitus, qualitates, cogitandiue modi concipiantur.

Tertio iam nominandi ſunt loco, tres quidem admittentes perſonas diuinas, Patrem, Filium et Spiritum S., eiusdem vero eſſentiae et potentiae, et coaeternas illas eſſe, negantes. Huc pertinent in Auguſtana confeſſione, *l. c.* notati *Ariani* et *Eunomiani* Perſonarum nimirum diuinarum inaequalitatem in primis docuit ARIVS, presbyter Alexandrinus, ſeculo poſt C. N. quarto, haereſeosque extitit auctor; quae, licet in primo illo concilio oecumenico, Nicaeae, CONSTANTINI M. Imp. auctoritate, celebrato, inſequentibusque, fuerit damnata, nihilo minus longe lateque diffuſa, magnam orbis chriſtiani partem occupauit, et orthodoxis eccleſiae do-

doctoribus diu multumque cum ipſa conſtituendi impoſuit neceſſitatem. ARII autem, Platonicae philoſophiae placitis imbuti, error ſummatim is erat. Nempe aiebat, Deum Patrem ſummum eſſe Deum; Filium Dei a Patre, ante mundum conditum, fuiſſe creatum, nec adeo Patri eſſe, *συναΐδιον*, *coaeternum*; et *ὁμοούσιον*; *coeſſentialem*; Spiritum ſanctum *κτίσμα κτίσματος* eſſe, per Filium videlicet creatum. ARII ſectatores, ſeu *Ariani*, in eo quidem conſpirarunt omnes, Filium Dei Patri non eſſe *ὁμοούσιον*, ſed *ἑτεροούσιον*, in eo vero inter ſe diſſenſerunt, quod alii Filium Patri *ὁμοιούσιον*, vel aliquo modo *ὅμοιον* *ſimilem* eſſe, dicerent, diuerſimode tamen *ὁμοιουσίαν* et *ὁμοιότητα* illam enarrantes; alii *κατὰ πάντα ἀνόμοιον*, *per omnia diſſimilem* eſſe, affirmarent. Illi *Semi Ariani*; hi *Anomaei*, iidemque, a ducibus ſuis, *Aetiani* et *Eunomiani* ſunt appellati. EVNOMIANORVM praeſertim *anomoeis* datum eſt nomen, eo quod EVNOMII, Cyziceni epiſcopi, de quo videri poteſt IAC. BASNAGIVS, apud IOH. VOGTIVM, *Biblioth. hiſtor. haereſiolog. tom. I, faſc. 3, p. 483, ſqq.* potiores in haereſi illa propugnanda, quam magiſtri ipſius, AETII, fuerunt partes. Inter Semi-Arianos fuit MACEDONIVS, acerrimus praeter caeteros deitatis Spiritus ſancti hoſtis et oppugnator, ita vt *Pneumatomachi* antea dicti, *Macedonianorum* ab eo retulerint nomen. Tantum vero abeſt, vt Arianiſmus

 pror-

prorſus ſit extinctus, vt potius in *Neo-Arianis* is reuiuiſcere coeperit. Ex horum numero, ſuperiore ſeculo, fuit CHRISTOPHORVS SANDIVS. Noſtra vero aetate, Arianiſmum in orbem chriſtianum denuo inuehere omni ſtudio anniſus eſt GVILELMVS WHISTONVS, nonnulloſque etiam, vt fieri ſolet, vbi vel noui errores proferuntur, vel veteres renouantur, in Anglia nactus eſt ſuffragatores. Quin etiam ex ipſis theologis Anglis quoſdam ea tradere, quae perſonarum diuinarum aequalitati aduerſantur, ex ipſorum de Trinitate ſcriptis liquet.

Ad quartam referendi ſunt claſſem *tritheitae*, qui IOHANNEM PHILOPONVM, ortu Alexandrinum, Ariſtotelicae philoſophiae addictum, ſeculo VI clarum, ſecuti ducem, ſublato inter ὑπόςασιν et οὐσίαν in doctrina de Trinitate diſcrimine, reiectaque numerica eſſentiae diuinae vnitate, tres in Trinitate naturas, ſeu ſubſtantias eſſe, ſtatuerunt.

Tot coeleſtis ſacrarum litterarum de tribus in vna eſſentia diuina perſonis doctrina nacta eſt aduerſarios, tamque variis modis male ſani homines, inde a chriſtianiſmi initiis, illam oppugnarunt. Expendenda nobis iam forent argumenta, quibus antitrinitarii qui vnam tantum agnoſcunt Deitatis perſonam, Deum videlicet Patrem, nominatim, qui eorum hodieque ſunt coryphaei, *Sociniani*, grauiſſimo iſti errori veritatis induunt ſpe-

ſpeciem, incautosque decipiunt bene multos. Sed cum hac opera praeclariſſime defuncti ſint, et fuſe, copioſeque ad ea reſponderint noſtratium theologorum pariter, atque Reformatorum complures, qui vel *Catechesin Racouienſem*, vel ENIEDINVM, vel OSTORODVM, vel CRELLIVM, vel VOLKELIVM aliosue ex inſtituto confutarunt, vel Socinismum generatim profligarunt, illas tantum, quas in ſcriptis ſuis, praeſertimque in *Catecheſi Racouienſi, ſect. III, c. 1, p. 16*, omnium maxime iactant, conſiderabimus rationes, et quam inane ſit, quod errori ſuo haſce praeſtare putant, praeſidium, paucis oſtendemus. Primum argumentum ex ratione, in myſteriis diuinis coeca, petunt, eique repugnare, aiunt, vnam Dei numero eſſe eſſentiam, et plures numero in illa eſſe perſonas. Ita nimirum ex eo, quod in finitis quaelibet perſona totam habet eſſentiam, totaliter et excluſiue, perperam inferunt, cum infinita Dei eſſentia eundem in modum rem ſeſe habere. Infinita Dei eſſentia non ψυχικῶς, *naturaliter*, ſed πνευματικῶς, id eſt, Spiritus S., in ſacris litteris de illa nos erudientis, ductu, eſt diiudicanda, quippe cuius cognitionem humana ratio nullo aſſequi poteſt modo, ex ſola hauriendam reuelatione diuina. Iam, cum catholica chriſtianae eccleſiae doctrina, quae *tres in vna eſſentia diuina perſonas eſſe*, tradit, firmiſſimis, vt ſupra oſtendimus, ſacrarum

litterarum nitatur fundamentis. illi ipſi, quicquid humana obuertat ratio, prorſus eſt inhaerendum. Sed nec contra rationem, vt aduerſarii vociferantur, haecce eſt doctrina, veramque haudquaquam in ſe continet contradictionem, cuius tum demum incuſari poſſet, ſi, vnam dicendo eſſentiam diuinam, ſimul etiam tres eſſe diceret eſſentias diuinas.

At enimuero, ipſas etiam ſacras litteras errori ſuo patrocinari, ſibi aliiſque perſuadere conantur NeoPhotiniani, atque ex iiſdem adeo alterum deſumunt argumentum, quo SS. Trinitatis myſterium impugnant. Nempe, Scripturam ſacram affirmare, dicunt, non niſi vnam eſſe perſonam diuinam, Patrem videlicet Domini noſtri Ieſu Chriſti. Prouocant eo nomine ad dicta: *Ioh. XVII, 3; 1 Cor. VIII, 6; Eph. IV, 6.* De his dictis primo generatim monemus, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς γραφῆς, καὶ τῆς πίστεως, quam turpiter negligere ſolent Sociniani, ea eſſe accipienda; ſiquidem Scriptura ſacra, quae tres coeſſentiales Deitatis perſonas eſſe, teſtatur, et IESVM Chriſtum τὸν ὄντα ἐπὶ πάντων Θεὸν κ. τ. λ. *Rom. IX, 5;* τὸν ἀληθινὸν Θεὸν. *1 Ioh. V, 20;* τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, *Iud. 4,* vocat, ſibi ipſi contradicere nequit. Iam quod ſpeciatim ad locum, *Ioh. XVII, 3,* attinet, quo et veteres Antitrinitarii vſi ſunt Achille, falſum hoc inde ducitur argumentum: ſi ſolus Pater eſt

verus

verus Deus, ſequitur, nec Filium, nec Spiritum S. eſſe verum Deum. Etenim vox μόνος perperam ad ſubiectum refertur, quippe quae, cum ἀληθινὸς coniuncta, ad praedicatum pertinet; cumque adeo Parer dicitur μόνος ἀληθινὸς Θεὸς, non excluduntur perſonae, quae aeque ſunt ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεὸς, ſeu quarum deitas aeque, ac Patris, eſt ſola vera Deitas; ſed Deo vero oppoſiti falſi dii. Fruſtra excipit SCHLICHTINGIVS, in *Comment. in Ev. Joh. p. 121*, aequipollentes has eſſe propoſitiones: *Solus Pater eſt verus Deus*, et *Pater eſt ſolus verus Deus*; cum ab identicis, quarum exemplum profert, propoſitionibus diſcernendae ſint illae, in quibus praedicatum latius patet ſubiecto, vbi excluſiua, addita praedicato, non excludit alia ſubiecta, quibus idem conuenit praedicatum, ſed ea, quae huic ſunt oppoſita. Exempli loco eſſe poteſt propoſitio: Fides Abrahami eſt ſola vera fides ſaluifica; et caet.

At vero hoc etiam modo Sociniana facile conuelli poterit ratiocinatio. Vocabulum Θεὸς in hoc ipſo Seruatoris oraculo *praedicatum* eſt *perſonale*, hoc eſt, pro *perſona* τοῦ Πατρὸς accipitur, *v. 1, 21, 24, 25*. Alterum *praedicatum*, ἀληθινὸς, eſt *eſſentiale*, cumque ſignificat, cui notio *verae Deitatis* re ipſa tribuenda eſt. Quod denique ad vocem μόνος attinet, illa *determinat* Deum, quod nimirum illa, quae in *Patre* ineſt, Deitas *ſola vera* Deitas ſit. His igitur praefultis, eximia haec

veritas dogmatica in his Seruatoris proponitur verbis: *Pater eſt perſona, cui notio Deitatis, quae ſola vera eſt, iure meritoque competit.* Cumque in hoc orationis vinculo *Pater* relatiue opponatur *Filio:* conſequens eſt, vt ille *prima*, hic vero *ſecunda* ſit perſona. *Pater* eſt *vna* ex iis perſonis, quibus notio Diuinitatis ſola vera propria eſt. Ex quo ſequitur, vt et *Filius* ex iisdem perſonis *vna* ſit, nec minus *Spiritus ſanctus.* Cui quidem veritati ea ſacrarum litterarum adſunt oracula, quae clariſſima ſplendent luce. Ita contra Socinianos diſputat S. R. CHRISTOPHORVS WOLLEIVS, in *Apologia pro vera diuinitate Ieſu Chriſti, ex h. l. ducta, Lipſiae, a MDCCXLI.* Operae pretium erit, vim ac neruos demonſtrationis huius ex illa ipſa petere Apologia.

Locum *1 Cor. VIII, 6*, iam ſupra, vbi ad confirmandam vnitatem Dei eum adduximus, a Sociniana vindicauimus ψευδερμηνείᾳ. Nam in hoc, et caeteris Scripturae ſacrae locis, in quibus vnus dicitur eſſe Deus, Pater, nequaquam caeterae Trinitatis perſonae ab eſſentiae diuinae excluduntur vnitate. Conf. ex Patribus, praeter caeteros, CYRILLVS, Alexandriae Archiepiſcopus, in *theſauro de ſancta et conſubſtantiali Trinitate, aſſert. XXVII, Opp. t. V, p. 247, ſq.* et HILARIVS, *de Trinitate, lib. IX, p. 1004, ſqq. edit. Pariſ. Benedictinorum:* ex noſtratibus theologis, IOH. AD. SCHERZERVS, in *Collegio Anti-Socin iano, p. 74, ſqq.*

THESIS III.

Deus eſt aeternus, incorporeus, impartibilis, immenſa potentia, ſapientia, bonitate.

Vid. *Aug. Confeſſ. l. c.*

Expoſitio et Confirmatio.

Deo trinuni varia competunt attributa, quae ſummam et infinitam eſſentiae diuinae, quam, in ſe ſpectatam, mortalium nemo mente conſequi poteſt, conſiderationi noſtrae ſiſtunt perfectionem. De his primo notandum eſt, non *realiter* illa inter ſe, et a divina differre eſſentia, ſed cum eſſentia Dei, et inter ſe realiter vnum eſſe, ac proinde non niſi *ratione* differre, id eſt, ab intellectu noſtro diſtincte concipi. Realis attributorum in Deo differentia nullo modo admitti poteſt, quod inde ſequeretur, ex ſubiecto et accidentibus compoſitum eum, hincque etiam mutationi obnoxium eſſe; id quod ſimplicitati et immutabilitati Dei aperte repugnat.

Complura autem illa, quae in ſacris litteris commemorantur, attributa diuina ad duo genera reuocari ſolent, ita ut prioris generis

ſint, quae eſſentiam diuinam *abſolute* et in ſe, citra reſpectum ad operationem, poſterioris, quae eandem *reſpectiue*, reſpectu videlicet ad ἐνέργειαν, ſeu operationem, habito, deſcribunt. Ab aliis vero diuiduntur in *negatiua*, quae vel vi vocum, vel vi ſignificationis, negationem inferunt, ſiue remotionem imperfectionum, quae in creaturis deprehenduntur, et *poſitiua*, quae cum reſpectu ad poſitiuas, quae in creaturis ſint, perfectiones, ac per modum illarum, in eminentiſſimo vero concipiuntur gradu. B. BVDDEVS, *Inſtitut. Theol. dogm. l. c. p. 297*, et *Theol. mor. p. 584*, duas item conſtituit claſſes, quarum vna continet, quae ex notione ſpiritus; altera, quae ex notione independentiae fluunt.

In *Auguſtanae Confeſſionis articulo I*, ex quo noſtra deſumta eſt theſis, vnitati Dei ſequentia adduntur attributa. Primum eſt *aeternitas*, quo nomine proprie, abſolute et ſimpliciter, permanens ſignificatur duratio, ſine principio et fine fine, ſine omni partium ſucceſſione et viciſſitudine, quatenus quaeque tota ſimul eſt; „interminabilis, ſecundum definitionem SEV. BOETHII, *conſolat. philoſ. lib. V*, „*proſ. 6, p. 258*, vitae tota ſimul et perfecta poſ„ſeſſio." Quo ſenſu ſoli Deo competit aeternitas, quatenus nimirum triplicem infert imperfectionis negationem, 1) initii, cum actualis, tum poſſibilis, 2) finis, itidem, cum actualis, tum poſſibilis, 3) viciſſitudinis omnis,

par-

partiumque ſucceſſionis. De hac Dei aeternitate, quam vel ipſa ſana ratio docet, plura loquuntur ſacrarum litterarum dicta, v. c. *Pſalm XC, 2, 4; CII. 28; Rom. XVI, 26; 1 Tim. I, 17; Apoc. I, 4.*

Alterum attributum eſt *ſpiritualitas*, quippe quae his deſignatur verbis, vbi Deus dicitur *incorporeus, impartibilis*. Etenim ſpiritualitas ſpeciatim negationem compoſitionis ex materia et forma, itemque ex partibus integrantibus, formali ſuo conceptu inuoluit, et ſub ſimplicitate Dei comprehenditur, quae generatim realem compoſitionem omnem, quo demum cunque nomine ea veniat, a Deo remouet. Manifeſta Scripturarum illa ipſa teſtimonia habet, quippe quae Deum *ſpiritum*, id eſt, materiae omnis expertem, et incorporeum adeo, atque impartibilem eſſe, affirmant. Vid. *Ioh. IV, 24; 2 Cor. III, 17.* Ineptiſſimo errore, *Audiani*, ſeculi IV haeretici, Deo corpus humanum affinxerunt, hinc *anthropomorphitae* dicti, cui etiam errori inter Muhammedanos, vt GREG. ABVLFARAIVS, in *ſpecim. hiſt. Arabum. p. 21*, et ED. POCOCKIVS, in *notis p. 225 ſqq.* docent, addicti ſunt *al-moshabbehi*, id eſt, *aſſimilatores*, qui vocantur. Eiuſdem vero etiam erroris, ex propria dictorum Scripturae ſacrae, in quibus Deo, per ἀνθρωποπάθειαν, et συγκατάβασιν, membra corporea tribuuntur, acceptione orti, CONR. VORSTIVS inſimulatur.

Sequuntur iam tria Dei attributa ἐνεργητικά, ſeu poſitiva, *potentia*, *ſapientia*, *bonitas*, eaque dicuntur *immenſa*, eo ſcilicet ſenſu, quo immenſum idem eſt, quod *infinitum*. Nempe cum infinitas peculiare eſſentiae diuinae ſit attributum, et in eo conſiſtat, quod nullos, quibus circumſcribatur, terminos habeat, limiteſue, de his adeo aliiſque attributis poſitiuis, infinita ea eſſe, veriſſime praedicatur. *Potentia Dei* ea eſt perfectio, qua Deus extra ſe producere poteſt omne illud, quod ullo modo poſſibile eſt fieri, hoc eſt, quod nullam inuoluit contradictionem, vel ex parte rei ipſius, (quo modo ἀδύνατον eſt, idem eſſe et non eſſe, factum infectum reddere, etc.) vel ex parte agentis, quo pertinent ea omnia, quae imperfectionem arguunt, et ipſi eſſentiae diuinae repugnant. Eſt igitur haec potentia Dei *infinita*, cum extenſiue, quippe quae ad omnia poſſibilia ſeſe extendit, vnde *omnipotentia* dicitur, tum in ſe, cum nullos durationis, virtutiſue limites agnoſcat. Immenſa, ſeu infinita Dei potentia confirmatur dictis: *Gen. XVIII, 14, Pſalm. CXXXV, 5, 6, Ierem. XXXII, 17, 27; Matth. XIX, 26, Luc. I, 37;* quin etiam, in ſe ſpectata, ex lumine rationis demonſtrari poteſt, licet ratione obiecti, rerum videlicet poſſibilium, adaequate ac perfecte inde cognoſci nequeat. *Sapientia* Dei in electione eius, quod eſt optimum, cauſarumque et effectuum omnium

aptiſſi-

aptiſſima diſpoſitione, et ad bonum finem directione conſiſtit; eſtque adeo ea ipſa etiam aeque, ac ſcientia Dei, ſub qua comprehendi exiſtimatur, *infinite* perfecta. Luculentiſſima illius documenta praebent creationis et redemtionis opera, cunctaque gubernans prouidentia diuina, hocque Dei attributum inprimis celebratur, *Iob. XII, 13; XXVIII, 20, ſqq. Rom. XI, 33, 1 Tim. I, 17.* Ita vero etiam *infinita* Deo competit *bonitas*, idque cum abſolute, et in ſe, quatenus nimirum omnia, quae enti perfectiſſimo conueniunt, in ſe complectitur, tum relatiue, et quoad nos, quatenus omnis boni cauſa eſt efficiens, exemplaris, et finalis. Vid. *Luc. XVIII, 19; Iac. I, 17,* et caet.

THESIS IV.

Deus trinunus creator et conſeruator eſt omnium rerum, viſibilium et inuiſibilium.

Vid. Aug. Conf. l. c. Art. Smalcald. P. I, n. 1, p. 303; Catech. min. p. 370, mai. p. 450, ſqq.

Expoſitio.

Cum τὰ ἀόρατα θεοῦ, ſumma praeſertim et infinita ipſius potentia, ſapientia et bonitas, ex creatione et conſeruatione huius vniuer-

uerſi eximium in modum eluceſcant, et co-gnoſci poſſint, (*Pſalm. XIX, 2, ſqq. Rom. I, 20; Act. XVII, 24-28,*) hinc Auguſtana Confeſſio, in deſcriptione Dei, haec eius opera dictis attributis ipſius adiungit. Quamuis autem de his Dei operibus in libris noſtris ſymbolicis, ſi a primi ſymboli Apoſtolici articuli in vtroque Catechiſmo expoſitione diſceſſeris, ex inſtituto non agatur, ſcitu tamen de iiſdem maxime neceſſaria, hac occaſione proponemus. In doctrina de creatione quatuor haec potiſſimum ſunt conſideranda: *cauſa* illius *efficiens, obiectum, modus, finis*.

Cauſa efficiens creationis, ſiue creator huius vniuerſi, eſt Deus trinunus, Pater, Filius et Spiritus ſanctus. In ſymbolo quidem *Apoſtolico* et *Nicaeno* Patri ſpeciatim attribuitur opus creationis, hoc ipſo autem nequaquam Filio et Spiritui S. illud, vtpote opus Dei ad extra, adeoque tribus Deitatis perſonis commune, abiudicatur. Nempe ſingulis Perſonis diſtincta opera externa, ad illarum, vt in ſubſiſtendo, ita etiam in agendo, ordinem habito reſpectu, adſcribuntur; hincque Patri, primae Deitatis perſonae, creatio, primum diuinitatis opus, in quo etiam peculiariter is ſeſe manifeſtauit, appropriatur. Eſt igitur creatio opus trium Deitatis perſonarum; quae vero nequaquam, ſecundum erroneam quorundam ſententiam, vt cauſae ſociae, nedum ſubordinatae, in illo

ſunt

ſunt concipiendae. Nam in cauſis ſociis diuerſa numero cauſandi vis eſt; diuinae autem perſonae, quae, vt vnam numero eſſentiam, ſic et vnam eandemque numero habent potentiam, vna indiuiſa et ſimpliciſſima cauſalitate atque actione, extra ſe operantur. Id vero etiam, quoad primum hoc doctrinae de creatione momentum, notandum eſt, Deum trinunum cauſam efficientem eſſe abſolute talem, quippe qui non ſolum omnipotente ſua virtute, ſed etiam nulla interueniente cauſa inſtrumentali, miniſterialiue, mundum creauit. *Obiectum* creationis, ſeu id, quod Deus creauit, eſt hoc vniuerſum, coelum et terra, et omnia quae ſunt in illis, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα, *viſibilia et inuiſibilia*, res materiales et immateriales. *Modus*, ſiue formalis creationis ratio in eo conſiſtit, quod Deus vniuerſum hoc, omnipotentis voluntatis ſuae verbo, ex nihilo fecit, atque perfecit. Hinc creatio mundi, ſtilo eccleſiaſtico, formaliter notat productionem ex nihilo, τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰ τὸ εἶναι παραγωγὴν, quemadmodum a CHRYSOSTOMO, *Homil. in 1 Cor. V*, 17, et BASILIO M. *Ep.* 141, appellatur. Vid. IO. CASP. SVICERVS, *expoſit. ſymboli Nicaeno CPolit. c. V, p.* 112. Ex nihilo igitur in creatione mundi facta ſunt omnia, alia quidem immediate, ſeu ex nihilo, quod dicitur, negatiuo, entitatis omnis inferente negationem, vt primae diei opera,

quae

quae coeli et terrae nomine deſignantur, alia mediate, ſeu ex nihilo, quod dicitur, priuatiuo, materiam quidem ſupponente, ſed ad rem producendam prorſus inhabilem, et natura ſua ineptam, ac propterea pro nihilo habendam; vt reliqua ἐξαημέρου, opera, quae ex huiuſmodi materia, primo ſcilicet die producta, ſunt facta. Productio mundi ex nihilo connexam ſibi habet eiuſdem in tempore creationem. *Finis* creationis rerum omnium vltimus, eſt gloriae Dei, infinitae videlicet bonitatis, ſapientiae, ac potentiae ipſius manifeſtatio, intermedius, hominum vtilitas, qui egregie exponitur in *Catechiſmo maiore, p. 490.* Conf. LACTANTIVS, *lib. de ira Dei, c. 13, Opp. edit.* S. GALLAEI, *p. 797, ſqq.*

Creationi huius vniuerſi quae ſubiungitur, eiusdem *conſeruatio*, id Dei eſt opus, quo, rerum creatarum omnium curam gerens, cuncta ſuo modo conſeruat. Coniuncta cum illa ſunt tum *concurſus* Dei ad motus illarum atque actiones, tum ſapientiſſima *gubernatio*. Diuerſi enim hi, noſtro concipiendi modo, actus arctiſſimo inter ſe cohaerent nexu, et τῆς προνοίας, *prouidentiae Dei* nomine deſignantur, quatenus nimirum illa διοίκησιν, quae actus Dei internos, ſeu immanentes, πρόγνωσιν et πρόθεσιν, tanquam effectus, inſequitur, ſpeciali denotat ſignificatu. Prouidentiae igitur huius diuinae obiectum generale omnes ac ſingulae ſunt creaturae, tam inanimatae, quam ani-

animatae, ne minimis quidem exceptis, cum in hac rerum vniuerſitate nihil ſit tam exile, ad quod illa ſeſe non extendat; ſpeciale, pii et fideles, quippe quorum, vt paterfamilias liberorum, ſingularem Deus curam gerit. Tum vero etiam ad prouidentiae diuinae obiectum pertinent omnia, quae fiunt, ſiue bona ſint, ſiue mala, cum phyſica, tum moralia; circa quae tamen, non vno eodemque modo ac reſpectu, illa ipſa verſatur.

Confirmatio, cum errorum confutatione.

Deum triunum efficientem creationis eſſe cauſam, generatim omnia illa ſacrarum litterarum comprobant dicta, quae ſolum verum Deum vniuerſum hoc creaſſe, affirmant. Ex magno illorum numero allegaſſe, ſufficiat: *Pſalm. XCVI*, *5*; *CXXI*, *2*; *Ieſ. XLIV*, *24*; *Ierem. XXXII*, *17*; *Act. IV*, *24*; *XVII*, *24*; *Apoc. IV*, *11*. Speciatim id confirmant loci, in quibus hoc vni Deo vero proprium opus non ſolum indefinite pluribus, ſed etiam definite tribus Deitatis attribuitur perſonis, Patri, Filio et Spiritui ſancto: *Gen. I*, *1-3*; *Pſalm. XXXIII*, *6*, tum vero ſigillatim etiam Filio, *Ioh. I*, *3*, *Col. I*, *16*, *Hebr. I*, *2*, *10*; et Spiritui ſancto, *Gen. 1*, *2*, *Iob. XXXIII*, *4*, vindicatur. Coeleſti huic veritati non aduerſari non poſſunt antitrinitarii, qui vnam tantum agno-

ſcunt

ſcunt Deitatis perſonam; Deum videlicet Patrem. Hinc Sociniani luculentiſſima illa S. S. dicta, in quibus creationis opus ad Filium Dei refertur, manifeſta ἑτεροδερμηνεία peruertunt, ita vt vel de creatione ſecunda, ſeu reſtauratione mundi per euangelium, vel de prima mundi creatione propter Chriſtum facta, accipienda ea eſſe dicant. Vid. CATECHESIS RACOV. *ſect. IV, c. I, a p. 38, vſque ad p. 49.* Ariani vero, qui Filium a Patre, ante mundum conditum, factum eſſe ſtatuunt, vniuerſum hoc per illum, tanquam ὄργανον et ὑπουργὸν, ſeu cauſam inſtrumentalem, creatum fuiſſe, aiunt; idque ex particula ΔΙΑ, quae in locis illis, in quibus Filio creatio adſcribitur, euincere conantur. Vid. GVIL. WHISTON, in *the account of the primitiue Faith, vol. IV, p. 160.* Sed nullum prorſus particula illa errori Ariano praeſidium praebet, quippe quae de Patre etiam vſurpatur, *Rom. XI, 36; 1 Cor. I, 9; Hebr. II, 10;* et cauſae adeo efficentis principalis manifeſtam quoque notionem habet. Nec aliter de Filio dictis in locis accipiendam eam eſſe, vel locus, *Hebr. I, 14,* Arianos edocere poteſt. Accedit, creationis, ſolo videlicet creantis iuſſu peractae, inſtrumentalem ne cogitari quidem poſſe cauſam. Priſcorum haereticorum, qui ſacrarum litterarum de ſolo vero Deo, mundi, rerumque omnium in eo creatore, aperte repugnant, errores, quo et ſupra notatus pertinet Manichaeiſmus, referre non iuuat.

For-

Formalis iam demonſtranda eſt creationis mundi ratio, nempe quod Deus vniuerſum hocce, reſque omnes, viſibiles et inuiſibiles, ex nihilo, partim immediate, partim mediate, omnipotente ſuo produxerit verbo. Prouocamus eo nomine ad ipſam creationis hiſtoriam, a Moſe, *Geneſeos capite primo*, deſcriptam, in cuius ſtatim *v. 1*, ſcriptor ille diuinus, *Deum in principio coelum et terram creaſſe*, dicit. Etenim verbum ברא *creare*, quo is vtitur, natiua ſua ſignificatione, quemadmodum, praeter alios, S. R. D. SAL. DEYLINGIVS, *obſeru. ſacr. part. I, p. 15, ſqq.* oſtendit, rei antea non exiſtentis productionem notat; eamque notionem hic vtique obtinere, ex addito בראשית, *in principio*, vberius apparet, ſiquidem, in rerum omnium initio, praeter Deum, nihil quidquam, et conſequenter nulla etiam extitit materia; quam adeo Deus, *coeli et terrae* indigeſtam producendo molem, eo ipſo primum creauit. Addimus locum, *Hebr. XI, 3.* in quo apoſtolus, *fide intelligi*, ait, *mundum compoſitum fuiſſe, verbo Dei*, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *ita vt quae cernuntur*, corporis videlicet mentiſue oculis, *non ex apparentibus*, vel, *ex non apparentibus, facta ſint.* Ita nimirum apoſtolus clariſſime docet, vniuerſum hoc, coelum et terram, quaeque in illis ſunt, omnia non ex materia praeexiſtente, a Deo fuiſſe producta; ſiquidem τὸ μὴ ἐκ φαινομένων,

per τὸ οὐκ ἐξ ὄντων, *Rom. IV*, 17; *2 Maccab. VII*, 28, declaratur. Egregium verborum PAVLI interpretem habemus IOH. CHRYSOSTOMVM, quippe qui, *in epiſt. ad Hebraeos cap. XI, homil. XXII, Opp. edit. B. de* MONTFAVCON, *tom, XII, p. 202*, ad hunc locum notat: δῆλόν, φησιν, ἐςὶν, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα ἐποίησεν ὁ Θεὸς, ἐκ τῶν μὴ φαινομένων τὰ φαινόμενα, ἐκ τῶν οὐχ ὑφεςώτων, τὰ ὑφεςῶτα. *Manifeſtum eſt*, inquit, *ex iis, quae non ſunt, Deum feciſſe ea, quae ſunt, ex iis, quae non apparent, ea, quae apparent, ex iis, quae non exiſtunt, ea, quae exiſtunt.* Communem fere hancce commatis tertii cap. XI epiſtolae ad Hebraeos de creatione mundi interpretationem illi vtique praeferendam eſſe exiſtimamus expoſitioni, cuius rationes IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS, *in curis philologicis et criticis ad h. l. p.* 742. *ſqq.* excuſſit. Huc etiam referendi ſunt loci, in quibus per τὸν Λόγον *omnia* facta dicuntur, cum ſub hac rerum creatarum vniuerſitate ipſa etiam materia comprehendatur. Quemadmodum igitur ex his ſacrarum litterarum teſtimoniis liquet, mundum ex nihilo eſſe creatum, ita hinc neceſſario conſequitur, mundum in tempore conditum fuiſſe; id quod etiam ex *Gen. I, 1*, clariſſime patet, vt alia, quae aeternitatem mundi conuellunt, argumenta taceamus.

Cum doctrinam de creatione mundi ex nihilo apoſtolus fidei tribuat notitiae, quae diuina nititur reuelatione, mirum videri non debet,

bet, ea deſtitutos, illamue floccipendentes, in abſurdiſſimos de mundi aeternitate, de materia praeexiſtente, de emanatione mundi ex eſſentia Dei, incidiſſe errores. Mundum ſemper extitiſſe, philoſophi maxime *Ariſtotelici*, ex praeexiſtente materia factum eum fuiſſe, *Platonici*, *Epicuraei*, *Stoici*, itemque ex priſcis haereticis, MARCION, HERMOGENES, *Manichaei*, quod veterum teſtimoniis probat I. C. SVICERVS, *l. ſ. c.*, ſtatuerunt. His acceſſerunt Socinianorum nonnulli, nominatim VAL. SMALCIVS, HIER. MOSCOROVIVS, ION. SCHLICHTINGIVS, IOH. VOLKELIVS. Errori huic cauſam dedit perverſa ex eo, quod *ex nihilo nihil fiat*, ratiocinatio, neglecto videlicet inter finitam creaturae, et infinitam Dei potentiam diſcrimine. Nam cum de illa quidem verum ſit, ex nihilo nihil eam facere poſſe, Deo tamen id nequaquam eſt impoſſibile, iſque adeo, pro infinita ſua virtute ac potentia, ex nihilo vniuerſum hoc omnino produxit. Perperam Sociniani ſupra dicti, pro materia praeexiſtentia, ex *Sap. XI, 18*, argumentum petunt, vbi nimirum mundus creatus dicitur ἐξ ἀμόρφου ὕλης, *ex informi materia*, ſiquidem liber iſte non canonica gaudet auctoritate, et PHILONEM Iudaeum, PLATONIS placitis imbutum, habet auctorem. Quin etiam per τὴν ἄμορφον ὕλην rerum terrenarum materia, primo τοῦ ἑξαημέρου die a Deo

creata, commode intelligi poteſt. Conf. HERM. WITSIVS, in *exercitatt. ſacris in ſymb. apoſt. exerc. VIII, p. 102, ſqq.* Quam ſumme impia illorum ſit ſententia, qui creationis modum per emanationem ex eſſentia diuina definiunt, non opus eſt, vt pluribus oſtendamus, cum apertum illa prodat Spinoziſmum, ſiue atheiſmum, eo quod materiam Deo attribuit, et ex Deo creatore et rebus creatis vnam eandemque facit ſubſtantiam. Abutuntur pernicioſiſſimo iſti errori addicti particula ΕΞ, *Rom. XI, 36. 1 Cor. VIII, 6*, non materialem certe, quod illi volunt, ſed efficientem denotante cauſam.

Deum rerum omnium creatarum *conſeruatorem* eſſe, atque gubernatorem, Scriptura ſacra itidem quam plurimis, iiſdemque luculentiſſimis, teſtimoniis confirmat. Vid. inprimis *Iob. c. XXXVIII, ſqq. Pſalm. CIV, Act. XVII, 25, 28, Hebr. I, 3.* Ex quibus dictis ſimul apparet, generale prouidentiae diuinae, quam, pro impietate ſua, epicuraei, naturaliſtae, athei inficiantur, obiectum omnes ac ſingulas eſſe creaturas, ne minimis quidem exceptis. Add. *Matth. V, 45, VI, 26, X, 29, 30.* Speciale illius obiectum pios eſſe atque fideles, in ſacris litteris cum alias, tum *Pſ. XXXIII, 18, 2 Timoth. II, 19*, egregie ſignificatur. Omnia denique, quae fiunt, diuinae ſubiacere prouidentiae, dicta: *Ieſ. XLV, 7, Thren. III, 38, Amoſ. III, 6*, teſtantur.

THEOL

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT III

DE IMAGINE DEI

PROOEMIVM

Cum doctrina de *peccato originis*, quae in AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo ſecundo* traditur, cum doctrina *de imagine Dei, in prima creatione homini collata*, quippe cuius in locum peccatum, quod dicitur, originis ſucceſſit, eiuſdemque imaginis *per lapſum protoplaſtorum amiſſione*, vnde videlicet illud ipſum peccatum ortum ſuum habet, arcto coniuncta ſit nexu; hincque etiam, in dicto *Aug. Conf.* articulo, *lapſus Adae*, vt principium et cauſa peccati originis, adducatur, tum vero in *Apologia Confeſſionis*, *p. 54*, in quonam vere conſtiterit diuina, ad quam homo conditus eſt, imago, exponatur, ab inſtituto noſtro haud alienum eſſe duximus, ei, quod eſt de peccato originis, capiti, didactico elencticam, de imaginis Dei, homini concreatae, ratione formali, et illius per lapſum protoplaſtorum amiſſione, praemittere tractationem.

THESIS I.

Protoplaſti, Adam et Eua, ad imaginem Dei, quae formaliter et praecipue in ſapientia, iuſtitia et ſanctitate conſtitit, purique adeo et ſancti, ſunt creati.

Vid. *Apologia Aug. Conf. p. 54.* Conf. *Form. Conc. p. 643, ſub fin.*

Expoſitio.

P*rotoplaſti*, quo nomine primi a Deo formati, ſeu creati homines appellantur, *Sap. VII, 1, X, 1*, totius generis humani per totum terrarum orbem iidem parentes, *Adam* ſunt atque *Eua*. Hoſce duos enim tantum homines, marem et foeminam, ex quibus omne hominum genus originem duceret, in vniuerſi huius creatione Deus condidit. Ipſa vtriuſque creatio breuiter, *Gen. I, 26, ſqq.* plenius, *Geneſ. II, 7, 21, ſqq.* deſcribitur. Creati ſunt *ad imaginem Dei*, quo ipſo generatim ſignificatur, perfectionem eis quandam, ſecundum quam Deo ſimiles eſſent atque conformes, non eo tamen, quo Deo illa ineſt, concreatam fuiſſe gradu; ſiquidem, notante IOHANNE DAMASCENO, *de imag. or. I, Opp. edit.* P. MICH. LEQUIEN, *tom. I, p. 311*, imago eſt ſimilitudo,

tudo, prototypum ita exprimens, ut aliqua tamen ratione ab eo differat. „Οὐ γὰρ κατὰ „πάντα ἡ εἰκὼν ὁμοιοῦται πρὸς τὸ ἀρχέτυπον. „*Neque enim imago archetypo in omnibus ſimilis eſt*,„. Conf. IOH. MUSAEUS, *introduct. in theol. c. I, §. 7, p. 8, ſq.* Hinc imago Dei, quae primo homini collata fuit, *generaliter* ſpectata, omnem infert ſimilitudinem, quam is, certa ratione, habuit cum Deo, ac proinde, praeter concreatam ſapientiam et iuſtitiam, ipſum eſſe ſpirituale animae humanae, eiuſque facultates, intellectum et voluntatem, corporis item immortalitatem, et dominium in creaturas complectitur. *Specialiter* autem ſpectata, quatenus nimirum ad praecipuam hominis cum Deo ſimilitudinem, ob quam is, abſolute loquendo, imago Dei expreſſa dici poteſt, reſpicitur, in perfectionibus habitualibus conſtitit, animae humanae concreatis, *in ſapientia* videlicet, *iuſtitia et ſanctitate*. Concinnam addere placet FRANC. BVRMANNI, *ſynopſ. theol. lib. II, c. 1, p. 383*, imaginis diuinae deſcriptionem. „Imago „Dei, inquit, hiſce tribus fere abſolvebatur „partibus: primo, antecedenter ea conſiſte„bat in ſpirituali et immortali animae natura, „inque intelligendi et volendi facultate; ſe„cundo, formaliter et praecipue, in animae „dotibus, ſapientia et ſanctitate; tertio, con„ſequenter, in hominis totius immortalitate, „et dominio in creaturas. Quorum primum

„erat veluti pretioſa tabula, in qua imago „Dei duci et effingi poterat; ſecundum, ipſa „illa diuinitatis imago, et ſimulacrum; ter„tium, imaginis illius, late ſplendentis, ful„gor, et veluti radii, et caet.„ Perfectionum, in quibus ſpecialiter, primarioque ſita fuit, collata primo homini, imago Dei, complexio, vſu dicendi theologico, *iuſtitia originalis* appellatur. Nempe, quem ad modum in APOLOGIA CONFESSIONIS, *p.* 53, *et* 54, appellatio haec explicatur, *iuſtitia* ἐξόχως accipitur ſignificatu, ita vt omnes illas virtutes perfectioneſque comprehendat, quae tam ad intellectum, quam ad voluntatem, et appetitum ſenſitiuum ſpectant, quaſque homo ad vitam recte, diuinaeque voluntati conformiter prorſus agendam, per creationem a Deo accepit. *Originalis* dicitur, quia cum ipſa primi hominis natura, ſeu ſubſtantia, originem ſumſit, et cum ipſa natura humana, per carnalem generationem, ad poſteros debuit propagari. Hacque adeo protoplaſtis collata iuſtitia originali, *puri et ſancti* illi ſunt creati.

Confirmatio

Quae de protoplaſtis, Adamo et Eua, ac ſpeciatim de huius pariter, atque illius ad imaginem Dei creatione dicta ſunt, diuinus creationis huius vniuerſi hiſtoriae ſcriptor clariſſimis verbis, *Geneſ. I,* 26, 27, *V,* 1, 2, con-

confirmat; id quod etiam, argumento, ab inſtauratione imaginis diuinae in hominibus, qui regenerantur, foeminis videlicet aeque, ac maribus, deſumto, comprobatur. Generalis, latiorque imaginis Dei acceptio, de omnibus nimirum iis, in quibus Deo quodammodo ſimilis factus eſt homo, locorum, *Gen. IV, 6*, et *Jac. III, 9*, nititur auctoritate. Specialis vero acceptionis, quodque imago Dei, ad quam conditi ſunt primi homines, praecipue conſtiterit in ſapientia, iuſtitia et ſanctitate, firmiſſimum teſtimonium perhibent dicta apoſtoli, *Coloſſ. III, 10*, et *Epheſ. IV, 24*; quippe quae, hominis poſt lapſum ad imaginem Dei renouationem, ſapientiae, iuſtitiae et ſanctitatis inſtauratione fieri, docent, eoque ipſo, in his animae perfectionibus imaginem Dei, primo homini concreatam, formaliter et praecipue conſtitiſſe, teſtantur. Puros et ſanctos creatos eſſe protoplaſtos, non eget probatione, cum id ex eo, quod ad imaginem Dei, quae in ſapientia et ſanctitate potiſſimum conſtitit, creati fuerint, neceſſario conſequatur. Ex abundanti SALOMONIS addimus teſtimonium, qui, *Cohel. VII, 30*, hominem ישר *rectum*, ſeu *integrum*, ac purum adeo, ſanctumque, creatum fuiſſe, affirmat. SOCINVS quidem, *praelect. theol. cap. III*, verba haec ita intelligi vult, quod in homine, a Deo creato, nihil praui initio fuerit, vt adeo rectitudo nudam labis carentiam, non iuſtitiam quan-

dam ſignificet originalem. At enimvero vox ישר, quam *οἱ ό* per *δίκαιος, ὅσιος, καλὸς, ἀγαθὸς*, etc. reddunt, non tantum labis cuiuſuis abſentiam, ſed cum maxime rectitudinis poſitiuae, ſeu iuſtitiae et ſanctitatis praeſentiam in ſacris litteris notat. Ex locis quam plurimis adduxiſſe, ſufficiat, *Deut. XXXII, 4, Pſalm. XCII, 16*, ubi de Deo dicitur, quod ſit צדיק וישר, *iuſtus et rectus*, ישר ולא עולתה בו *rectus, nec iniquitas in ipſo.*

Errorum Confutatio.

P*raeadamitas*, quos ISAACVS PEYRERIVS, poſt veteres quosdam in Arabia haereticos, ab J. H. HOTTINGERO, *Hiſt. Or. lib. I, c. 8, p. 283*, memoratos, duobus, anno MDCLV, editis libellis, denuo in ſcenam produxit, nihil moramur; ſiquidem ea, quae de illis tradit, ſacrarum litterarum fidei et auctoritati manifeſto aduerſantur, eiusque praeadamitiſmus purum putum eſt commentum, inſanientiſque ingenii foetus. Fictam et commentitiam iſtam fabulam, quaſque ad ornandam eam adhibuit, *φλυαρίας* ſingularibus ſcriptis PHIL. LE PRIEVR, JOH. BAPT. MORINVS, IOH. PYTHIVS, ANT. HVLSIVS, SAM. MARESIVS, ex noſtratibus, JOH. HENR. VRSINVS, JOH. CONR. DANNHAVERVS, JOH. MICRAELIVS, aliique complures profligarunt. Add. ZACH. GRAPIVS, *Theol. recens controuerſ. t. II, c. 4, p. 100, ſeqq.*

Vete-

Veterum quorundam haereticorum, *Seueria-norum* in primis, quibus, ſuperiore ſeculo, anonymus quidam ἐμπαίκτης acceſſit, in ſexum muliebrem ea eſt maledicentia, vt ne mentio quidem illius facienda nobis eſſe videatur. De *Socinianorum* tantum dicendum eſt errore, qui mulierem ad imaginem Dei, contra diſerta ſacrarum litterarum teſtimonia, creatam fuiſſe negant. Error iſte falſa nititur hypotheſi, de qua mox agemus, imaginem videlicet Dei, ad quam primus conditus fuit homo, in ſolo conſtitiſſe dominio in creaturas. Hocce igitur dominium mulieri, idque etiam falſo, denegantes, perperam, non mulierem, ſed virum ad imaginem Dei creatum fuiſſe, ſtatuunt. Gratis, pro errore ſuo tuendo, ad locum *1. Cor. XI*, 7, prouocant, vbi *vir* εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ, *imago et gloria Dei* dicitur, *mulier* autem *gloria viri*. Nec enim illa hic intelligitur imago, de qua *Geneſ. cap. I. et V*, agitur, quaeque protoplaſtorum utrique concreata fuit, ſed vir *h. l.* dicitur *imago*, ſeu ſimilis *Dei*, quod, quem ad modum Deus totius mundi generiſque humani dominus eſt, ita vir familiae generiſque ſui caput eſt atque dominus, ſolius Dei dominio ſubiectus, cuius ſubiectionis intuitu idem *gloria Dei*, mulier autem, viri dominio ſubiecta, pari ratione, *viri gloria* vocatur.

Prae-

Praecipua controuerſia eſt, quae de formali imaginis diuinae ratione, ac de eo, an puri, ſanctique creati ſint protoplaſti, non cum *Socinianis* ſolum, ſed cum *Pontificiis* etiam nobis intercedit. Vt de his primo dicamus, veterum ſcholaſticorum pariter, atque recentiorum doctorum, quos BELLARMINVS, *de gratia primi hominis, cap. V, Controverſ. tom. IV, p. 8, ſq.* laudat, haec eſt ſententia, rectitudinem, ſeu iuſtitiam originalem, quam primus homo in creatione accepit, donum fuiſſe ſupernaturale, naturalibus, in quibus conditus ille fuerit, adiunctum. Hanc, iuſtitiam nimirum originalem, *ſimilitudinis* voce deſignari volunt, vbi Deus, *Gen. I. 26*, dixit: *faciamus hominem* בצלמנו כדמותנו *ad imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Per *imaginem* autem, convenientiam hominis cum Deo quoad intelligentiam, voluntatem, animaeque immortalitatem, ſignificari cenſent. Caeterum hominem cum naturali propenſionum contrarietate, vel diſſidio et lucta appetitus ſenſitivi et rationis, creatum, ad hanc autem coercendam donum illud ſupernaturale collatum ei fuiſſe, aiunt. At enim, primo, nullum eſt id, quod conſtituunt, inter imaginem et ſimilitudinem diſcrimen, ſi quidem phraſis illa בצלמנו כדמותנו nihil aliud ſignificat, quam, *ad imaginem nobis ſimilimam;* quam ob rem etiam, *verſu ſequente 27*, ſimilitu-

litudinis vox omittitur; adeoque iuſtitia originalis perperam pro dono ſupernaturali, ab imagine Dei diverſo, habetur. Deinde, hominem in *puris*, quae vocant, *naturalibus*, primitus creatum eſſe, *Pelagiano-Scholaſticum* eſt commentum, ex opinione praeiudicata de naturae, a Deo creatae, conſimili naturae, qualis per peccatum originis vitiata et corrupta eſt, ratione exortum; infinitae Dei bonitati, ſanctitatique cum maxime repugnans.

Ad *Socinianos* quod attinet, hi, vt ſupra diximus, concreatam primo homini imaginem Dei in poteſtate hominis et dominio in omnes creaturas inferiores conſtitiſſe, affirmant. Vid. *Catecheſis Racou. ſect. II, c. I, p. 10.* Secundarias menti, ratione praeditae, tribuunt partes. Vid. F. SOCINVS, *praelect. theol. cap. III, biblioth. Vnitar. p. 539*; C. OSTORODVS, *inſtit. Germ. c. 31, p. 267*, et caet. Non vna error iſte refellitur ratione. Primo enim, in diuina creationis mundi deſcriptione, dominium in creaturas ab imagine Dei, vt conſequens ab antecedente, vt poſterius a priori diſtinguitur; ſecundo, hominis poſt lapſum ad imaginem Dei renouatio non fit ad dominium illud, ſed ad ſapientiam et ſanctitatem; tertio, nullus eidem illi in altera vita erit locus: ex quibus adeo Socinianae affirmationis falſitas ſatis ſuperque apparet. Cum hactenus dicto coniunctus eſt al-

ter eorundem grauiſſimus error, quem a Pelagianis acceperunt, quemque etiam fouent *Arminiani*, primum videlicet hominem, non ſapientia, iuſtitia et ſanctitate praeditum, ſed talem creatum fuiſſe, quales hodieque naſcuntur infantes. Infantilem protoplaſtorum ignorantiam inde potiſſimum probare conantur, quod, poſt lapſum demum, nudos ſe eſſe, cognouerint. *Gen, III*, 7. Sed ex practica eorum poſt lapſum erubeſcendae nuditatis ſuae cognitione abſone infertur, illos ipſos, in ſtatu integritatis, non erubeſcendam nuditatem ſuam ignoraſſe. Conf. *Gen. II*, 25. Quas praeterea afferunt ratiunculas, SCHERZERVS, in *collegio Anti Sociniano, pag.* 248, *ſqq.* et qui contra Socinianos ſcripſerunt, plerique omnes confutarunt.

THESIS II.

Per lapſum protoplaſtorum, amiſſa eſt imago Dei, indeque hominis natura prorſus deprauata, ac totum genus humanum peccato eſt infectum.

Vid. *Aug. Conf. art. II, p.* 9.

Expoſitio.

Imaginem Dei amiſſam, amiſſionemque hanc naturae humanae inſecutam eſſe depra-

prauationem, toti generi humano communem, theſi hac affirmatur, ſimulque tanti huius mali origo et cauſa indicatur, *Adami* videlicet *Euaeque laſpus*. Quis lapſus iſte fuerit, ex deſcriptione eius, *Geneſ. c. III*, cognoſcitur. Etenim, cum protoplaſtorum voluntas, cum naturali quidem ad bonum propenſione creata, libera tamen eſſet, vt a bono etiam ſeſe auertere poſſent, Satanae perſuaſionibus inducti, mandatum, quod Deus ipſis dederat, vt ne comederent de fructu arboris ſcientiae boni et mali, turpiter violarunt. Actum vetitae comeſtionis externum interni antegreſſi ſunt actus, ad ipſum cum maxime pertinentes lapſum, nempe in intellectu, de comminationis diuinae veritate dubitatio, moxque plenior incredulitas; in voluntate, diuinitatis affectatio, natumque inde interdictum Dei reſpuendi propoſitum; in appetitu ſenſitiuo illicita obiecti, ſenſibus grati, appetentia. Is igitur cum protoplaſtorum fuerit lapſus, eo ipſo non ſibi ſolum, ſed poſteris etiam ſuis omnibus ea contraxerunt mala, quae Deus ipſis minatus fuerat, ſi quidem contra mandatum ſuum eſſent acturi. Atque in his malis, concreatae protoplaſtis ſapientiae, iuſtitiae et ſanctitatis, ſeu originalis iuſtitiae, in qua imaginem Dei proprie, formaliterque conſtitiſſe, antea oſtendimus, erat amiſſio, cum oppoſito habitu vitioſo, ſeu concupiſcentia, coniuncta. Hincque

adeo

adeo communis illa humanae naturae deriuanda eſt corruptio, quae omnibus, quotquot ab Adamo ſunt oriundi, carnaliterque generantur, hominibus inhaeret, quaeque *peccatum originis*. de quo in ſequenti capite ex inſtituto agemus, appellari ſolet. Quamobrem etiam haec ipſa labes, quacum Adamigenae omnes naſcuntur, commode *peccatum originis originatum*, Adamiticus autem lapſus, qui corruptionem eam in naturam humanam inuexit, eiuſdemque extitit cauſa, *peccatum originis originans*, vocatur.

Confirmatio.

Peccati, ſiue lapſus Adamitici ratio cum nulla egeat probatione, id ſacrarum litterarum confirmandum eſt teſtimoniis, per illum ipſum amiſſam fuiſſe imaginem Dei, conſcitamque ſummam illam, qua totum genus humanum infectum eſt, naturae corruptionem. Lapſum illum inſecutam eſſe imaginis Dei amiſſionem, vel ex ipſa intelligi poteſt comminatione diuina, *Gen. II*, 17, ſiquidem per mortem, quam Deus minitauerat protoplaſtis, non temporalis tantum, et aeterna, ſed *ſpiritualis* etiam mors denotatur. Amiſſio illa porro cognoſcitur ex concupiſcentia, quam in protoplaſtis ſtatim poſt lapſum ſeſe exeruiſſe, ex *Gen. III*, 7. *ſqq*. patet. Ita vero cum illorum natura corrupta eſſet peccato, conſequens erat, vt, qui ex ipſis progigne-

gignerentur, liberi eadem labe infecti, et originali adeo iuſtitia prorſus carentes, naſcerentur. Hinc Adam *filium genuiſſe*, dicitur, בדמותו כצלמו *in ſimilitudine ſua, ad imaginem ſuam*, id eſt, eiuſdem cum ipſo, corruptae videlicet per lapſum, naturae. *Gen. V, 3.* Illuſtris inprimis locus eſt *Rom. V, 12.* in quo apoſtolus, lapſum Adami cum phyſicam, tum moralem labis, quacum omnes poſteri eius naſcuntur, cauſam eſſe, docet. *Per vnum* inquit, *hominem*, Adamum nimirum, qui ſolus, nulla Euae facta mentione, hic memoratur, idque potiſſimum ob *ἀντίθεσιν*, qua illi vnus homo, IESVS Chriſtus, opponitur, *v. 15. ſqq.* et quidem per vnius iſtius hominis, Adami, lapſum, quo modo, *δι' ἑνὸς ἀνθρώπου*, per *τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι, v. 15, 17, 19,* explicatur, *peccatum*, originis videlicet quod dicitur, *introiuit in mundum*, id eſt, in omnes homines, qui per carnalem generationem ab Adamo deſcendunt, quippe quos mundi nomine ſignificari, ex verbis mox ſequentibus patet, quibus, *per peccatum mors πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ad omnes homines* dicitur *tranſiiſſe*. Lapſus autem Adamitici illos ipſos, quoad culpam pariter, atque poenam reos eſſe, his Apoſtolus indicat verbis: *ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* Duae potiſſimum horum verborum ſunt expoſitiones. Quidam, vt ex veteribus, CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, OECVMENIVS, HILARIVS, AVGVSTINVS,

N Vulga-

Vulgatus interpres, ex recentioribus, praeter alios, BEZA, ER. SCHMIDIVS, CALOVIVS, ZELTNERVS, ſingularique opera IOH. MARCKIVS, in *exercitat. ſcripturar. ad N. T. exerc. XXI, p. 619, ſeqq.* τὸ ἐφ᾽ ᾧ, ad τὸν ἕνα ἄνθρωπον referunt, vt ſenſus ſit: *in quo*, Adamo videlicet, non naturali tantum, ſed foederali etiam generis humani capite, *omnes peccauerunt*. Alii, quos inter etiam eſt b. LVTHERVS, cum iis, quae proxime praecedunt, verba haec coniungunt, et τὸ ἐφ᾽ ᾧ, per *quia, eo quod*, conuertunt, ſicque cauſam reddi volunt, quare mors ad omnes homines tranſierit, *quia* nimirum *omnes peccauerunt*. Nullum, quoad rem ipſam, inter has interpretationes, quarum quaeque idoneis non deſtituitur rationibus, eſt diſcrimen, cum ex vtraque, primum illud peccatum Adami poſteris eius omnibus iure imputari, conficiatur, nec altera illa, qua ἐφ᾽ ᾧ redditur per *quia*, Pelagianorum et Socinianorum patrocinetur errori, quo, non Adamiticae culpae participatione, ſed imitatione, omnes peccaſſe, dici volunt, cum ex contextu clariſſime appareat, non de peccato in propria perſona, ſed in primo parente commiſſo, agi, perperamque adeo imitatio, quippe quae nec in infantes cadit, huc afferatur.

Ἀντιθέσεως *confutatio*.

Theſi noſtrae orthodoxae *Pelagiani* cum maxime et *Sociniani*, quique cum his faciunt,

Armi-

Arminiani, contradicunt. *Pontificii* enim, iuſtitiam originalem, per lapſum Adami, amiſſam fuiſſe, nobiſcum affirmant, in eo tantum errantes, quod illam pro dono habeant ſupernaturali, primo homini, quem in puris naturalibus creatum dicunt, diuinitus collato. Diſerte BELLARMINVS, *de amiſſ. gratiae et ſtatu pecc. lib. III, c. II, p. 107*, primis *ſeſſionis V Concilii Tridentini* decretis conuenienter, "iu„ſtitiae originalis amiſſionem poenam eſſe, „ait, quam aequaliter patiantur, quotquot ex „Adamo originem ducunt, et in ipſo, ac per „ipſum primo peccauerunt." Idem, *lib. IV, c. 3, p. 114, ſeqq.* ex peccato Adami in poſteros aliquod veri nominis peccatum deriuari, ex *Rom. V. 12*, probat, compluribusque argumentis in ſequentibus capitibus id ipſum confirmat, et Pelagianorum diluit obiecta. Ad *Pelagianos* igitur quod attinet, hi cum peccatum originis prorſus negent, πρώτῳ illi ψεύδει conuenienter, ſtatuunt: *Adae peccatum ipſum ſolum, non genus laeſiſſe humanum; quod omnes, qui ex Adamo originem trahunt, moriantur, fieri naturaliter, cum et Adam mortalis creatus, nec merito culpae, ſed naturae conditione, fuerit mortuus; naſci homines omnes, ſine virtute et vitio, tales ſcilicet, qualis fuerit Adam, ante praeuaricationem.* Haec PELAGII, de quo in ſequenti capite pluribus dicemus, eiusque diſcipulorum, in primis CAELESTII, dogmata refert AVGVSTINVS, in ſcriptis contra Pelagianos; quae Operum

N 2 tomo

tomo X continentur, ſpeciatim, *de geſtis* PELAGII, *cap. XI, p.* 137; *operis imperf. contra* IULIANVM, *lib. II, p.* 743, et caet. itemque in *libro de haereſibus, c. LXXXVIII, Opp. t. X, p.* 20.

Pelagianis in his erroribus prorſus ὁμόψηφοι ſunt *Sociniani*. Nam et ipſi, peccatum originis negantes, hinc etiam per lapſum Adami naturam humanam deprauatam fuiſſe, negant. Sententia eorum in *Catech. Racou. ſect. VI, c.* 10, *p.* 157, his enuntiatur verbis: „Lapſus Adae, cum vnus actus fuerit, vim „eam, quae deprauare ipſam naturam Adami, multo minus vero poſterorum ipſius „poſſet, habere non potuit.“ Eadem ſunt verba SOCINI, *praelect. th. c. IV, p.* 13, et caeterorum. Argumenta Pelagianorum, quibus et Sociniani vtuntur, AVGVSTINVS, in ſcriptis ſupra laudatis, praeſertim in libris contra IVLIANVM, ſolide confutauit. Ducta ſunt pleraque omnia ex ratione, clariſſimis verbi diuini repugnante pronuntiatis, falſaque nituntur ὑποθέσει, lapſum Adami perſonale fuiſſe peccatum, nullo ad poſteros ipſius ſpectans modo; contra quam, *Rom. V,* 12, *ſqq.* in Adamo, totius generis humani, non naturae ſolum, ſed foederis etiam reſpectu, gerente perſonam, omnes homines peccaſſe, affirmatur. Recte BERNARDVS, Abbas Claraeuallenſis, *ſerm. I, dominica I p. octauam Epiphaniae, Opp. edit. Bruxell. a.* 1719, *vol. I, pag.* 813. „noſtra, inquit, eſt Adami culpa, quia, etſi in alio

„alio, nos tamen peccauimus; et nobis iuſto „Dei iudicio imputabatur, licet occulto.“ Hinc praecipuum illud aduerſariorum corruit argumentum, alienum ſcilicet eſſe a iuſtitia et bonitate Dei, vt aliena culpa imputetur ei, qui illam ipſam propria, eaque libera, non admiſit voluntate; ſiquidem peccati, ab Adamo admiſſi, omnes omnino ipſius participes fuerunt poſteri, foedamque naturae contraxerunt labem. Caetera, quae pro errore ſuo tuendo aduerſarii proferunt, argumenta nullo item negotio conuelli poſſunt; id quod abunde praeſtiterunt IOS. STEGMANNVS, in *ſuccincta refutatione errorum Photinianorum, diſp. IX, p. 79, ſqq.* I. A. SCHERZERVS, *l. c. p. 275, ſqq.* aliique complures.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT IIII

DE PECCATO TAM ORIGINALI QVAM ACTVALI ET DE CAVSA PECCATI

SECTIO I HISTORICA

I

De peccato originis, quo nomine humanae naturae, quae imaginis Dei per lapſum protoplaſtorum amiſſionem inſecuta eſt, corruptio, labeſque adeo illa, quacum omnes homines naſcuntur, denotatur, orthodoxa eccleſiarum euangelicarum doctrina, b. LVTHERI ſtudio, a Scholaſticorum Pelagianizantium erroribus repurgata, in *altero* AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo* proponitur, et illius principium, ſubiectum, modus propagandi, formalis ratio, poena, breuiter ſummatimque indicantur: in CONFESSIONIS APOLOGIA autem, *cap. I*, haec ipſa doctrina vberi-

vberius explicatur, confirmatur, et vindicatur (*).

(*) Doctrinam de peccato originis, cuius hiſtoriam MART. CHEMNITIVS, in *locis theol. de P. O. cap. II, p. 208, ſqq.* IOH. GVIL. BAIERVS, in *comp. theol. hiſt. loc. VII, p. 220, ſqq.* I. F. BVDDEVS, *inſtit. th. dogm. lib. 3, c. 2, p. 848, ſqq.* I. G. WALCHIVS, *introd. in libros ſymb. lib. 1, c. 3, p. 265, ſqq.* et ſingulari diſſertatione quae in *miſcellan. ſacr. lib. I, p. 173, ſqq.* extat, ſcripſerunt, vbi b. LVTHERVS a doctoribus ſcholaſticis Pelagianiſantibus deprauatam inuenit, quemadmodum in caeteris, ita etiam in hoc chriſtinae fidei capite, fundamentalibus omnino articulis annumerando, et arctiſſimo cum doctrinis de gratia Dei, de ſatiſfactione Chriſti, de regeneratione, iuſtificatione, renouatione, vinculo connexo, inſtaurando, et a ſordibus, ei adſperſis, repurgando elaborauit. Itaque, AVGVSTINVM ſuum ducem ſecutus, ad ſacrarum litterarum normam nitori ſuo reſtituit doctrinam de peccato originis, quae adeo in *articulo IV Torgavienſi*, indeque in *Auguſtanae Confeſſionis articulo ſecundo*, ſummatim exhibetur.

Duabus is conſtat partibus, *theſi* et *antitheſi*. In theſi peccatum originis deſcribitur, ita vt ſigillatim memorentur (α) *principium* eius, lapſus Adami; (β) *ſubiectum*, omnes homines, ſecundum naturam prognati; (γ) *modus propagandi*, carnalis generatio; (δ) *ratio formalis*, conſiſtens in defectu iuſtitiae originalis, et habituali ad omne malum propenſione, ſeu concupiſcentia; (ε) *effectus*, mors aeterna, quoad eos nimirum, qui non renaſcuntur per baptiſmum et Spiritum ſanctum. In antitheſi damnantur *Pelagiani*, *et alii*, per quos ſcholaſtici doctores, in Apologia inde notati, inprimis indigitantur, qui vitium originis peccatum eſſe negant, et viribus naturae adſeribunt ea, quibus meriti et beneficiorum Chriſti gloria extenuatur. In variata PHILIPPI confeſſione haud paucae ad hunc articulum factae ſunt additiones, licet quoad

ipſam

ipſam doctrinae ſententiam nihil, quidquam fuerit mutatum, additionibuſque illis, in germana confeſſione quae breuius dicta ſunt, uberius explicentur. In antitheſi autem duae illae voces: *et alii*, a PHILIPPO omiſſae ſunt, id quod ſubdole, in gratiam Zwinglianorum, feciſſe exiſtimatur. Vid. IOH. BENED. CARPZOVIVS, in *iſagoge in libros ſymbolicos, p.* 149. Abſone ANDR. FABRICIVS, in *harmonia Aug. Conf. p.* 17, ex eo, quod PHILIPPVS MELANCHTHON, quem falſo confeſſionis Auguſtanae *architectum & auctorem* vocat, in hoc articulo ſibi non conſtet, vt ex collatione editionis anni quadrageſimi cum ipſo prototypo manifeſtum eſſe dicit, nihil minus hic eſſe poſſe, infert, quam doctrinam apoſtolicam et propheticam, quae ſemper uniformis ſit, et ſibi conſentiens. Nam ut taceam, in hoc articulo, eiuſque theſi, nullum prorſus, quoad rem ipſam, inter germanam confeſſionem Auguſtanam et variatam, quam editio anni MDXL exhibet, eſſe diſſenſum, nec in ſacris litteris eandem iiſdem ubique verbis tradi doctrinam, eccleſiae evangelicae non aliam agnoſcunt, et pro ſymbolo ſuo habent confeſſionem Auguſtanam, quam eam, quae Caeſari CAROLO V, in comitiis Auguſtanis, anno MDXXX, exhibita fuit, temerario autem auſu a PHILIPPO variatam improbant, repudiantque. Vid. *Prolegom. ſect. III, p.* 48, *ſq.*

Theologi Pontificii, in confutatione A. C., Caeſaris et Ordinum Rom. Catholicorum iuſſu et auctoritate, conſcripta, hoc in articulo alia approbarunt, alia improbarunt. Comprobarunt, "quod confeſſores noſtri cum ec„cleſia catholica confiteantur, vitium originis vere eſſe „peccatum, damnans et afferens aeternam mortem his, „qui non renaſcuntur per baptiſmum et Spiritum S." Improbarunt primo, quod in deſcriptione peccati originis, culpam illi actualem confuderint originali; ſecundo, quod peccatum originis concupiſcentiam dicant, ſi quidem, ex LVTHERI ſententia, a Romano Pontifice damnata, "concupiſcentiam ita velint eſſe peccatum, quod

„etiam

„etiam poſt baptiſmum remaneat peccatum in puero.“ Ad vtrumque reſpondetur in APOLOGIA CONFESSIONIS, et quoad prius illud, oſtenditur, iniquiſſimam eſſe cenſorum iſtorum criminationem; cum per [illegible] *ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum,* defectus potentiae ſeu virium timendi Deum, et credendi, ſignificetur, eoque nomine verba afferuntur textus authentici Germanici, quae ita habent: „*daß nach dem Fall Adae alle Menſchen,* „*ſo natürlich geboren werden, in Sünden empfangen,* „*und geboren werden, das iſt, daß ſie alle von Mutter*„*leib an, voll boeſer Luſt und Neigung ſind, keine wahre* „*Gottesfurcht, keinen wahren Glauben an Gott, von Na*„*tur haben koennen.*“ Hinc illa ipſa phraſi, confeſſores noſtros nihil aliud, quam quod veteres carentiam, ſeu defectum iuſtitiae originalis dixerunt, intellexiſſe, indicatur. Ad alterum quod attinet, peccatum originis concupiſcentiam quoque recte dici, et hanc poſt baptiſmum etiam, licet reatus P. O. in illo tollatur, remanere, demonſtratur, ac LVTHERI ea de re ſententia defenditur, contra ea ſcholaſticorum coarguuntur errores, *p. 56, ſeqq.* In explicanda vera peccati originis natura, recentiorum etiam, qui cordatiores vocantur, THOMAE, BONAVENTVRAE, HVGONIS teſtimonia veritatis adducuntur, *p. 55,* itemque *p. 54,* LONGOBARDVS, ſeu proprio ſuo nomine, PETRVS LOMBARDVS, ſententiarum magiſter, laudatur, qui iuſtitiam originis, ipſam ſimilitudinem Dei eſſe, dixit, quae homini indita ſit a Deo.

Caeterum dilucidatione quadam, in ipſo *Aug. Conf.* articulo, opus habent verba illa, quibus, *peccatum originis damnare, et nunc quoque aeternam mortem afferre,* affirmatur, *his, qui non renaſcuntur per baptiſmum et Spiritum ſanctum.* Etenim non ita accipienda ea ſunt; ac ſi mors aeterna infantibus ἀβαπτίστοις omnibus adiudicetur. Eſt vtique baptiſmus diuinitus conſtitutum medium illud, quo ex carne prognati peccatorum conſequuntur remiſſionem, et a morte aeterna liberantur; ac ſumma proinde illius eſt neceſſitas, ex parte videlicet eo-

rum, qui illo ipſo vti poſſunt. Ad hos igitur memorata, quae diſerto Saluatoris noſtri nituntur pronuntiato, *Ioh. III, 5*, *Aug. Confeſſionis* pertinent verba, nequaquam vero chriſtianorum infantibus, baptiſmo qui priuantur, ſalus aeterna iiſdem denegatur, ſiquidem non privatio, ſed contemtus illius, vt recte docet AVGVSTINVS, *de baptiſmo, contra Donatiſtas, l. IV, c. 22, Opp. t. IX, p. 94.* damnat; quique non baptizati moriuntur, infantes, per extraordinariam Dei gratiam, regenerari, ſaluarique poſſunt. Ad hanc ſententiam cum eccleſiae noſtrae de infantibus, ſine baptiſmo decedentibus, comparata ſit doctrina, ab Auguſtana Confeſſione in eo nos defeciſſe, falſa eſt auctoris libri, qui *Auguſtana et Anti-Auguſtana Confeſſio* inſcribitur, criminatio, contra quam vid. b. VAL. ALBERTI, in libri huius *confutatione, p. 108.* Aenigma, quod in *Apologia* A. C. ad hunc articulum, *pag. 58*, occurrit; vbi, *horribilem* ſententiam, *Gen. III, 15*, ferri dicitur, optime enodauit A. M. VERPOORTENNIVS, in *analectis ad libros ſymbolicos, cap. IV, p. 124, ſq.*

II

IN ARTICVLIS SMALCALDICIS, *part. III, art. I, p. 317, ſq.* primo, Confeſſionis Auguſtanae de peccato originis repetitur, ac dicto apoſtoli, *Rom. V, 12*, confirmatur doctrina; deinde peccata actualia omnia ex illo oriri, docetur, ſigillatimque hi peccati originalis fructus, mala videlicet opera, in decalogo prohibita, enarrantur. Tertio, peccati huius grauitas exponitur, tamque profunda et tetra eſſe dicitur naturae corruptio, vt nullius hominis ratione intelligi poſſit, ſed ex Scripturae patefactione agnoſcenda ſit, et credenda. Proferuntur hinc varia Scholaſticorum Pelagiani-

gianizantium dogmata, quibus naturalis iſta euertitur corruptio, et quantopere illa, vt vere et mere ethnica, et Chriſti, Seruatoris, merito infeſta dogmata, improbanda ac deteſtanda ſint, indicatur.

III

In FORMVLAE CONCORDIAE *articulo primo, epit. p. 572, ſqq. declarat. p. 639, ſqq.* quaeſtio illa, de qua inter Auguſtanae Confeſſionis theologos diſputatum eſt: *an peccatum originis ſit ipſa hominis ſubſtantia, num accidens, ab hominis ſubſtantia diſtinctum*, expenditur, atque definitur, ita vt prius illud affirmantes, FLACIVS et *Flaciani*, manifeſti conuincantur erroris. Neque vero ſolum horum Manichaeiſmo affinis error, ſed Pelagianorum etiam, ac Semi-Pelagianorum, tam veterum quam recentiorum, peccatum originis vel plane negantium, vel imminuentium dogmata reiiciuntur, atque damnantur (*).

(*) Controuerſiam de peccato originis, in *articulo I Formulae Concordiae* pertractatam, deciſamque, excitauit MATTHIAS FLACIVS, *Illyricus*, quippe qui, poſtquam in diſputatione cum VICTORINO STRIGELLIO, Synergiſtarum coryphaeo, Vinariae, anno MDLX, habita, peccatum originis non accidens, ſed ipſam hominis ſubſtantiam eſſe, affirmauerat, nullo adduci potuit modo, vt hunc, per praecipitantiam tunc admiſſum, abiiceret errorem, quin potius pertinaciter illi inhaeſit, eundemque cum in *Clauis Scripturae S. parte II*, tum compluribus editis ſcriptis, propugnauit. Sunt, qui FLACIVM ſecius ſenſiſſe,

ſiſſe, quam locutum eſſe, cenſent; variuſque ipſe fuit in ſententia ſua proponenda, defendendaque; attamen, cum a forma ſanorum verborum diſceſſerit, erroremque ſuum, a WIGANDO, HESHVSIO, KIRCHNERO, IAC. ANDREAE confutatum, agnoſcere noluerit, excuſari omnino nequit. Deteriores magiſtro ſuo fuerunt diſcipuli, CHRISTOPH. IRENAEVS, CYRIACVS SPANGENBERGIVS, MART. WOLFIVS, MATTH. SCHNEIDERVS, quippe qui, peccatum originis non, prout ille ſententiam ſuam explicauit, praecipuam eſſentiae hominis corrupti partem, ſed totam hominis ſubſtantiam eſſe, ſtatuerunt. Conf. *prolegom. ſect. VII, p. 83, ſq.*

In Formula igitur Concordiae, *primo*, controuerſiae huius formatur ſtatus, ac duae adeo proponuntur quaeſtiones, quarum altera ad *Flacianorum* aſſertionem, altera ad ipſius FLACII ſententiam ſpectat. Hinc, *ſecundo*, vera et ſincera de peccato originis doctrina, fides et confeſſio exhibetur, duabus conſtans partibus. Priori, diſcrimen eſſe, affirmatur, inter naturam hominis, etiam poſt lapſum generis humani, et inter originale peccatum, ita vt aliud ſit *ipſa natura*, et aliud *ipſum peccatum originis*, quod in natura corrupta haereat, et naturam etiam deprauet; contrariamque ſententiam, qua diſcrimen illud tollitur, cum praecipuis fidei noſtrae articulis, de creatione, de incarnatione Filii Dei, de redemtione, de ſanctificatione, et de reſurrectione carnis noſtrae, pugnare, ſigillatim demonſtratur. In poſteriori parte peccatum originis non leuem, ſed profundam humanae naturae corruptionem eſſe, docetur. Sequitur, *tertio*, falſorum dogmatum, quae ſanae doctrinae repugnant, reiectio. Non *Flacianorum* ſolum, ſed *Plagianorum* etiam, et *Semipelagianorum*, tam veterum, quam recentiorum, reiiciuntur errores; idque, notante IOH. MVSAEO, in *praelectionibus in Epitomen Formulae Concordiae, p. 76,* duas ob cauſas, (1) vt plenior circa exortas controuerſias eſſet confeſſio; (2) vt repellerentur criminationes *Flacianorum*, Pelagianiſmi accuſantium orthodo-

xos,

nos, quod peccatum originis, non ſubſtantiam, ſed accidens eſſe ſtatuerent. *Manichaeorum* etiam reiiciuntur placita, et, quod Flacianum de peccato originis dogma quodam cum illis conueniret modo, id ipſum, vt *Manichaeus error*, damnatur. Errorum reiectioni additur declaratio locutionum quarundam, quibus vſus eſt b. LVTHERVS, vbi peccatum originis *peccatum naturae*, *perſonale*, *eſſentiale* vocauit; quippe quas phraſes ad ſtabiliendum errorem ſuum adducere ſolebant Flaciani. Nempe hunc in modum locutus eſt LVTHERVS, vt huiuſmodi phraſibus diſcrimen inter P. O., quod humanae naturae infixum eſt, et inter peccata actualia, melius intelligi poſſet; et vocabulum *naturae* ea adhibuit ſignificatione, qua non ipſam hominis ſubſtantiam, ſed aliquid, quod in natura aut ſubſtantia fixum inhaeret, notat. Vid. *p. 577, et p. 650.* Additur etiam monitio de vocabulis *ſubſtantiae* et *accidentis*, eorumque in diſputatione de P. O. vſu. Atque haec ſumma eſt articuli primi *Formulae Concordiae* de peccato originis, prout is in *epitome* exhibetur, et in ſolida *declaratione* vberius explicatur. Differentias articuli huius, quae in Concordia *Torgauiae* compoſita, et in Concordia *Bergae* emendata, et ab eccleſiis euangelicis comprobata, inque numerum librorum ſymbolicorum recepta, occurrunt, et alia huc pertinentia, enarrat IAC. HENR. BALTHASAR, in *hiſtoria libri Torgauienſis, vernaculo ſermone ſcripta, part. III, §. 11. ſeqq.*

IIII

Ad caput hocce etiam pertinet *nonus et decimus* AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulus*, in quo eccleſiarum euangelicarum *de cauſa peccati* doctrina exhibetur (*).

(*) Apologeticus hic eſt articulus, depellendae videlicet calumniae cauſa conſcriptus, qua Pontificii, Lutheranos Deum peccati cauſam facere, criminabantur, LVTHERI de libero arbitrio doctrinam ad criminationem

eam

eam trahentes; unde etiam ratio patet, quare articulum hunc articulo de libero arbitrio ſubiunxerint Confeſſores noſtri. Approbarunt eum cenſores Pontificii. Vid. *Apologia Confeſſionis, p. 219, ſq.* ANDR. FABRICIVS. in *Harm. A. C. p. 355, ſq.* et, quorum ille iudicia refert, IOH. COCHLAEVS, et IOH. HOFFMEISTERVS, cum nihil in eo notandum inuenerint, LVTHERVM et PHILIPPVM, quod aliter docuerint, Deumque peccati conſtituerint cauſam, accuſant. Quem vero his perperam iſti tribuunt errorem, illum Pontificiis quibuſdam iure adſcribi poſſe, oſtendit CARZOVIVS, in *Iſag. p. 497.* Variatae Confeſſionis auctor, MELANCHTHON, in breuiſſimo etiam hoc articulo aliquid immutauit. Etenim in locum verborum: *quae, non adiuuante Deo, auertit ſe a Deo*, ſubſtituit verba: *quae auertit ſe a Deo ad alias res, contra mandata Dei.* Cauſa quae ſit peccati, in articulo hocce exponitur cum remotiue, tum poſitiue, docetnrque adeo, cauſam peccati non eſſe Deum, creatorem et conſeruatorem naturae, ſed voluntatem malorum, diaboli videlicet et impiorum, idque dicto Chriſti, *Ioh. VIII, 44*, probatur. Quae inter textum Germanicum et Latinum eſt diſcrepantia, non rei eſt, ſed verborum: nec in Germanica Confeſſione auxilii diuini priuatio efficiens conſtituitur cauſa peccati, vbi de malitioſis gratiae diuinae contemtoribus dicitur, diuino eos auxilio priuari.

SECTIO II

THETICO ELENCTICA

THESIS I

Peccatum originis, id eſt, humanae naturae corruptio, per lapſum Adami, in omne

omne genus humanum inuectum, cuius veram rationem ſola tradit Scriptura ſacra, cum in defectu, ſeu carentia iuſtitiae originalis, tum in habituali ad omne malum inclinatione, quae *concupiſcentia* dicitur, conſiſtit.

Vid. *Aug. Conf. art. II, p. 9. ſq. Apolog. p. 51, ſqq. Art. Smalc. P. III. a. I, p. 317; Form. Conc. p. 574, et p. 639, ſq.*

Expoſitio

Peccati originis nomine, humanae naturae corruptio, quacum omnes Adami poſteri naſcuntur, deſignatur. Ita nimirum corruptio haec appellatur, tum ratione *principii*, a quo promanauit, quod eſt peccatum originans Adami; tum ratione *ſubiecti*, quia hominibus ab origine naturae ipſorum, initione exiſtendi, ineſt; ſiquidem, quamprimum originatur homo, hoc etiam peccatum in homine originatur; tum ratione *effectus*, quia eſt origo, fons et radix omnium peccatorum actualium, vnde etiam *radicale* vocari ſolet. Quanquam igitur nomen peccati originis eſt ἄγραφον, tamen id, quod illo ipſo denotatur, egregieque exprimitur, firmiſſimo ſacrarum litterarum nititur fundamento. Hinc AVGVSTINVS, qui primus hanc inhaerentis

rentis omnibus hominibus naturae corruptionis appellationem in diſputationibus contra Pelagianos adhibuiſſe, exiſtimatur, IVLIANO confictionem peccati originis obiicienti, reſpondit: „non ego finxi originale „peccatum, quod catholica fides credidit „antiquitus; ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio „es nouus haereticus;“ *de nuptiis et concupiſcentia, lib. II, cap. 12, Opp. t. X, p. 210.* In ſacris litteris modo generatim, et *κατ' ἐξοχὴν*, vocatur: *ἡ ἁμαρτία, peccatum, Rom. V, 12; VI, 12; VII, 8;* modo cum appoſitione: *ἡ οἰκοῦσα ἐν ἡμῖν ἁμαρτία, inhabitans in nobis peccatum, Rom. VII, 20, 21: ἡ εὐπερίστατος ἁμαρτία, peccatum circumſiſtens,* ſiue, *inhaerens, Hebr. XII, 1;* itemque, *caro, Ioh. III, 6; vetus homo, Eph. IV, 22; Col. III, 9; concupiſcentia, Rom. VII, 7; Iac. I, 14.* TERTVLLIANO dicitur, *mali tradux;* ARNOBIO, *infirmitatis ingenitae vitium;* etc. Alia eius nomina refert LVTHERVS, in *artic. Smalc. l. c.* qui etiam peccatum *naturae, perſonale, eſſentiale,* id ipſum appellauit; quorum nominum ſenſum ſupra enarrauimus.

Veram peccati originis indolem ſola tradit Scriptura ſacra, ex qua proinde illius petenda eſt cognitio. Corruptionem quidem aliquam naturae humanae ab ipſa ſtatim hominis natiuitate adeſſe, ſiue hominem naturaliter carere viribus, ad vitam recte agendam; connatam item ad praua inclinationem, rectae rationis dictamini contrariam, hominibus

bus ineſſe, ex ratione cognoſci poteſt. Inter philoſophos certe complures id agnouiſſe, illorum hanc in ſententiam dicta teſtantur. Vid. TOB. PFANNERUS, *Syſtem. theol. gentil. pur. cap. IX, p. 250, ſq.* Addantur, qui, peccatum originis paganis quodammodo innotuiſſe, ſingularibus diſſertationibus oſtendere, inſtituerunt. At enimuero quae corruptionis naturalis cauſa ſit atque origo, in quo malum illud congenitum proprie conſiſtat, quale, quantumque id ſit peccatum, quis eius effectus, quaeque adeo ad plenam, perfectamque P. O. notitiam pertinent, ex ratione cognoſci nequeunt, ſed ex ſacris litteris vnice cognoſcuntur. Nempe, vt LVTHERVS, in *Artic. Smalc. p. 317,* ait: „tam profunda peccatum hoc haereditarium et tetra eſt corruptio naturae, vt nullius hominis ratione intelligi poſſit, ſed ex Scripturae patefactione agnoſcenda et credenda ſit.“ Conf. *Form. Conc. epit. p. 574, ſq. et declar. p. 639, b.*

Iam, quod ad eſſentiam, *rationemque* peccati originis *formalem* attinet, conſiſtit illud 1) in *defectu,* ſeu *carentia iuſtitiae originalis,* concreatae videlicet primo homini ſapientiae, iuſtitiae et ſanctitatis. His nimirum in dotibus imaginem Dei, ad quam protoplaſti conditi fuerunt, conſtitiſſe, haſque iuſtitiae originalis nomine denotari, praecedenti capite oſtendimus. Cum hoc originalis iuſtitiae defectu a) indiuulſo nexu coniuncta eſt

 habitua-

habitualis ad omne malum propenſio., ſeu *inclinatio*, non ſolum in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in intellectu et voluntate, ipſiſque corporis membris reſidens, et per motus prauos, peccataque actualia ſeſe exſerens. Habitualis haec, connataque homini ad malum inclinatio in ſacris litteris *concupiſcentia* appellatur. Concupiſcentia autem intelligitur non naturalis, ſeu appetendi facultas, qualis etiam in Adamo fuit ante lapſum; non actualis, qua malum actu appetitur, ſed originalis, id eſt, habitualis ad omne malum inclinatio, pronitusque. Itaque peccatum originis, una cum ςέρησει, ſeu priuatione rectitudinis ineſſe debitae, poſitiuam in ſe complectitur prauitatem, eſtque adeo *non mere priuatiuum*, ſed etiam, aliquid *poſitiuum*. Hinc profundiſſimam illud ipſum naturae humanae, omniumque virium corruptionem eſſe, in *artic. Smalc. p. 317*, et *F. C. p. 640*, affirmatur; idque ex priuationis iuſtitiae originalis, et huic oppoſiti vitioſi habitus vberius cognoſcitur ἀντιθέσει.

Confirmatio.

Peccati originis exiſtentia cum ſacrae Scripturae dictorum, atque argumentorum paullo ante, et in capite praecedenti adductorum, nitatur fundamento, nec vlteriori egeat probatione, in carentia iuſtitiae originalis pariter, atque in praua concupiſcentia, ſeu

ſeu habituali ad omne malum inclinatione illud conſiſtere, nunc quidem eſt confirmandum. *Iuſtitiae originalis defectum* ad formalem peccati originis rationem pertinere, ex imaginis diuinae per lapſum protoplaſtorum amiſſione liquet. Comprobatur id ipſum apoſtoli pronuntiatis, quibus, *omnes homines peccatores eſſe, et imagine Dei deſtitui; homines* naturaliter *mente obtenebratos, a vita Dei abalienatos eſſe*, ait, *propter ignorantiam, quae in illis eſt, propter obdurationem cordis ipſorum*, *Rom. III, 23, Eph. IV, 18.* Add. *Pſalm. XIV, 3, ſeqq. Eph. II, 1,* et caet. Cum hac originalis iuſtitiae priuatione coniunctam eſſe *poſitiuam prauitatem*, ſeu habitualem ad malum omne inclinationem, probatur dictis, *Geneſ. VI, 5, VIII, 21,* vbi כל יצר לב האדם *omnē figmentum cordis hominis tantum malum eſſe*, dicitur, *omni die, a pueritia ipſius;* quo ipſo, congenitam menti inhaerere, ſignificatur, ad mala quaeuis propenſionem, quippe quam praui illi, qui ſubinde erumpunt, motus ſatis produnt. Idem hoc Seruatoris noſtri indicatur verbis, quibus, *ex corde actualia peccata* omnia *prouenire*, dicit, *Matth. XV, 19.* Cum maxime huc pertinent dicta, quae originalem *concupiſcentiam* affirmant, eamque, vt cauſam et fontem, vnde peccata quaeuis actualia promanant, deſcribunt, *Iac. I, 14, Gal. V, 16*, et caet.

Errorum confutatio.

Peccatum originis prorſus negantes, iam in ſuperiori capite, vbi de imaginis diuinae per lapſum protoplaſtorum egimus amiſſione, nominauimus, *Pelagianos* videlicet atque *Socinianos*. *Pelagiani* nomen habent a PELAGIO, ſeculi V haereſiarcha, gente Britanno, cuius vitam et acta in primis G. I. VOSSIVS, *hiſt. Pelag. l. I, c. 3, et 4.* H. NORISIVS, *hiſt. Pelag. l. I,* IO. GARNERIVS, in *diſſertatt. ad Pelagianiſmum pertinentibus, diſſ. I, c. 4, Opp.* AVGVSTINI *t. XII, p. 66, ſqq.* IAC. VSSERIVS, in *Britann. eccl. antiquit. c. VIII, p. 112, ſqq.* et nouiſſime IO. GE. WALCHIVS, in diſſ. *de Pelagianiſmo ante Pelagium, Miſcell. ſacr. l. III, p. 576, ſqq.* deſcripſerunt. Primus ac praecipuus PELAGII error, quem a THEODORO Mopſueſteno, per RVFFINVM, accepiſſe fertur, quemque ipſe pariter, atque ſectatores eius et diſcipuli, CAELESTIVS maxime et IVLIANVS, acriter propugnarunt, is erat, quod, Adami lapſu, illum ipſum tantum, non genus humanum laeſum fuiſſe, nec vllam hocce ex Adamitico peccato labem contraxiſſe ſtatueret, hincque originalem naturae humanae corruptionem prorſus negaret. Pelagianum hunc de P. O. errorem amplexus eſt SOCINVS, Pelagianiſque adeo de lapſu Adami et de peccato originis placitis plane conſentanea eſt doctrina *Socinianorum*, vt ex

ſcriptis

ſcriptis eorum, praeſertimque CATECH. RACOV. *cap. X, de Libero Arbitrio, qu. 423, edit. recogn. p. 157*, patet. Peccatum originis nullum prorſus eſſe, neque ex Scriptura doceri poſſe, falſiſſime ibi affirmatur. Reſpondetur inde ad teſtimonia quaedam ſacrarum litterarum, quae illud ipſum docent, *Geneſ.* videlicet *VI, 5, et VIII, 21; Pſalm. LI, 7; Rom. V, 12;* ita quidem vt, manifeſta ψευδερμηνεία, in alienum ſenſum ea detorqueantur, ſpeciatimque illud: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, in dicto PAVLI claſſico, de peccato actuali, quod imitatione peccati Adamitici omnes committant, abſurde explicetur, cum et contextui, et rei ipſi id repugnet, quemadmodum in ſuperiori capite oſtendimus; vbi etiam argumenta Pelagianorum et Socinianorum, ex ratione, ipſorum ſcilicet res diuinas coguoſcendi principio, petita profligauimus.

Scholaſticorum doctorum Pelagianizantium erroneae de peccato originis opiniones, in *Apologia Confeſſionis p. 51, et 57*, recenſentur et refelluntur. Quidam enim peccatum originis non aliquod in natura hominis vitium, ſeu corruptionem, ſed alieni, Adamitici ſcilicet, peccati reatum, ſine aliquo proprio vitio, eſſe, diſputarunt. Concupiſcentiam non niſi fomitem, ſeu languorem naturae eſſe, nonnulli docuerunt, qui, non accedente conſenſu, ſit ἀδιάφορον, peccatique adeo nomen haud mereatur; vt caetera

eorum vana dogmata taceamus. Conf. *Formula Concordiae*, *p.575*, *et p.642*, vbi Pelagianorum, cum veterum, tum recentiorum, de P. O. reiiciuntur errores. *Pontificii*, quoad peccati originis definitionem, inter ſe non conſentiunt, et in quonam formalis illius conſiſtat ratio, non eodem explicant modo, hancque ob cauſam *patres Tridentinos*, in decretis de peccato originali, *ſeſſione V*, conditis, propriam illius rationem conſulto ſilentio inuoluiſſe, eoque opinandi cuique reliquiſſe libertatem, DIDACVS ANDRADIVS, Luſitanus theologus, qui concilio Tridentino interfuit, et ſecreta eius perſpecta habuit, in *defenſione Tridentinae fidei catholicae contra* MART. KEMNICIVM, *p. 229*, *et ſq.* teſtatur. Conf. de hoc patrum Tridentinorum, ab ANDRADIO patefacto, artificio, MART. CHEMNITIVS, *exam. concilii Trid. P. I*, *loc. 3*, *p. 125*, *ſqq.* De eo ſpeciatim inter Pontificios eſt quaeſtio, num peccatum originis in priuatione, ſeu originalis iuſtitiae defectu tantum conſiſtat, an vero etiam, praeter illum defectum, poſitiuam qualitatem, quae concupiſcentia dicitur, in ſe complectatur. Sunt omnino, qui veram tenent ſententiam, laudatorum in *Confeſſionis Apologia*, *p. 55*, doctorum, in primis HVGONIS DE S. VICTORE, veſtigiis inſiſtentes, qui peccatum originis non priuatiue ſolum, ſed etiam poſitiue deſcripſerunt, eſſentiamque eius non in iuſtitiae

origi-

originalis carentia tantum, ſed in aliqua etiam poſitiua qualitate, praua nimirum concupiſcentia, conſtituerunt. Ab his plerique diſcedunt, ex quibus vel ſolum nominaſſe ſufficiat, ROB. BELLARMINVM, qui, *controuerſ. tomo IV, de amiſſ. grat. et ſtat. pecc. lib. V*, non ſolum catholicorum, P. O. in quadam poſitiua qualitate conſtituentium, ſententiam impugnat, ſed etiam concupiſcentiam, qualis remanet in hominibus poſt iuſtificationem, *ex natura ſua*, vere ac proprie peccatum eſſe, negat, hincque prolixam contra euangelicos, qui eam ad formalem P. O. rationem pertinere, et, vt veri nominis peccatum, in baptizatis et iuſtificatis remanere, ſtatuunt, prolixam inſtituit diſputationem. Veriſſimam autem, quam oppugnat, ſententiam noſtram eſſe, *theſi IIII, et V*, demonſtrabimus.

THESIS II

Peccatum originis non eſt ipſa hominis corrupti ſubſtantia, ſed accidens, ab hominis ſubſtantia diſtinctum.

Vid. *Form. Concord. art. I, epit. p. 572. ſeqq. declarat. p. 639, ſeqq.*

Expoſitio.

Theſis haec *Flaciano* oppoſita eſt errori, qui controuerſiam peperit, in *prima capitis*

huius ſectione, *§ III*, enarratam. Quaeſtio primum eſt, an peccatum originis ſit ipſa hominis, qualis poſt lapſum eſt, *ſubſtantia*. Ad hanc igitur quod attinet, id quidem fatemur, atque profitemur, per P. O. totam hominis ſubſtantiam intime eſſe corruptam; eſſe illud de eſſentia hominis corrupti, qua corrupti; cum ſubſtantia hominis arctiſſimo nexu, et inſeparabiliter id eſſe coniunctum: (vid. *F. C. p.* 574, *n. III*, et *p.* 640, *ſqq.*) attamen, cum aliud ſit hominis ſubſtantia, ſeu natura corrupta, aliud corruptio ſubſtantiae, ſeu peccatum, quod ſubſtantiae adhaeret; cum aliud ſit *ἀταξία*, quae ſubiecto inhaeret, aliud ipſum, cui illa inhaeret, ſubiectum, humana videlicet natura, quoad partes proprietateſque ſuas eſſentiales ſpectata, quo reſpectu a Deo creata, ſemperque bona eſt, (vid. *F. C. p.* 645,) hinc omnino negamus, peccatum originis ipſam hominis eſſe ſubſtantiam, aut, prout FLACIVS ſententiam ſuam poſtea expreſſit, partem hominis eſſentialem, aut aliud quid ſubſtantiale. Iam vero ex eo, quod peccatum originis diſtinctum quid eſt a ſubſtantia hominis, conſequitur, eſſe id ipſum *accidens*; ea nimirum *accidentis* vocabulo accepto ſignificatione, qua in explicatione articuli de P. O. illo vſi ſunt AVGVSTINVS, aliique veteres eccleſiae doctores, vt eo ſignificetur id, *quod non per ſe ſubſiſtit*, *ſed ſubiecto inhaeret*. Vid. *F. C. p.* 651, et 652. Nequicquam igitur *Flaciani*,

voca-

vocabulum accidentis perperam de P. O. adhiberi, aiunt, ad *Porphyrianum* ſcilicet prouocantes ὁριςμὸν, quo accidens definitur per id, quod poteſt adeſſe, et abeſſe, ſine ſubiecti corruptione. Neque vero etiam ex hac definitione, ad P.O. applicata, id, quod illi volunt, ſequi, oſtendit IO. MVSAEVS, in *praelect. in F. C. p. 87, ſq.* Quale vero peccatum originis ſit accidens, ſola docet Scriptura ſacra; vnde intelligitur, non perleue, tranſitoriumue illud eſſe accidens, ſed naturae intime infixum, omneſque eius deprauans vires, et in hac vita ab homine inſeparabile. v. *F. C. p. 653.*

Confirmatio.

Peccatum originis non ipſam eſſe hominis, poſt lapſum, ſubſtantiam et naturam, ſed ab hac illud eſſe diſtinctum, in *Formula Conc. p. 573, et 646, ſeqq.* probatur hac ratione, quia peccati originis et humanae naturae diſcrimen negans ſententia praecipuis fidei articulis, de creatione videlicet, de incarnatione Filii Dei, de redemtione, ſanctificatione, et reſurrectione, repugnat. Etenim cum humana natura, etiam poſt lapſum, ſit creatura Dei, cum humanam noſtram naturam Filius Dei aſſumſerit, ac perſonaliter ſibi uniuerit, eandemque redemerit, ſanctificet, reſuſcitaturus item, et aeterna gloria ornaturus ſit; haec autem omnia de peccato originis nullo

modo dici poſſint, manifeſtum hinc eſt, humanam naturam, etiam poſt lapſum, et peccatum originis, non eſſe vnum et idem, ſed diligenter eſſe diſcernenda. Copioſius argumentum, ex articulis hiſce deſumtum, in *F. C. p. 646, et ſeqq.* declaratur. Conf. MVSAEVS, *l. c. p. 49, ſqq.* qui etiam, quam inanes ſint, quas FLACIVS et *Flaciani* afferunt, reſponſiones, oſtendit. Praeterea quoque theſis noſtra iis Scripturae ſacrae pleniſſime confirmatur teſtimoniis, quae peccatum originis ab eſſentia hominis diſertis verbis diſtinguunt; e. c. *Rom. VII, 17, 21; Hebr. XII, 1; Pſalm. LI, 7,* et caet.

Ἀντιθέσεως confutatio.

FLACIVS et *Flaciani* his potiſſimum errorem ſuum tueri inſtituerunt rationibus; quia Scriprura ſacra, (1) in deſcribendo peccato originali, ſubſtantialibus vtatur verbis, id vocando *carnem, veterem hominem, corpus peccati*; (2) actiones ei attribuat, nempe *viuendi, agendi, regnandi*, et caet.; (3) in renouatione, *cor vetus auferri*, et *nouum creari*, affirmet. Sed, ad primum quod attinet, ſubſtantialibus peccatum originis vbi deſcribitur verbis, vt *Ioh. III, 6; Rom, VI, 6,* non abſtractiue, ſed *concretiue* accipitur, prout nimirum ſubiectum, ſiue natura hominis, cui peccatum originis inhaeret, connotatur. Quoad alterum, actiones peccato originis, per προσωποποιΐαν, tribuuntur, non quod per ſe illi conueniant, ſed

κατ᾽ ἄλλο, ratione ſcilicet ſubiecti, cui illud ineſt. Tertio, ſacrarum litterarum de cordis veteris ablatione, et noui creatione, dicta, haudquaquam ſubſtantialem, ſed accidentalem tantum inferunt mutationem; id quod legitimae interpretationis regulae docent. Prouocarunt etiam FLACIVS et *Flaciani* ad LVTHERI conſenſionem. Quamuis autem negari nequeat, nonnullas in ſcriptis LVTHERI occurrere locutiones, quae primo adſpectu fauere illis videntur, vnde etiam Flacianiſmi ipſum incuſant Pontificii et Sociniani, attamen non Flaciano illas adhibuit ſenſu, ſed ad ſummam labis originalis deformitatem declarandam iiſdem vſus eſt. Quo adeo intelligendae ſint modo, in *Formula Conc p.576*, et *650, ſq.* docetur, expoſitumque a nobis eſt ſupra, *ſectione I, § III.*

THESIS III

Peccatum originis in omnes homines, per carnalem generationem, propagatur.

Vid. *Aug. Conf. art. II, p.9.*

Expoſitio cum confirmatione.

Theſis haec, ex altero Auguſtanae Confeſſionis deſumta articulo, vbi „*omnes homi-* „*nes, ſecundum naturam propagati, naſci*, dicun„tur, *cum peccato* (originali,) duo in ſe com-

plecti-

plectitur, nempe peccati originis tum *ſubiectum*, tum *modum propagandi*. *Subiectum* praedicationis *omnes* omnino ſunt *homines*, qui a protoplaſtis deſcendunt, et ſecundum naturam, id eſt, ordinario modo, ex mare et foemina, gignuntur; excipiturque adeo is, qui, ſupra naturam, non ex ſemine viri, ſed Spiritus ſancti virtute, ex B. Maria virgine homo factus eſt, Seruator noſter, IESVS Chriſtus. Communem toti generi humano labem eſſe originalem, omneſque homines ea infectos naſci, quamplurimis Scriptura ſacra dictis confirmat. Luculentum inprimis de vniuerſalitate peccati originis teſtimonium eſt apoſtoli, *Rom. V*, 12, vbi, *per vnum hominem*, Adamum, *peccatum in mundum*, id eſt omnes, qui mundo continentur, homines, quippe qua notione vox *mundi* etiam *Ioh. III*, 16, et alias occurrit, *introiuiſſe*, hincque *mortem in omnes homines*, *vtpote qui peccati rei ſint omnes*, *pertranſiiſſe*, affirmat. De originali peccato verba: ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, vtique intelligenda ſunt, ſiue ἐφ᾽ ᾧ ad Adamum referatur, *in quo* omnes peccauerint, ſiue cauſaliter accipiatur, reddaturque: *quia, eo quod*; ſiquidem non aliud eſſe poteſt peccatum, ob quod omnibus in vniuerſum hominibus, ſpeciatimque infantibus, cum in vtero materno adhuc latentibus, tum recens natis, moriendi neceſſitas incumbit, quam peccatum illud, quod, ex Adami lapſu, natura omnibus inhaeret.

haeret. Peccati huius vniuerſalitas comprobatur dictis: *Iob. III, 6; Gen. VI, 5; VIII, 21; Iob. XIV, 4*, et caet.

Ad *modum propagandi* quod attinet, per carnalem generationem peccatum originis in homines propagari, licet ſpecialis propagationis ratio ignoretur, indubitabile eſt; idque Seruator noſter diſertis ſignificat verbis, vbi, *quicquid ex carne natum eſt, carnem eſſe*, ait, *Iob. III, 6*. Huc etiam pertinent verba Dauidis, *Pſ. LI*, 7, quibus ſe, illo ſtatim tempore, quo in vtero matris ſuae conceptus eſt, et haec calore ſuo ipſum fouere coepit, peccato, a parentibus videlicet in ſe tranſfuſo, infectum fuiſſe, confitetur. Etenim, cum naturalis generationis vna eademque cum Dauide omnium hominum ſit ratio, firmiter ex verbis illis colligitur, peccatum omnibus hominibus non ſolum inde a prima ipſorum origine ineſſe, ſed per carnalem etiam communicari generationem; ac fruſtra adeo *Socinianí*, in *Catech. Racou. cap. X, qu. 425*, aliiſque ſcriptis, excipiunt, Dauidem de ſe, non de aliis loqui hominibus; nec enim de re loquitur, ſibi propria et peculiari, ſed cum omnibus hominibus, ob communem naſcendi ſortem, communi. *Arminianorum* et *Anabaptiſtarum* ineptiſſimas dicti Dauidici tacemus expoſitiones. Caeterum ex eo, quod peccatum originis per carnalem generationem a parentibus in liberos propagatur, ipſam

etiam

etiam animam hominis a parentibus in liberos propagari, non immediate a Deo creari, liquet.

Errorum confutatio.

Qui peccati originis exiſtentiam in vniuerſum negant, *Pelagiani* et *Sociniani*, non poſſunt non huic etiam noſtrae de illius vniuerſalitate, et propagandi modo aduerſari theſi. Cum autem aduerſus eam iiſdem, quibus peccatum originis generatim impugnant, vtantur rationibus, his iam profligatis, non opus eſt vlteriori illorum confutatione. Itaque ad Pontificios pergimus, qui P. O. vniuerſalitati contrariam fouent ſententiam, B. MARIAM VIRGINEM Θεοτόκον originali eximentes labe. Etenim, Mariolatriae ornandae cauſa, *immaculatam* B. Virginis quidam commenti ſunt *conceptionem*. Acris de hac ipſa olim in Papatu *Franciſcanos* inter et *Dominicanos* exorta, ac diu multumque, magna animorum contentione, teſtantibus id ab vtraque parte editis ſcriptis, agitata fuit controuerſia. Illi, IO. DVNS, *Scoti*, celebris ordinis ſui theologi, ſectatores, quibus poſtea acceſſerunt *Ieſuitae*, pro immaculata B. M. V. pugnarunt conceptione: hi, THOMAE *Aquinatis* ſui veſtigiis inſiſtentes, eandem impugnarunt, ab actualibus vero peccatis liberam et immunem prorſus Deiparam fuiſſe, affirmarunt. Romani Pontifices ſententiam definitiuam pronuntiare auſi non ſunt, ſed ſatis habue-

habuerunt, in vtramque partem ſentiendi dare libertatem. Conceſſit eam SIXTVS IV, anno MCCCCLXXXIII, hac lege, vt neutra pars alteram haereſeos inſimularet; iſtamque SIXTI conſtitutionem obſeruandam eſſe, edixerunt *Patres Concilii Tridentini, ſeſſ. V.*

Confirmauit eandem PIVS V, anno MDLXX, hoc cum additamento, vt ne in publicis praedicationibus de hac controuerſia diſputaretur. Cum, miſſis ſuperiore ſeculo ab Hiſpaniae Regibus ad PAVLVM V et GREGORIVM XV legationibus, quarum hiſtoriam LVCAS WADDINGVS deſcripſit, Pontificia quaeſtionis de immaculata B. M. V. conceptione deciſio expeteretur, obtineri ea non potuit, Regique Catholico GREGORIVS reſpondit: „nondum aeternam ſapientiam ecclesiae tanti myſterii penetralia patefeciſſe.“ Eundem fere in modum compoſita eſt Bulla, ad PHILIPPVM IV, Hiſpaniae Regem, ab ALEXANDRO VIII, R. P. anno MDCLXIII, miſſa. Videantur, qui controuerſiae huius hiſtoriam ſcripſerunt, FRID. VLR. CALIXTVS, IOH. AD. SCHERZERVS, et caeteri, quos memorat S. R. WALCHIVS, *Introduct. in controuerſias relig. extra eccl. Luth. vernaculo ſermone ſcriptae, P. II, p. 950.* Eam vero de immaculata B. M. V. conceptione ſententia in eccleſia Romana inde conſecuta eſt auctoritatem, vt a Pontificiis pleriſque omnibus pro articulo fidei habeatur, et

ſumma

ſumma teneatur religione; Vniuerſitateſque, v. c. Pariſienſis, Hiſpanicae item, et Germanicae complures, *iuratas immaculatae* ſeſe appellantes, graduum academicorum candidatos iure iurando ei adſtringant; ordines etiam nonnulli equeſtres, Panormitanaeque eccleſiae metropolitanae canonici, *voueant* et *iurent*, ſe pro illa ipſa ſanguinem quoque et vitam, quoties occaſio ferat, daturos. Magnum ei pondus addidit CLEMENS Papa XI, promulgata, anno MDCCVIII, conſtitutione, qua „*feſtum Conceptionis Beatae Mariae* „*Virginis Immaculatae* vbique terrarum in poſterum ab omnibus et ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ſicut alia feſta de praecepto, ſeruari et celebrari," mandauit. Vid. *Bullarium* CLEMENTIS XI, *P. M. edit. Rom. p. 90, ſq.* Sunt tamen hodieque inter Pontificios viri docti, qui cum BELLARMINO, *de amiſſ. grat. et ſtatu pecc. lib. IV, c. 15, p. 139*, B. Virginem Mariam ſine peccato originali conceptam fuiſſe, piam quidem admodum et probabilem opinionem, non vero certam et exploratam veritatem eſſe, profitentur. Eo numero eſt LVDOV. ANT. MVRATORIVS, qui, poſtquam in libro, ſub LAMINDI PRITANII nomine, *de ingeniorum moderatione in religionis negotio*, Pariſiis, anno MDCCXIV, edito, votum ſanguinarium, in honorem immaculatae conceptionis Deiparae emiſſum, oppugnauerat, aduerſus voti huius defenſorem,

CAN-

CANDIDVM PARTHENOTIMVM, theologum Siculum, alium, ſub nomine ANT. LAMPRIDII, de *ſuperſtitione vitanda*, Mediolani, anno MDCCXL, euulgauit librum, in quo id agit, vt controuerſiam de immaculata B. M. V. conceptione ab eccleſia Romana nondum definitam eſſe, ſententiamque *Scotiſticam*, ex illis, quas propugnatores eius proferunt, rationibus, pro certa haberi non poſſe, oſtendat. Laudat is ipſe, *cap. IX, p. 66, ſq.* Cardinalem, VINC. LVD. GOTTI, Dominicanum, qui, vt ne quis, per ſupra dictam CLEMENTIS XI conſtitutionem, controuerſiam diremtam fuiſſe exiſtimet, in ea non immaculatae conceptionis B. M. V. ſed *ipſius B. Mariae virginis immaculatae* feſti celebrationem praecipi, ait, in *libris de vera C. eccleſia, contra* PICENINVM, *part. II, t. 2, art. 14. § 5.* Hac nimirum arte, in exponendis conſtitutionis verbis, vſus eſt Cardinalis, vt *Thomiſticae* proſpiceret ſententiae, cui Praedicatorum ordini adſcripti, ſeu *Dominicani*, dediti ſunt, tametſi publice illum profiteri, et *Scotiſticae* contradicere, decretis Pontificiis prohibentur.

Iam, quod ad ipſam de immaculata B. M. V. conceptione attinet ſententiam, eſt illa ἀντίγραφος, ſacrarumque litterarum repugnat dictis, quae, omnes omnino homines, naturaliter qui propagantur, cum peccato originis naſci, teſtantur, quaeque, Chriſtum pro omnibus hominibus, vt peccatoribus, mortuum

 tuum

tuum eſſe, affirmant; tum vero etiam ſpeciatim his conuellitur rationibus, quia B. Maria virgo Chriſtum pro Saluatore ſuo agnouit, *Luc. I, 47*, actualia admiſit peccata, *Luc. II, 43; Ioh. II, 3, ſq.* et, quod BELLARMINVS *l. c. p. 143*, non inficiatur, temporali obnoxia fuit morti. Veteres etiam eccleſiae doctores de eo conſentiunt, cum peccato originis conceptam fuiſſe beatam virginem, quorum teſtimonia ſtudioſe congeſſerunt, et in ſcriptis ſuis contra Franciſcanos exhibuerunt Dominicani. Hinc inanem operam inſumunt, qui conceptionem B. M. V. immaculatam probare inſtituunt, omni omnino eam in rem deſtituti fundamento. Ingenua BELLARMINI eſt confeſſio, *l. c. p. 140.* „Non expectandum, inquit, eſt, vt expreſſum Dei verbum afferamus, aut certam aliquam eccleſiae definitionem." Probabiles igitur tantum, congruenteſque eſſe, dicit, quas deinde affert, rationes. Certe *ἀπροσδιόνυσα* prorſus ſunt, quae pro illa adduci ſolent, ſacrarum litterarum dicta, vtpote quae vel, illato ſenſu myſtico, ad B. Virginem inepte accommodantur, v. c. *Cantic. II, 2; IV, 7, 12; Pſalm. XLVI, 6;* et caet, vel ex vitioſa Vulgati interpretis, *Gen. III, 15; Luc. I, 28*, deſumuntur verſione.

De *Anabaptiſtis* nunc dicendum eſt, qui, vna cum *Weigelianis*, contrarium maxime theſi noſtrae fouent errorem, ſtatuentes: „infantes „non baptizatos, coram Deo non eſſe pecca„tores,

„tores, ſed iuſtos et innocentes; ſpeciatimque, chriſtianorum liberos eam ob cauſam, „quia parentibus chriſtianis et fidelibus orti „ſint, etiam praeter, et ante ſuſceptum baptiſ„mum, reuera ſanctos, et in filiorum Dei nu„mero eſſe habendos.“ Error iſte *Anabaptiſticus* notatur, refelliturque in *Formula Concordiae*, *c. XII, p. 623, et p. 826, ſq.* Eundem vero etiam, quoad liberos fidelium, HVLDR. ZWINGLII et IOH. CALVINI ſectatores profitentur errorem, docentque: liberos fidelium naſci ſanctos, quippe qui ſint in foedere gratiae. Sed foedus hocce, vt in *F. C. l. c.* monetur, ad eos tantum pertinet, qui id ipſum obſeruant, illudque non contemnunt. Non fauet illis locus: *1 Cor. VII, 14.* Nec enim in eo dicitur, liberos chriſtianorum ſanctos naſci, taleſque eſſe ante baptiſmum, nec ſanctitas illis tribuitur interna et ſpiritualis, ſed, vt ex contextu patet, externa et eccleſiaſtica, quoad aditum ad eccleſiae bona.

THESIS IIII

Peccati originalis, veri videlicet nominis peccati, poena mors eſt, et aeterna damnatio.

Vid. *Aug. Conf. art. II, Form. Conc. art. I, p. 641 b.*

Expoſitio cum confirmatione.

Peccatum originis hic, vbi de poena eius agitur, quatenus culpae rationem habet, ac vere adeo et proprie ſic dictum peccatum eſt, ſpectatur. Veri nominis peccatum eſſe vitium originis, Scriptura ſacra iis teſtimoniis confirmat, quae, vt in *Apologia Conf. Aug. p. 57*, dicitur, nulla cauillatione euerti poſſunt. Etenim vitio iſti non peccati nomen ſolum, *Rom. V, 12; VI, 12, 14; VII, 7, 17; Pſ. 51, 7;* ſed etiam ipſum peccati, vere ac proprie dicti, formale, *ἀνομία* videlicet, *Rom. VII, 7*, attribuitur. De concupiſcentia originali, ſeu congenita ad malum propenſione habituali; non de actuali concupiſcentia, quam Pontificiorum quidam, *Concilii Tridentini decreto V, ſeſſionis V*, eo ipſo contradicentes, intelligi volunt, hoc in loco apoſtolum loqui, ex contextu clariſſime apparet. Actualem nimirum concupiſcentiam nec gentes ignorarunt eſſe peccatum. Quemadmodum igitur Scriptura, peccatum originis veri nominis peccatum eſſe, docet, ita etiam *poenam* illius indicat, idque *Rom. V, 12*; ſiquidem ex dicti huius comparatione cum *Gen. II, 17*, cognoſcitur, eidem, quam lapſu ſuo Adamus meruit, *morti* omnes eius poſteros natura obnoxios eſſe. Mors autem illa, quam Adamus lapſu ſuo meruit, non temporalem ſolum, cum omni-

omnibus vitae huius miſeriis, ſed gratiae etiam, ſeu iram Dei, aeternamque complectitur mortem. Hanc, ſeu damnationem aeternam, originalis peccati praecipuam eſſe poenam, *ἀντίθεσις*, quae fit inter mortem, per Adamum generi humano illatam, et vitam, id eſt, ſalutem aeternam, per Chriſtum partam, *Rom. V, 16, VI, 23*, vberius confirmat. Ita, vbi apoſtolus, *Eph. II, 3*, omnes homines τέκνα φύσει ὀργῆς, *filios irae*, id eſt, diuina dignos ira, (conf. 1 Sam. XX, 31, 2 Petr. II, 14,) *natura* eſſe, pronuntiat, a prima illos natiuitate, per et propter peccatum, inde ab hac ipſa eis inhaerens, aeternae damnationis reos eſſe, docet.

Errorum confutatio.

P*elagianos* et *Socinianos* huic etiam theſi noſtrae aduerſari, per ſe patet, quandoquidem peccati originalis exiſtentiam prorſus negant. His addendi ſunt *Arminiani*, qui hominem in et cum peccato, proprie dicto, naſci, inficiantur, hincque a natiuitate aeternae damnationis reum eſſe, negant. Vid. SIM. EPISCOPIVS, *inſtitut. theolog. l. IV, ſect. V, c. 2, p. 403*, STEPH. CVRCELLAEVS, *inſtitut. relig. chriſt. l. III, c. 17, p. 136*, *et alias paſſim*, et PHIL. a LIMBORCH, *theol. chriſt. lib. III, c. 4, p. 182, ſqq.* Conf. ADR. a CATTENBVRGH, in *ſpicilegio theol. LIMBORCHIANAE, p. 305, ſeqq.* LIMBORCHII rationes, quibus originariam quandam in

 homi-

homine corruptionem, ſeu habitum peccati, ab Adamo in omnes ipſius poſteros propagatum, qui vere ac proprie ſit peccatum, nec cum ſacra Scriptura, nec cum recta ratione conciliari poſſe, demonſtrare laborat, ſolide confutauit, ſimulque veram, quam modo enarrauimus, dicti *Eph. II, 3,* ſententiam ab exceptionibus eius vindicauit CHRISTOPH. FRANCKIVS, *in exercitatt. anti-Limborchianis, exerc. IV, cap. 2, p. 238, ſqq.* Hoc, praeter caetera, LIMBORCHIVS vtitur argumento: „nullum peccatum, poena dignum, eſſe inuoluntarium: quia nihil magis debeat eſſe voluntarium, quam quod hominem poenae, et quidem grauiſſimae, aeternae nempe, et ſummorum cruciatuum reum facit: corruptionem autem originariam eſſe inuoluntariam.“ Argumento huic CATTENBVRGIVS quaedam philoſophorum ethnicorum, quaſi vero ab his, quid de P. O ſtatuendum ſit, diſcendum ſit, et Patrum, praecipue AVGVSTINI, quem vero palinodiam ceciniſſe, poſtea fatetur, addit effata. At enimuero τὸ ἑκούσιον, *voluntarium*, non eſſe de eſſentia peccati, patet ex definitione peccati, *Ioh. III, 4*; itemque ex teſtimonio PAVLI, *Rom. VII, 15, 16, 19,* vbi illud, *quod non vult, malum, hoc ſe agere*, ait, et *Gal V, 17*; atque adeo ex ipſis etiam peccatis actualibus, non voluntariis, ignorantiae videlicet, et infirmitatis, *Pſalm. XIX, 13,* et caet. Neque vero etiam corruptio origi-

naria

naria, quod LIMBORCHIVS ait, eſt involuntaria, quin potius voluntaria ea eſt, non quidem in ſe, ſed antecedenter, et in ſua cauſa. Ex eodem, quo Arminiani maxime nituntur, principio: nihil videlicet habere rationem peccati, niſi ſit voluntarium; *Scholaſtici* etiam doctores, et, qui horum veſtigiis inſiſtunt, *Pontificii*, praeſertim BELLARMINVS, *de amiſſ. grat. lib. V, c. 9, p. 168*, itemque *Sociniani*, concupiſcentiam peccatum eſſe, negant. Perperam autem philoſophicum iſtud axioma, nihil eſſe peccatum, niſi voluntarium, ſcholaſticos huc tranſtuliſſe, in *Apologia, p. 58*, notatur. Etenim Scripturae ſacrae vnice inhaerendum eſt doctrinae, quae, originariam concupiſcentiam, nullo accedente conſenſu, legi diuinae aduerſari, ac vere adeo peccatum eſſe, confirmat. Vid. *Rom. VII, 7.*

THESIS V

Peccatum originis in baptiſmo, quoad reatum quidem, tollitur; remanet autem in baptizatis congenita ad malum procliuitas, ſeu praua concupiſcentia; haecque remanens in renatis concupiſcentia vere ac proprie eſt peccatum.

Vid. *Apologia Conf. Auguſt. p. 56 ſq.*

Expoſitio et confirmatio.

Tribus theſis haec conſtat pronuntiatis. *Primum* eſt: *peccatum originis per baptiſmum tolli quoad reatum.* Intelligendum id eſt de reatu, quatenus is ſpectatur, non ratione ipſius peccati originis, quippe quod reatum ſecum ſemper coniunctum habet, ſed ratione ſubiecti, cui peccatum originis inhaeret. Vid. AVGVSTINVS *contra* IVLIANVM, *lib. VI, c. 6.* Conf. CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid. P. I, loc. IV, ſect. I, p. 135, ſq.* Nempe in iis, qui baptizantur, dum ſatisfactio Chriſti per fidem ipſis imputatur, reatus, quem P. O. inducit, ita tollitur, vt renati non amplius coram Deo rei ſint, ac puniendi, ſed per et propter iuſtitiam Chriſti, fide imputatam, iuſti habeantur. Etenim in baptiſmo, vt Scriptura clare docet, per mortem et reſurrectionem Chriſti, plena et perfecta fit remiſſio omnium peccatorum, ita vt *nulla* ſit *condemnatio his, qui in Chriſto* IESV *ſunt. Rom. VIII, 1.* Hinc etiam baptiſmus *lauacrum* dicitur *regenerationis et renouationis per Spiritum ſanctum, Tit. III, 5. Alterum* pronuntiatum eſt: peccatum originis, in ſe, et quoad intrinſecam ſuam rationem, per baptiſmum non penitus et totaliter tolli, radicituſve exſtirpari; ſed *remanere in baptizatis concupiſcentiam prauam*, quamuis in renatis, qua talibus, non regnet, ſed vis atque dominium eius per Spiritum ſanctum infringatur.

Aliud

Aliud nimirum eſt, tolli peccatum originis, quoad reatum, vt non imputetur et obſit, itemque quoad dominium; aliud, tolli quoad inhaerentiam, vt non inſit. Illud fit in baptiſmo, per regenerationem, cum iuſtificatione et renouatione coniunctam; hoc per beatam demum *ἀνάλυσιν* contingit. Vid. *Apologia, l. c.* vbi haec *concupiſcentiae in renatis remanſio* AVGVSTINI verbis declaratur. Sufficiens eius ipſa experientia dat documentum, tum vero diſerta illam confirmant apoſtoli dicta: *Rom. VI, 6, VII, 17, ſqq. Gal. V, 16, 17, 24,* et caet. Sequitur *tertium* pronuntiatum: *remanentem in renatis concupiſcentiam vere proprieque eſſe peccatum*, in ſe nimirum, et natura ſua damnabile. Quandoquidem enim congenita ad malum propenſio, quae concupiſcentia dicitur, veri nominis eſt peccatum, id quod in praecedente theſi probauimus; illa ipſa vero, quoad inhaerentiam, per baptiſmum non tollitur, ſed in renatis remanet, neceſſario conſequitur, eandem, vt peccatum vere tale, in his remanere. Suo id teſtimonio confirmat apoſtolus, quippe qui originarium iſtud, in ſemetipſo inhabitans, malum, *Rom. capite VII*, ſemel, iterumque ac ſaepius *peccatum* appellat. Non de ſe, vt irregenito, qualis ſcilicet ante conuerſionem ſuam fuerat, quod *Pontificii* et *Sociniani* volunt, ſed de ſe, vt renato, qualis nimirum tunc erat, PAVLVM in hoc capite, *a v. 14,*

vſque ad finem, loqui, praeter alia, docent praedicata, *v. 22, et caet.* quae non aliud, quam hominem regenitum, permittunt eſſe ſubiectum.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Praecipua de tertio pronuntiato inter nos et *Pontificios* eſt controuerſia. In *ſectione prima* huius capitis, § *I*, indicauimus, theologos Romano-Catholicos, qui Confeſſionem Auguſtanam, Caeſaris iuſſu, ſub examen vocarunt, in *articulo II* improbaſſe, quod peccatum originis confeſſores noſtri dicant concupiſcentiam, ſi quidem hancce cum LVTHERO ita velint eſſe peccatum, quod etiam poſt baptiſmum remaneat peccatum in puero; quippe qui LVTHERI error damnatus ſit a ſede apoſtolica, LEONE ſcilicet X, P. R.; eoque illos noſtratibus LVTHERI ſententiam in *Apologia Confeſſionis, l. ſ. c.* defendendi dediſſe cauſam. Acris de hoc argumento in conuentu, Vormatiae in Vangionibus, anno CIↃIↃXLI, habito, ECCIVM inter et MELANCHTHONEM fuit diſputatio, quae in editis ab hoc, inſertiſque *Operum* eius *tomo IV, p. 640, ſeqq.* conuentus iſtius actis enarratur. In *Concilio* inde *Tridentino*, *ſeſſione V*, ſingulari decreto eccleſiae Romanae doctrina: *concupiſcentiam in renatis non eſſe vere et proprie peccatum*, confirmata, et anathema dictum eſt contrarium ſentienti, affirmantique: „non tolli totum id in

„bapti-

„baptiſmo, quod veram et propriam peccati „rationem habet, ſed illud tantum radi, aut „non imputari.“ Largiuntur Patres Tridentini, in baptiſmate reatum peccati originis dimitti, itemque, manere in baptizatis concupiſcentiam, et hanc ipſam aliquando apoſtolum peccatum appellare: negant vero, peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum ſit, ſed hoc ei nomen tribui, aiunt, quia ex peccato ſit, et ad peccatum inclinet. Nequicquam autem decreti ſui ſententiam probant eo, „quod in renatis nihil „oderit Deus, quia nihil ſit damnationis iis, „qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per „baptiſma in mortem, qui non ſecundum „carnem ambulant, et rel.“ Nec enim ex eo, quod *οὐδὲν κατάκριμα, nulla condemnatio iis eſt, qui in Chriſto* IESV *ſunt*, *Rom. VIII*, 1, ſequitur, inhaerentem eis concupiſcentiam prauam non eſſe damnabile quid, ac vere adeo proprieque peccatum. Nulla vtique *condemnatio actualis*, (non, quemadmodum BELLARMINVS, *l. c. p.* 162, verba apoſtoli perperam exponit, nihil condemnatione dignum,) eſt renatis, iuſtificatiſque in Chriſto, quippe qui ab inhaerentis peccati reatu liberati ſunt merito Chriſti, nec peccato obſequuntur, ſed per Spiritum ſanctum perpetim reſiſtunt; iidemque, per et propter imputatam eis fide iuſtitiam Chriſti, iuſti coram Deo, adeoque ipſi non ſunt odioſi, ſed accepti potius, dile-

ctique

ctique. Propter ea vero adhaerens illis praua concupiſcentia ſuam, id eſt, vere proprieque ſic dicti peccati, non exuit naturam, odioque eximi nequit diuino. Falſum porro eſt, quod Tridentini patres aiunt, concupiſcentiam ab apoſtolo peccatum appellari, non quod vere et proprie in renatis ſit peccatum, ſed *μετωνυμικῶς*, quod ex peccato ſit, et ad peccandum inclinet; quandoquidem PAVLVS illam ipſam, *v. 21*, *κακὸν* vocat, eandemque odio habere, mortificare, etc. iubet. Cauſam, quare Pontificii concupiſcentiam, in renatis remanentem, nullam peccati rationem habere ſtatuunt, huncque errorem ſuum magna contentione propugnant, CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid lib. IV*, *ſect. 2*, *p. 137*, exponit. Id nimirum faciunt, vt praecipua regni pontificii ſtabiliant fulcra: renatos ſcilicet in hac vita legi Dei perfecta obedientia ſatiſfacere poſſe; et, bona renatorum opera mereri vitam aeternam. Pluribus idem, *l. c. ſect. 5*, *p. 142*, *ſqq.* Pontificiorum, quibus errorem iſtum tueri conantur, argumenta refellit. Add. SCHERZERVS, in *Anti-Bellarmino*, *diſp. XV*, *p. 648*, *ſeqq.*

THESIS VI

Peccata actualia fructus, ſeu effectus ſunt peccati originalis.

Vid. *Art. Smalcald. P. III*, *art. I*, *p. 317*. *Form. Conc. art. I*, *epit. p. 577*, *declar. p. 640*, *a.*

Expo-

Expoſitio cum confirmatione.

Peccati actualis nomine venit, quicquid, vel *agendo*, ſeu committendo, vel *non agendo*, ſeu omittendo, fit contra legem Dei. Sunt igitur peccata actualia, cum omnes, quae lege diuina prohibentur, *actiones*, tam *internae*, vt cogitationes, motuſque praui, non ſolum voluntarii, ſed etiam inuoluntarii, qui in *primo primos*, et *ſecundo primos* diſpeſci ſolent, quam *externae*; tum omnes *omiſſiones*, vbi ea omittuntur, quae lex Dei praecipit. Haecque adeo, quae actualia dicuntur, peccata *effectus* ſunt peccati originis, ex quo nimirum, vt *Formula Concordiae l. c.* loquitur, tanquam mali *fructus* ex mala progignuntur arbore, et tanquam virulenti *riuuli* ex venenato profluunt fonte. Plura hanc in ſententiam ſacrarum litterarum ſunt dicta: e. c. *Gen. VI, 5*, vbi, *omne figmentum cogitationum cordis hominis*, id eſt, quicquid cogitationum, cupiditatumque et affectuum a corde humano producitur, *malum eſſe*, pronuntiatur: *Matth. XV, 19*, et *Marc. VII, 21*, vbi, ex corde humano, originali videlicet infecto peccato, prodire dicuntur peccata actualia, interna pariter, atque externa. Conf. *Luc. VI, 45*. Sic ab apoſtolo, *Gal. V, 19*, actualia peccata ἔργα τῆς σαρκὸς vocantur, et *Rom. VI, 6*, τοῦ σώματος τῆς ἁμαρτίας nomine peccatum originis, actualium peccatorum, vt membrorum illius, reſpectu deſignatur.

Inſi-

Inſignis quoque locus eſt, *Iac. I, 14, 15*, quo, veram et proximam peccatorum actualium cauſam in cuiuſuis hominis ἐπιθυμίᾳ, id eſt, corruptae hominis naturae ad malum propenſione, quaerendam eſſe, eleganti allegoria declaratur. Vt adeo, his etiam dictis, cum illi, qui originale peccatum prorſus negant, tum ii, qui non vere proprieque peccatum id ipſum eſſe, aiunt, erroris conuincantur. Inſtituti noſtri non fert ratio, vt actualium peccatorum rationem omnem exponamus, cum de actuali peccato doctrina in libris noſtris ſymbolicis non plenius tradatur.

THESIS VII

Peccati cauſa nulla ratione Deus eſt, ſed voluntas malorum, diaboli videlicet et impiorum, cauſa eſt peccati.

Vid. *Aug. Conf. art. XIX.* Conf. *Form. Conc. art. XI, p. 617, et p. 799.*

Expoſitio et confirmatio.

Deum, nulla prorſus ratione, id eſt, nec phyſice, nec moraliter, nec per accidens, peccati cauſam eſſe, theſi hac affirmatur; idque generatim iis ſacrarum litterarum probatur dictis, quae, Deum perfectiſſime et infinite ſanctum eſſe, peccatumque, vtpote quod

quod ſanctitati ipſius directe aduerſatur, non velle, ſed odiſſe, prohibere, ſeueriſſime punire, teſtantur: *Deut.* XXXII, 4; *Pſ.* XCII, 16; *Exod.* XX, 5, ſqq. *Pſ.* V, 5, ſqq. XLV, 8, et caet. Hinc enim omnino conficitur, nullo cauſarum genere a Deo produci peccatum. Ad has ſpeciatim quod attinet, Deus nequaquam *phyſice* cauſa eſt peccati, non ratione *creationis*, quia, licet etiamnum naturam in hominibus mediate creet et efficiat, tamen non creat aut facit in nobis peccatum, quippe quod, per carnalem conceptionem et natiuitatem a patre et matre, propagatur, vt FORMVLA CONCORDIAE, *art.* I, *p.* 639, *b. n.* II, docet: non ratione *conſeruationis*, quae quidem facit, vt homo peccans ſuperſit, non vero vt peccet: non ratione generalis ad actiones humanas *concurſus*, quia Deus non ad malarum actionum formale, ſiue ἀταξίαν, concurrit, concurſusque iſte voluntatem hominis ad hoc illudue agendum haudquaquam determinat. Vid. MART. CHEMNITIVS, *loc. theol. part.* I, *loc.* 5. *c.* 5, *p.* 159, vbi ex eo, quod ad actionum malarum motum phyſicum, ſeu materiale, Deus concurrit, non ſequi, peccati ipſum eſſe cauſam, eleganti, quam AVGVSTINVS attulit, ſimilitudine declarat.

Deum non *moraliter* cauſam eſſe peccati, non opus eſt, vt pluribus demonſtremus. Quantopere enim Deus averſetur peccatum, quam ſerio ab eo homines dehortetur, quam

graui-

grauibus ſub poenis illud prohibeat, cum innumeris in locis doceat Scriptura, ecquis, ſine ſumma in veritatem Dei iniuria, dixerit, peccatorem ab ipſo impelli, incitariue ad peccatum. *Deus eſt ἀπείραστος κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα, ipſe non tentat quenquam malis*, id eſt, ad peccatum impellit, *Iac. I, 13.* Permittit quidem Deus peccata; ſed permiſſio iſta non infert volitionem, approbationemue, ſed in phyſicae impeditionis conſiſtit negatione; quae iuſta eſt, cum a Deo poſtulari nequeat, vt violenter impediat peccata, ac libere agendi homini adimat facultatem. Atque ad permiſſionem illam referendae ſunt phraſes, quibus Deus dicitur: *cor indurare, homines errare facere de viis rectis, in mentem reprobam dare*, conſimilesque.

Neque vero etiam peccati cauſa *per accidens* eſt, dicique poteſt Deus. Quamuis enim nonnulli eorum, qui hoc ſtatuunt, cauſam per accidens ita exponant, vt phraſis haec de Deo adhiberi poſſe videatur, quippe qui per eam, improprio ſenſu, denotari volunt non veram cauſam eius, cuius dicitur cauſa per accidens, ſed veram cauſam alterius, quod coniungitur cum eo, cuius ipſa eſt cauſa per accidens; ſicque adeo Deum peccati cauſam per accidens dici, aiunt, non quod peccati ſit cauſa, ſed effectus tantum, quocum peccatum, praeter intentionem ipſius, et abſque vllo eius influxu, coniungitur: attamen phraſis

phraſis iſta, quo demum cunque explicetur modo, ita comparata eſt, vt grauem praebeat offenſionem, eo quod obuius eius ſit ſenſus, effici a Deo peccatum, cum, quicquid per accidens fit, reuera fiat; ac proinde vt iniuria in ſanctitatem Dei, ab orthodoxis theologis iure meritoque reiicitur, atque damnatur. Cumque adeo nulla prorſus ratione Deus ſit, diciue poſſit cauſa peccati, vera vtique huius cauſa eſt, quae in *Auguſtana Confeſſione* et *Formula Concordiae*, indeque in theſi noſtra nominatur, *diaboli* videlicet, et *hominis* voluntas. Et diabolum quidem peccatorum eſſe cauſam, ſanctiſſimus Seruator noſter, *Joh. VIII*, 44, luculentiſſimo teſtimonio confirmat, peccatum, ἴδιον, *proprium* illius opus eſſe, demonſtrans. Conf. *1 Joh. III*, 8. Nec ipſe ſolum immediate peccat, ſed ad peccata hominum etiam cauſaliter et effectiue concurrit. Quem ad modum enim protoplaſtorum lapſus, ex quo peccatum originis ſuum habet ortum, perſuadendo extitit auctor, ita hodieque homines variis modis ad peccandum inducit. Compluribus id ipſum etiam comprobatur ſacrarum litterarum dictis. Vid. praeter locos modo citatos, *2 Cor. IV*, 4; *Eph. II*, 2; *2 Tim. II*, 26; *Act. V*, 3. Sed et homo peccator, voluntate ſua, cauſa efficiens moralis eſt peccatorum ſuorum, vtpote qui, cum Satanae ſuggeſtionibus, tum naturali animi prauitate, ad explendas carnis

cupiditates duci ſe patitur, et ſponte ſua, ac libere ea omnia peragit, quae legi diuinae repugnant, quaeque aeternam commerentur damnationem.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Ex priſcis haereticis peccatum Deo, vt cauſae primariae, imputaſſe dicuntur *Simoniani* maxime, *Valentiniani*, *Cerdoniani*, *Marcionitae*, *Manichaei*, *Priſcillianiſtae*, *Apellitae*, *Seleuciani*. Sed de horum quidem nonnullis id certo non conſtat; caeteri plerique omnes, duo rerum principia ſtatuentes, peccati quidem cauſam ad principium quoddam primum et aeternum retulerunt, hoc vero non Deum, ſed diabolum, aut certe Deum malum nominarunt. Rectius forte deteſtabilis iſte error FLORINO, qui, ſaeculo p. C. N. II, vixit, adſcribitur, quippe cui, teſte EVSEBIO, *hiſt. eccl. lib. V*, *c. 20*, *p. 237*, *edit. Cantabrig.*, IRENAEVS librum *de monarchia* oppoſuit, ſiue, *Deum non eſſe ποιητὴν κακῶν, malorum effectorem*. Ex recentioribus producendi ſunt, qui, licet Deum peccati cauſam eſſe, expreſſe dicere, vereantur, ea tamen docent, ex quibus neceſſario conſequitur, actualis cuiuſque peccati Deum eſſe auctorem. Huiuſmodi ſunt dogmata *Scholaſticorum* quorundam, et *Dominicanorum*. Hi nimirum, prout ſententiam eorum AD. TANNERVS, *theol. ſcholaſt. tom. I*, *qu. 2*, *dub. 1*, *p. 589*, enarrat, Dei

Dei concurſum praeuium eſſe, ſtatuunt, in cauſas ſecundas, haſque phyſice applicare ac *praedeterminare* ad operandum. Ita vero, dum omnium ac ſingularum actionum humanarum Deo attribuunt praedeterminationem, peccatorum ipſum faciunt cauſam. Eo etiam comparata ſunt *Caluinianorum* dogmata. Quin immo anteſignani eorum, HVLDER. ZWINGLIVS, IOH. CALVINVS, PETR. MARTYR, THEOD. BEZA, horumque veſtigiis inſiſtentes alii non habuerunt religioni, explicate dicere: Deum velle fieri, quaecunque fiunt ab hominibus, peccata: decreuiſſe ab aeterno, vt fierent; imperare illa Satanae et improbis hominibus, eosque ad peccandum inclinare, impellere, et etiam cogere; operari in hominum impiorum mentibus, et per eos, vt per ſua inſtrumanta, ea omnia, quae vere ſunt peccata. Haec, quae in ſcriptis illorum occurrunt, Deumque auctorem et cauſam peccati ab iisdem conſtitui, aperte indicant, dicta exhibet BELLARMINVS, *de amiſſ. grat. et ſtatu pecc. lib. II, c. 3, p. 58, ſeqq.* Add. ex noſtratibus, IOH. ANDR. QVENSTEDT, *ſyſtem. theol. part. II, cap. 2, ſect. 2, p. 97*, et I. A. SCHERZERVS, *coll. antiCaluin. p. 346, ſqq. Synodus* quidem *Dordracena, doctr. cap. 1 de praedeſtinatione, art. XV, actor. p. 244*, Deum peccati auctorem conſtituere, cogitatu blaſphemum eſſe, pronuntiat, itemque recentiores theologi *Reformati* ſententiam iſtam, Deum videli-

cet cauſam eſſe peccati, cum maxime deteſtantur, et de iniuria, quae, imputatione illius, ipſis fiat, conqueruntur. At enimuero, vt ne dicam, impia illa ZWINGLII, CALVINI, et caeterorum pronuntiata non reiici ab ipſis, damnarique, ſed potius excuſari, ea vtique iidem fouent dogmata, ex quibus conſequitur, peccatum a Deo, tanquam cauſa primaria, eſſe deriuandum. Praeterquam enim, quod ex primario eorum de abſolutis Dei decretis id fluat errore; hominem, in omnibus actionibus ſuis, tam bonis, quam malis, diuinae directionis obnoxium eſſe, docent, neceſſitati, et per directionem, ac prouidentiam diuinam, ad ſingulas determinari actiones. Vid. inprimis DAN. CHAMIERVS, *panſtratiae catholicae tomo III, lib. II, cap. 4 et 5, p. 12, ſqq.* Ita vero dum Reformati voluntatem hominis a directione et prouidentia diuina determinari ſtatuunt, in Deum vtique peccati referunt cauſam.

Concurſum Dei ad ſingulas hominis actiones, peccatique permiſſionem, huius efficientiam nequaquam inferre, perperamque adeo ad labefactandam theſin noſtram adduci, in expoſitione eius iam oſtendimus. Cum praeſcientia Dei inter cauſas peccati referri etiam ſoleat a Caluinianis, abſone id fieri, patet, ſiquidem ex praeuiſione peccati ad impulſum ad peccatum nulla prorſus eſt

cor-

conſecutio; nec praeſcientia adeo Dei, prout FORMVLA CONCORDIAE, *art. XI, epit. p. 617*, et *declar. p. 798 ſq.* docet, cauſa eſt peccati, quae hominem ad malum impellat.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT V
DE LIBERO ARBITRIO
SEV
DE VIRIBVS HOMINIS POST LAPSVM

SECTIO I
HISTORICA

I

De intellectus humani aeque, ac voluntatis virium, quae *liberi arbitrii* nomine denotantur, in ſpiritualibus, poſt lapſum, ἀδυναμία, ad peccati originis effectus, formalemue pertinente rationem, vera ſacrarum litterarum doctrina, cum in *Auguſtana Confeſſione*, eiusque *Apologia*, tum in *Formula Concordiae* exhibetur, et oppoſiti errores refelluntur. *

(*) *Liberi arbitrii* appellatione vtuntur confeſſores, de quo termino eccleſiaſtico legi merentur, quae MART. CHE-

CHEMNITIVS, *LL. Th. part. I, loc. 6, p. m. 180, ſqq.* et C. E. BROCHMAND, *Syſtem. Th. part. I, art. 10 p. 332 ſq.* notarunt. τὸ αὐτεξούσιον, quae Patrum Graecorum eſt λέξις, ſeu *liberum arbitrium*, proprie quidem dicitur de *voluntate*, notatque facultatem voluntatis, qua haec, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, agere hoc et agere illud, hoc agere et non agere, idem ſic et aliter agere poteſt; hic vero latiore ſenſu vſurpatur, ita vt eo nomine *intellectus* quoque iudicium comprehendatur. Quam ob rem a PHIL. MELANCHTHONE, CHEMNITIO, aliiſque, et in ipſa *Formula Concordiae*, *p. 654*, hocce doctrinae chriſtianae caput inſcribitur: *de libero arbitrio, ſiue de viribus humanis.*

II

Et in AVGVSTANAE quidem CONFESSIONIS *articulo XVIII*, eiuſque parte prima, quae eſt doctrinalis, irregeniti hominis voluntati libertas quidem aliqua, quoad obiecta non ſpiritualia, attribuitur; quoad ſpiritualia autem. apoſtolici dicti. *1 Cor. II, 14*, auctoritate, τὸ αὐτεξούσιον prorſus denegatur, vberiorisque illuſtrationis cauſa, AVGVSTINI adducuntur verba. In altera, quae elenctica eſt, parte, *Pelagianorum.* et *aliorum*, ſine Spiritu ſancto, ſolis naturae viribus, actus mere ſpirituales perfici poſſe, docentium, damnantur errores. *

(*) Articulo huic condendo cauſam dedit, a ſcholaſticis doctoribus in eccleſiam Romanam inuectus, de libero arbitrio in rebus etiam ſpiritualibus error Pelagianus, compluribus antea editis ſcriptis a LVTHERO caſtigatus. Deſumtus ille eſt ex articulo quinto *Torgauienſi*, qui articulo de peccato originis percommode eſt ſubiunctus, cum arctiſſimus inter vtramque doctrinam,

de

de peccato nimirum originis, et de viribus liberi arbitrii, ſit nexus. Quae in Latino textu addita eſt ἀντίθεσις, ab ANDR. FABRICIO, in *Harm. A. C. p. 348*, prototypo perperam abiudicata, in Germanico, prout in Concordiae libro, et pleriſque aliis editionibus is exhibetur, deeſt. Diſcriminis huius ratio ex indole atque natura Latino ſermone conſcriptae Confeſſionis, qua differt a verſione, eſt repetenda. Sed et illa ipſa ἀντίθεσις, breuioribus tantum concepta verbis, in Germanicae Confeſſionis editione Vitembergenſi, anno 1531, in 4. euulgata, aliiſque nonnullis reperitur. Grauem articulo huic, ſynergiſticis phraſibus, corruptelam intulit PHILIPPVS in *variata*, quae dicitur, *confeſſione*. In prima enim parte haec inſeruit: „Efficitur autem ſpiritualis iuſtitia in nobis, cum *adiuua-* „*mur* a Spiritu ſancto. Porro Spiritum ſanctum conci- „pimus, cum verbo Dei *aſſentimur.*" Et in altera parte, ad id, quod dicitur: humanam naturam non poſſe efficere interiores motus, vt timorem Dei, et rel. addidit: „niſi Spiritus ſanctus gubernet et *adiuuet* corda „noſtra." Vid. A. CALOVIVS, in *Critico ſacro p. 179*.

Ad textum authenticum quod attinet, notandum eſt, per *iuſtitiam ciuilem*, ad quam efficiendam humana voluntas aliquam habere dicitur libertatem, actus intelligi moraliter bonos, quos ratio humana ſibi relicta dictitat, quique ad externam iuſtitiam et honeſtatem pertinent. Ita iuſtitia haec explicatur in *Apologia*, *p. 218*, illamque a Scriptura *iuſtitiam carnis* vocari, additur. Clariſſima ſunt textus Germanici verba: „*der menſch habe* „*etlicher maſſen einen freyen willen aeuſſerlich erbar zu* „*leben*, etc." Iamque hinc porro intelligitur, per *iuſtitiam Dei*, ſeu *iuſtitiam ſpiritualem*, quae ciuili opponitur, actus ſignificari ſpirituales, quos Spiritus ſanctus, ſpeciali operatione ſua, in homine efficit, quales ſunt: vere timere Deum, vere credere Deo, et rel. Vid. *Apologia*, *p. 219*. De hac iuſtitia cum dicitur, hominis, irregeniti videlicet, voluntatem non habere vim efficiendae illius *ſine Spiritu Sancto*, non incluſiue, ſed excluſiue hoc intelligi debet. Vid. I. B. CARPZOVIVS, in *Iſagoge*

in libros ſymbolicos, p. 484. Per *alios*, qui Pelagianis in antitheſi adduntur, ſcholaſticos, horumque veſtigiis inſiſtentes Pontificios doctores indigitari, cum res ipſa docet, tum ex *Apologia, p. 218*, clariſſime apparet. Et vere quidem Pelagianos illis tribui errores, contra IOH. HOFFMEISTERVM probat S. R. FEVERLINVS, in *diſſertatione ad hunc articulum de L. A. p. 29*, et in *obſeruationibus in Aug. Conf. p. 143.* Τὸ *facere praecepta Dei, quoad ſubſtantiam actuum*, Scholaſticorum φράσει, actus non materialiter ſolum, ſed etiam formaliter bonos efficere, notat.

Eſt in hoc articulo, quod inter naeuos, vel παροράματα, quae libris noſtris ſymbolicis falſo imputari ſolent, refertur. Nempe AVGVSTINO libri attribuuntur ὑπογνωστικῶν, *ſubnotationum*, quorum tamen auctorem illum haud eſſe, pro certo hodie habetur, licet inter viros doctos non conueniat, verus quis ſit auctor operis huius, quod ipſe ὑπομνηστικὸν in praefatione vocat. Sed quicunque demum is fuerit, ſufficit, libros hoſce hypognoſticon AVGVSTINO, non ſolum a ſcriptoribus ſaeculi IX, ſed etiam in codicibus MSS., teſtantibus id Monachis Benedictinis, in *appendice ad tomum X Operum* AVGVSTINI, *p. 3*, adſcriptos fuiſſe, tum vero iis maxime temporibus ſub illius nomine extitiſſe; nec adeo error admiſſus eſt in Auguſtana Confeſſione, eo quod, κατ' ἄνθρωπον diſputantes confeſſores, ex ὑποθέσει communis opinionis, AVGVSTINVM eorundem nominauerint auctorem; cuius etiam ſententiam, in *libro de natura et gratia, contra* PELAGIVM, expoſitam, et in *Apologia, p. 64, et ſeq.* recitatam, locus ille, qui ex libro tertio hypognoſticon adducitur, prorſus refert. Ex inſtituto Auguſtanae Confeſſionis cauſam eo nomine egit laudatus FEVERLINVS, in *diſquiſitione hiſtorico critica de libris hypognoſticon, an ab* HINGMARO, *et in Auguſtana Confeſſione recte tribuantur* AVGVSTINO, *epiſcopo Hipponenſi, p. p. Altdorfii, a. 1735.* Conf. eiuſdem *obſeruat. in A. C. p. 141, ſeq.* IAC. BENIGNVS BOSSVETVS, in libro, qui inſcribitur:

hiſtoi-

hiſtoire des variations des egliſes Proteſtantes, tom. I, lib. 3, p.m. 105, ex illo ipſo, qui in Aug. Confeſſione laudatur, ὑπογνωστικῶν loco, inepte Semi-Pelagianiſmi reos facit confeſſores noſtros. Nempe, cum in eo dicatur, liberum arbitrium non eſſe idoneum in iis, quae ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut CERTE peragere; ex vocabulo *certe* Semi-Pelagianum exſculpit errorem, eiusque additione ſignificari vult, liberum arbitrium res diuinas ſuis viribus minimum inchoare poſſe: „*reſtriction*, verba eius ſunt, *qui ſemble inſinuër, que le* „*libre arbitre peut du moins commencer les choſes de Dieu*, „*par ſes propres forces.*“ Ecquis non videt, abſona hac expoſitione, manifeſtam iniuriam fieri confeſſoribus. Nam cum vocula *certe* elegantiae cauſa addita ſit, verus verborum is eſt ſenſus: in rebus ſpiritualibus nec inchoare, nec petagere quidquam hominem poſſe, ſine diuina gratia; quo etiam modo in Germanica verba haec redduntur Confeſſione. Conf. I. F. BVDDEVS, in *diſſ. de Pelagianiſmo in eccl. Rom. triumphante*, §. *XV*, *p.* 24.

III

In APOLOGIA AVG. CONF. *c.VIII, p.* 217, *ſeqq.* primum indicatur, confutationis pontificiae auctores articulum XVIII A. C. recepiſſe quidem, teſtimonia vero quaedam addidiſſe, parum apta ad eam cauſam; ac, licet declamauerint, quod non ſit nimium tribuendum libero arbitrio cum Pelagianis, neque omnem ei libertatem adimendam eſſe cum Manichaeis, re vera tamen nihil intereſſe inter Pelagianos et Pontificios. Deinde diſtributio obiectorum liberi arbitrii, qua iuſtitia ei tribuitur ciuilis, ſpiritualis autem denegatur, pluribus exponitur, atque confirmatur.

IIII

Non praetermittendi ſunt ARTICVLI SMALCALDICI, in quorum *parte tertia, artic. I, de peccato, p. 318*, ſcholaſticorum doctorum de naturalibus hominis, poſt lapſum Adae, quoad ſpiritualia, viribus dogmata grauiter notantur.

V

In FORMVLAE CONCORDIAE *articulo II, Epit. p. 578, ſqq. Declarat. p. 654, ſqq.* de virium humanarum in conuerſionis negotio ſpeciatim agitur ἀδυναμία, hominemque ſuis viribus nihil quidquam ad conuerſionem ſuam conferre, Spirituiue ſancto, eam operanti, cooperari poſſe, contra Synergiſtas, ſolidis rationibus, copioſeque demonſtratur. (*)

(*) De *Synergiſtica*, quae articulo huic occaſionem dedit, controuerſia, inter quoſdam Auguſtanae Confeſſionis theologos, poſt b. LVTHERI obitum, diu multumque agitata, expoſuimus in *prolegomenis, ſect. VII, §. III, p. 84, ſqq.* Nempe quaeſtio fuit, num voluntati hominis, poſt lapſum, quaedam relictae ſint vires, vt in conuerſione cum Spiritu ſancto verboque Dei concurrere poſſit? Erant, qui hoc affirmarent, hominiſque irregeniti voluntati aliquam in conuerſione aſſignarent συνέργειαν, ſeu *cooperationem, ſynergiſtae* inde dicti. Primus erroris huius inter euangelicos auctor extitit PHILIPPVS MELANCHTHON. Is enim, poſtquam in *variatae confeſſionis articulo XVIII* eiuſmodi adhibuerat phraſes, quae ſynergiſmum redolebant, hunc poſtea aperte prodidit, vbi nimirum cum in *locis communibus*, biennio poſt obitum LVTHERI, tertium editis, tum in *examine ordinandorum*, volun-

voluntatem hominis aſſentientem inter conuerſionis cauſas diſertis retulit verbis. PHILIPPVM, magiſtrum ſuum, ſecuti ſunt theologi, *Philippiſtae* dicti, GE. MAIOR, PAVL. EBERVS, et caeteri, praeſertim VICTORINVS STRIGELIVS, acerrimus videlicet hyperaſpiſtes ſynergiſmi, quem vero ambiguis, et flexiloquis inuoluit loquendi modis.

Tribus Formulae Concordiae articulus II, in quo controuerſia de ſynergiſmo, inter theologos A. C. agitata, deciditur, conſtat partibus. In prima, ſtatus eius rite formatur, praemoneturque, (α) de homine, qualis eſt poſt lapſum, ante regenerationem, (β) huiusque libero arbitrio, formaliter ſpectato, voluntatis nimirum, cum intellectu coniunctae, viribus, (γ) et quidem ſpeciatim, ratione obiecti, in ſpiritualibus, hic agi: tum vero, quaeſtionem hanc eſſe, indicatur: an homo, in conuerſione, ad gratiam Dei, per verbum praedicatum oblatam, ſeſe applicare, eam apprehendere, et verbo aſſentiri poſſit. In altera parte, ſincera, quae hominem ad conuerſionem ſuam nullo modo aliquid cooperari poſſe ſtatuit, doctrina proponitur et declaratur; et ſacrarum litterarum teſtimoniis comprobatur, irregeniti hominis intellectum pariter, atque voluntatem in ſpiritualibus nihil quidquam ex ſe valere, nulliſque prorſus circa ea pollere viribus, et vnius adeo ac ſolius Spiritus ſancti opus eſſe hominis conuerſionem; ad hanc autem efficiendam verbo ſacramentiſque eum vti, contra enthuſiaſtas, in tractationis fine demonſtratur. In tertia parte, tam veterum, quam recentiorum, quotquot orthodoxae de libero arbitrio ſententiae repugnant, reiiciuntur et damnantur errores, nonnullarumque notatio additur phraſium, quae cum ſanorum verborum forma non plane conueniunt, vel, ob ambiguitatem, explicatione egent. Quae ad articuli huius perſcriptionis, recognitioniſque hiſtoriam ſpectant, fuſe, copioſeque enarrauit D. IAC. HENR. BALTHASAR, in *hiſtoriae libri Torgauienſis parte III, IV, V, et VI.*

SECTIO

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

Homo, poſt lapſum, ante regenerationem, libero arbitrio, ſeu viribus mentis et voluntatis, in rebus ſpiritualibus, prorſus caret, neque adeo ad conuerſionem ſuam naturalibus viribus quidquam conferre, illamue operanti Spiritui ſancto cooperari poteſt.

Vid. *Aug. Conf. art. XIIX, p. 14, ſq. Apolog. c, VIII, p. 217, ſqq. F. C. art. II, epit. p. 578, ſqq. declar. p. 654, ſqq.*

Expoſitio.

De nomine *liberi arbitrii* antea diximus, notauimuſque, terminum eſſe eccleſiaſticum, non biblicum, quamuis *ἰσοδυναμοῦντες* occurrant, *1 Cor. VII, 37, 2 Cor. IX, 7, Philem. v. 14,* eo autem nomen illud hic accipi ſenſu, vt intellectus aeque, ac voluntatis humanae denotet

tet facultatem, pari ſcilicet vtramque modo per lapſum corruptam. Voluntati quidem proprie libera competit potentia, antecedenter autem et παρασκευαστικῶς ad eam pertinet intellectus, quippe cuius operatio eſt conditio, ſine qua non libertatem ſuam exercere poteſt voluntas. *Subiectum*, de quo theſis noſtra loquitur, eſt homo poſt lapſum, et ante conuerſionem ſpectatus, ſiue irregenitus. Etenim cum homo, ratione liberi ſui arbitrii, vt *Formula Concordiae, p. 578*, & *p. 654*, monet, in quatuor, et quidem valde diuerſis ſtatibus, conſiderandus ſit, in ſtatu videlicet *integritatis*, *corruptionis*, *gratiae* et inſtaurationis, *gloriae* ac perfectionis, ſiquidem pro ſtatuum horum, qui ab aduerſariis perperam confundi ſolent, diuerſitate, diuerſa plane virium humanarum eſt ratio; hic ſpeciatim de homine, in altero, *corruptionis* nimirum, conſtituto ſtatu, huiuſque libero arbitrio, eſt quaeſtio. *Obiectum* intellectus, voluntatiſque facultatum cum ſint vel res actioneſque mere ſpirituales, vel non ſpirituales, ſuperioris, qnae dicuntur, inferioriſue ordinis, non quoad haec, ſed quoad illa obiecta, homini irregenito liberum arbitrium denegatur. Ad non ſpiritualia referuntur, (1) res et actiones *naturales*, ſtricte ſic dictae, quibus naturalis agitur vita; *(2) artificiales; (3) ethicae, politicae et oeconomicae; (4) de Deo, cultuque eius quae natura docet; (5) actiones ſacrae externae*, quae abſque motu ſpiritu-

ali

ali fiunt, et *paedagogicae*, ſeu manuductoriae ad conuerſionem, vocantur, quales ſunt, adire templum, audire conciones, ſacras legere litteras, et caet. Quoad haec igitur libero irregenitus homo gaudet arbitrio, quanquam in his etiam, eligendi boni, efficiendaeque iuſtitiae ciuilis, valde debilis ſit libertas. Vid. *A. C. et Apol. ll. cc.* Spiritualium autem nomine intelliguntur res actioneſque ſacrae internae, quae ex ſola Spiritus ſancti operatione proficiſcuntur, v. c. vera Dei et Seruatoris noſtri agnitio, dolor de peccatis, fides, amor Dei, et rel. Haecque adeo illa ſunt, ad quae homo irregenitus nullas habet vires; ita comparatus, vt et intellectus eius veritatibus, in Verbo Dei reuelatis, aſſentiri, immo illas intelligere, nequeat, et voluntas ipſius ſaluando homini factu neceſſaria haudquaquam appetere, nedum efficere poſſit. Vid. *F. C p. 656, et ſeq.* Hinc, quod ad *conuerſionis* ſpeciatim attinet negotium, per ſe patet, nihil quidquam eum, naturalibus viribus, ad ſui conuerſionem intrinſece inchoandam, perficiendamue, *actiue* conferre poſſe. Enimuero in homine conuertendo non niſi *paſſiua* datur potentia, talis ſcilicet, qua conuerti a Deo poteſt, et a coactione libertas, in eo ſita, vt gratioſae Spiritus ſancti operationi malitioſe repugnare poſſit. Vid. *F. C. p. 662, p. 672, ſqq.*

Confirmatio.

Hominem irregenitum non habere vllas quoad ſpiritualia vires, liberoue prorſus carere arbitrio, Scriptura ſacra multis modis confirmat. Ac primo quidem generatim id docet, vbi irregenitos homines *mortuos* eſſe dicit *in peccatis*, *Eph. II*, 1, 5; *Coloſſ. II*, 13; itemque *ſeruos peccati* eoſdem vocat, *Ioh. VIII*, 34; *Rom. VI*, 17, 20. Nam priori phraſi, a naturaliter mortuo ſimilitudine deſumta, eximium in modum ſignificatur, hominem, ante conuerſionem ſuam, nec vllas edere poſſe operationes ſpirituales, nec vllam habere δύναμιν ad vitam conſequendam ſpiritualem. Eandem in ſententiam irregeniti vocantur *ſerui peccati*, indeque adeo recte LVTHERVS *ſerui arbitrii* de illis vſus eſt appellatione, ſpiritualium videlicet intuitu rerum, quodque in his omni deſtituti ſunt facultate. Speciatim vero etiam irregeniti hominis, tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem, in ſpiritualibus ἀδυναμία clariſſimis Scripturae ſacrae dictis demonſtratur. Etenim, ad intellectum quod attinet, irregeniti homines ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ κ. τ. λ. *obtenebrati mente*, et ἐμφατικωτέρως, abſtracto poſito pro concreto, σκότος, *tenebrae* dicuntur, *Epheſ. IV*, 18. Luculenter in primis ſumma illorum in rebus diuinis coecitas, et ad has percipiendas impotentia naturalis ab apoſtolo deſcribitur,

1 Corinth. II, 14, qui locus etiam propterea cum in *Aug. Conf. art. XIIX*, eiuſque *Apologia*; tum in *Form. Conc. p. 579*, et *p. 657*. praecipue affertur. Ψυχικὸς, apoſtolus ait, ἄνθρωπος, *animalis homo*, qui τῷ πνευματικῷ opponitur, iſque adeo eſt, qui Spiritus ſancti illuminatione caret, homo, in naturali conſtitutus ſtatu, οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ Θεοῦ, *non capit ea, quae ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim ei ſunt, nec intelligere poteſt, quia ſpiritualiter ſunt diiudicanda*. Veram dicti huius ſententiam, praeter caeteros, egregie expoſuit, et vindicauit S. R. DEYLINGIVS *obſeru. ſacr. part. V, c. XXII, §. 10, p. 289. ſqq.* De irregeniti hominis voluntate diſerte itidem Scriptura ſacra teſtatur, a Deo non auerſam eam ſolum, ſed etiam aduerſus Deum ad omne malum conuerſam, et penitus eſſe deprauatam. Huc pertinent dicta, *Gen. VI, 5; VIII, 21; Rom. VIII, 7*, et caetera, quae excitantur in *Formula Conc. p. 660*. Iamque his ipſis etiam teſtimoniis, quibus probatum dedimus, hominem, qualis poſt lapſum eſt, ex ſe, et ſua natura, quoad intellectum pariter, atque voluntatem, omnibus in ſpiritualibus carere viribus, et ad ea, quae his contraria ſunt, totum ferri, conficitur, nihil quidquam eundem ad conuerſionem ſuam, actuſue, in quibus illa conſiſtit, eliciendos naturalibus viribus conferre, et Spiritui ſancto nullo ea in re cooperari poſſe modo. Id quod iis

ami-

amplius ſacrarum litterarum comprobatur dictis, quae hominis converſionem vnius et ſolius Spiritus ſancti opus eſſe affirmant: *Ierem. XXXI, 18; Ezech. XXXVI, 26; Ioh. VI, 44;* et caet. Vid. *F. C. p. 663.*

Errorum confutatio.

Inter eos, qui ſanae de liberi arbitrii, ſeu virium humanarum, poſt lapſum, in ſpiritualibus rebus ἀδυναμία doctrinae aduerſantur, primum locum tenent *Pelagiani*, quippe qui, integro hominem libero arbitrio gaudere, et, ſine gratia Dei, ſolis naturae viribus, actus vere ſpirituales omnes perficere poſſe, ſtatuunt. Etenim peccatum originis negantes illi, grauiſſimum huncce, qui πρώτῳ iſto, de quo praecedenti capite expoſuimus, nititur ψεύδει, de libero arbitrio profitentur errorem. Quibus, quamque variis in proponendo, propugnandoque illo, PELAGIVS vſus fuerit loquendi modis, ſingulari opera oſtendit MART. CHEMNITIVS, *locor. theol. part. I, l. VI, c 8, p. 203.* Cum de peccato originis idem, quod Pelagiani, ſentiant *Sociniani*, eundem etiam hi de libero arbitrio cum illis fouent errorem. Proponitur is in *Catacheſi Racovienſi, capite X,* vbi ſtatim ſub initium, ad quaeſtionem: „annon peccato originis „vitiatum ſit liberum arbitrium?“ in editione prima reſpondetur: „Peccatum originis „nullum prorſus eſt; quare nec liberum arbi-

„trium vitiare potuit.“ Falſiſſimo iſto poſito principio, quod liberum arbitrium originis peccato vitiari non potuerit, ineptiſſima de virium naturalium ad perficiendum ea, quae Deus ab hominibus requirit, ratione ſententia profertur. Quae verae doctrinae opponunt, ex natura voluntatis, vi praeceptorum, et ratione poenae ac reatus, potiſſimum deſumta, profligauit SCHERZERVS, in *Coll. Anti-Socin. diſp. XXXVII, p. 308, ſeqq.* Socinianis addendi ſunt *Arminiani*, de libero arbitrio gemina fere illorum commentis docentes, vt ex ipſorum ſcriptis oſtendit LEONH. RYSSENIVS, in *ſynopſi impurae Theologiae Remonſtrantium*.

Alteram aduerſariorum claſſem conſtituunt *Semi-Pelagiani*, qui vulgo vocantur, et a PROSPERO *Pelagii reliquiae* appellantur, *Maſſilienſes* iidem olim dicti. Originem Semi-Pelagianiſmus ducit a IOHANNE CASSIANO, CPolitano primum diacono, poſtea preſbytero Maſſilienſi, qui peccatum quidem originis, gratiaeque diuinae neceſſitatem, contra PELAGIVM, aſſeruit, nihilo minus tamen fidei et conuerſionis initium libero adſcripſit arbitrio, ſtatuitque, praeuenientem gratiam non ſemper eſſe neceſſariam, ſed gratiam interdum a voluntate praeueniri; viribus naturae, antequam a gratia excitentur, competere poſſe deſiderium fidei et conuerſionis, et huius adeo inchoationem; eoque Deum,

vt

vt gratiae ſuae auxilium largiatur, mouerit. Quam eius ſententiam, in libris *de inſtitutis coenobiorum*, et in *collationibus patrum*, AVGVSTINI oppoſitam doctrinae, praeter ceteros enarrauit GERH. IOH. VOSSIVS, *hiſtoriae Pelagianae libro IV, Operum t VI, p. 682 ſeqq.* Complures CASSIANVS nactus eſt ſectatores, eiuſque dogma, in monaſteria, indeque in ſcholas inuectum, ſcholaſtici doctores bene multi aſſenſione ſua approbarunt, et ore ſcriptisque profeſſi ſunt, nequicquam contradicentibus iis, quibus potior AVGVSTINI erat auctoritas. Semipelagianis igitur iure annumerantur *ſcholaſtici*, quoad magnam partem, doctores, quorum etiam nonnulli ab ipſis Pelagianis prope abfuerunt. Quin etiam in hanc claſſem referendi ſunt, illorum placitis inhaerentes, theologi *pontificii* recentiores.

In *Concilio* quidem *Tridentino*, quae *ſeſſione VI*, de libero arbitrio traduntur, ambigue ſcripta, pluribusque, vt CHEMNITIVS noſter, in *examine conc. Trid P. I loc VII, ſect 5, p 177, ſeqq.* oſtendit, ἀμφιβολίαις, contradictionibusque inuoluta ſunt; id quod, ob ipſorum concilii patrum, de viribus naturae et gratiae, diſſenſum, obortaſque eo nomine inter eos, quas PAVLVS SARPIVS, *hiſt conc. Trid. l. II, p. 228, ſeqq. edit. Lat Francof 1621*, refert, contentiones, factum fuiſſe videtur. Pelagianiſmum vero ſatis ſuperque produnt, quae

cap. I, V, VI, et *can. IV, V*, de libero hominis arbitrio, poſt Adae lapſum, attenuato quidem et inclinato, minime tamen amiſſo et extincto, ac de eiuſdem, a Deo moti et excitati, cooperatione, qua, ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac praeparet, leguntur pronuntiata. Nempe concilii Tridentini de libero arbitrio ſententiae, ex ANDRADII interpretatione, a CHEMNITIO, *l. c. ſect. 2, p. 169, ſq.* declaratae, ſumma haec eſt: „in motibus et actionibus ſpiritualibus, ex „gratia et ex naturalibus liberi arbitrii viri„bus vnam fieri cauſam efficientem, ita vt, „ad inchoandos et efficiendos motus ſpiri„tuales, haec duo ſimul concurrant, gratia „ſcilicet, et vires L. A. naturales, quales ſunt „ex prima noſtra natiuitate." Ad hanc ipſam ſententiam comparata ſunt, quae, Romanae eccleſiae dogmatum promachus, ROB. BELLARMINVS, *controuerſ. de gratia et libero arbitrio. lib. VI*, de hoc doctrinae capite fuſe copioſeque exponit. Specioſa et ad fallendum compoſita ſunt, quae primis ille capitibus profert, ſiquidem in ſpiritualibus nihil prorſus viribus humanis, ſed gratiae Dei in vniuerſum omnia adſcribere videtur. At enimuero diſertae inde hae illius ſunt aſſertiones: „hominem, ante omnem gratiam, „liberum habere arbitrium, non ſolum ad „opera naturalia, et moralia, ſed etiam ad „opera pietatis, et ſupernaturalia; habe-

„re

„re hominem, ante omnem gratiam, po-
„tentiam remotam, et imperfectam, ad opera
„pietatis facienda." Remotam nimirum, quam dicit, et imperfectam, proximae et perfectae opponit potentiae, hancque hominem, ante gratiam, ad opera pietatis non habere, ait. Vid. *lib. VI, cap. 15, p. 394.* Quin etiam heterodoxam de libero arbitrio, in actionibus piis et ſalutaribus, ſententiam BELLARMINVS, *l. c. cap. 10 et ſeqq.* ex diuinis litteris primum, inde ex traditione Patrum, tandemque rationibus annititur probare. Cum ex ſacris litteris vera de libero hominis arbitrio vnice diiudicanda ſit doctrina, fruſtra is pro ſua ſententia tuenda adducit teſtimonia, ex illis deſumta locis, in quibus (1) homines in operibus pietatis dicuntur operarii, et cooperarii Dei; (2) quae imperant, aut ſuadent hominibus opera pietatis, et ipſam etiam conuerſionem ad Deum; (3) quae docent, nos a Deo iuuari in operibus pietatis; (4) quae hominem, a Deo vocatum, poſſe non venire, affirmant; ſiquidem, in prima et tertia claſſe quae poſita ſunt, dicta non de eo, de quo quaeſtio eſt, ſubiecto, homine videlicet irregenito, loquuntur, vltimaeque claſſis dicta ad hominis a coactione ſpectant libertatem, cuius ea eſt ratio, vt gratioſae Spiritus ſancti operationi malitioſe vtique reſiſti queat. Ad diuinas autem quod attinet ad pietatis opera, et ad ipſam eum maxime

xime conuerſionem adhortationes, atque mandata, nec vllum ea praeſidium pontificio praebent errori, falſoque, libero hominem quoad illa arbitrio pollere, inde arguit BELLARMINVS, quod abſonum foret, imperare, aut ſuadere eiuſmodi opera ei, qui non haberet arbitrii libertatem. Etenim quod ad illa, quibus actuum, in quibus ſtantium poenitentia conſiſtit, exercitium mandatur, attinet praecepta, cum ad regenitos ſpectent, qui gratiae viribus gaudent, ἀπροσδιορίστως ea adducuntur; ab illis vero, quibus homines ad Deum ſe conuertere iubentur, praeceptis diuinis ad irregeniti hominis in conuerſionis negotio δύναμιν non minus, ac a mandato Chriſti, quo mortuo Nainitico iuueni dixit: ἐγέρθητι, *Luc VII. 14.* ad huius reſurgendi vires, conſequentia valet. Sunt illa ipſa mandata, adhortationeſque diuinae, efficacia media, per quae Deus conuerſionem in hominibus operatur, hique iiſdem admonentur, vt ne gratioſae Spiritus ſancti operationi malitioſe reſiſtant.

Inſignem in modum Pelagianiſmus in eccleſia Romana, *Ieſuitarum* ope, increuit; quippe quem, tam in controuerſia de auxiliis gratiae cum *Dominicanis*, quam in concertationibus cum *Ianſeniſtis*, omnibus iſti viribus firmare, et contra dictos aduerſarios tueri inſtituerunt. Eorundem denique ſtudio res eo deducta eſt, vt a CLEMENTE XI. R. P. pro-

propoſitiones, quae hominem, ſibi relictum, nec gratiae viribus inſtructum, in ſpiritualibus nihil efficere poſſe, dicunt, cum aliis PASCH. QVESNELLII aſſertionibus, ſolemni conſtitutione, *Vnigenitus* dicta, damnarentur. Legi eam in rem inprimis meretur b. IO. FRANCISCI BVDDEI commentatio hiſtorico theologica *de Pelagianiſmo in eccleſia Romana, per bullam anti-Queſnellianam, a. MDCCXIII a* CLEMENTE XI P. R. *promulgatam, triumphante*, inſerta eiuſdem *Miſcellaneorum ſacr. parti II, p. 1, ſeqq.*

Semi-Pelagianis omnino etiam adiungendi ſunt, quorum error in *Form. Conc. articulo II*, confutatur, *Synergiſtae*, in eo tantum ab illis diuerſi, quod in conuerſionis negotio hominem a gratia ſemper praeueniri, eumque, exiguis poſt lapſum relictis naturae viribus, Spiritui ſancto ſtatuerent cooperari.

Hactenus de iis diximus, qui naturalibus hominis viribus ea tribuunt, quae ipſis nequaquam competunt. Aliud iam producendum eſt ἀντικειμένων genus, illorum ſcilicet, qui omnem voluntati denegant libertatem. Notantur eo nomine in *Formula Concordiae*, *p. 580, et 677*, *Stoici* et *Manichaei*, qui docuerunt, omnia, quae fiunt, neceſſario fieri, et „aliter fieri prorſus non poſſe; et hominem „omnia coactum facere, etiam ea, quae in „rebus externis agat; eumque ad facienda „mala opera et ſcelera cogi.“ Haec vero

etiam pertinent *Dominicani* et *Ianſeniſtae*, qui, Pelagianos impugnando errores, in alterum deflexerunt extremum, et diuinam voluntatis humanae ad actiones omnes praedeterminationem, gratiaeque eam tradere ac propugnare inſtituerunt operationem, per quam omnis homini adimitur reſiſtendi vis, quaque abſolutum aliquod infertur Dei decretum. Cum *Caluinianorum* proprium hoc ſit dogma, illos ipſos in hac ſanae doctrinae aduerſantium claſſe in primis collocandos eſſe, per ſe patet.

THESIS II

Homo regenitus, quoad ſpirituale bonum, liberato gaudet arbitrio, ita vt, per vires gratiae, in regeneratione acceptas, Spiritui ſancto cooperari poſſit, quamuis multa adhuc infirmitas concurrat.

Vid. *Form. Concord. art. II, epit. p. 582, ſq. declarat. p. 674, ſq.*

Expoſitio et confirmatio.

Cum in praecedente theſi de hominis, poſt lapſum et ante conuerſionem ſuam ſpectati, ſiue irregeniti, quoad ſpiritualia, intellectus

lectus voluntatiſque viribus fuerit actum, hac theſi de hominis, in ſtatu gratiae et inſtaurationis conſtituti, ſiue regeniti, agitur viribus, et huic quidem, quoad ſpirituale bonum, arbitrium tribuitur liberatum, quo ea, qua in rebus ſpiritualibus antea prorſus deſtitutus erat, iam ſuo modo praeditus eſt facultate. „Poſtquam enim, quae *F. C. p. 528*, verba ſunt, „Spiritus ſanctus, per verbum et ſacramenta, „conuerſionem et regenerationem in homi„ne operatus eſt, eiuſque voluntatem, ſola „ſua diuina virtute et operatione, immuta„tauit atque renouauit, tunc reuera hominis „noua illa voluntas inſtrumentum eſt et or„ganon Dei, vt ea non modo gratiam appre„hendat, verum etiam in operibus ſequenti„bus Spiritui ſancto cooperetur.“ Atque adeo haec, qua homo regenitus gaudet, libertas, et Spiritui ſancto cooperandi facultas, non a natura eſt, ſed a gratia; iſque tantum ac tamdiu bene operatur, quantum et quamdiu a Deo per Spiritum ſanctum ducitur, regitur, et gubernatur. *F. C. p. 674.* Caeterum illae ipſae bene agendi vires multa cum infirmitate ſunt coniunctae. Nempe, vt *Form. Conc. p. ſq.* docet, „cum in hac vita tantum „primitias Spiritus acceperimus, et regene„ratio nondum ſit abſoluta, ſed ſolummodo „in nobis inchoata, manet perpetua quae„dam lucta inter carnem et ſpiritum etiam „in electis et vere renatis hominibus.“

Quam Formulae Concordiae verbis hactenus expoſuimus, theſis firmiſſima ſacrarum litterarum teſtimonia habet. Etenim, hominem regenitum, quoad ſpirituale bonum, libero gaudere arbitrio, illa Scripturae dicta teſtantur, quae regenitos, viribuſque gratiae a Spiritu ſancto inſtructos, vere liberos praedicant, *Ioh. VIII, 36; Rom. VI. 18*; et ſpiritualia eis attribuunt opera, *Matth. XII, 35; Rom. VIII, 4, ſq. Gal. V, 24, ſq.* quibuſque iidem, vt bonis operibus ſtudeant, in bono perſeuerent, proficiantque, admonentur, *Matth. V, 16; 1 Cor. I, 7; 1 Theſſ. V, 15; 2 Petr. I, 5*; et caet. Per vires gratiae autem, boni quicquid faciunt, illos operari, ex dictis, *Ioh. XV, 5, Phil. I, 6; II, 13*, liquet. Multam denique regenitis, ob remanens in illis peccatum originis, adhaerere infirmitatem, apoſtolus, *Rom. VII, 14, ſqq.* et *Gal. V, 17*, confirmat.

THEO-

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT VI

DE CHRISTO

SECTIO I

HISTORICA

I

Vera eccleſiarum euangelicarum de CHRISTO doctrina in *tertio* AVGVSTANAE CONFESSIONIS proponitur *articulo*, ita vt tria illa, quibus tota Χριστολογία abſoluitur, capita, de Chriſti videlicet *perſona*, ex duabus, diuina et humana, per vnionem hypoſtaticam inſeparabiliter vnitis, conſtante naturis, de *ſtatu* duplici, exinanitionis et exaltationis, ac de *officio*, ſacerdotali maxime et regio, in illo ipſo ſuccincte tradantur (*).

(*) *Tertius Aug. Conf. articulus*, in editionibus vulgo receptis inſcribitur: *de Filio Dei;* apto magis et adaequato inſigniendus titulo: *de Chriſto;* quem ad modum factum id eſt a B. MENZERO, in *exegeſi A. C.* et I. B. CARPZOVIO, in *iſagoge ad libros ſymbolicos;* ſeu, *de* IESV *Chriſto, generis humani redemtore.* In confeſſione iuſto is ordine inſequitur articulum de peccato originis; quod, expoſita grauiſſima naturae humanae, per lapſum protoplaſtorum, corruptione, ſummaque, in quam inde genus

genus humanum incidit, miſeria, conueniens erat, de ſalutis noſtrae agere inſtauratore ac reparatore. Deſumtus eſt ex ſecundo et tertio ſeptendecim articulorum Torgauienſium LVTHERI. Non additam habet antitheſin. Quanquam enim in textus Germanici editione Vitembergenſi, quae anno 1531, in 4. prodiit, aliiſque nonnullis, haec ſubiuncta ſint verba: „*und werden verdambt allerley Ketzereien, ſo dieſem Artickel entgegen ſind*;“ attamen in exemplo authentico, Caeſari CAROLO V oblato, illa non reperiri, contra LAVR. FORERVM confirmant auctores *der nochmahligen Haupt-Vertheidigung des evangeliſchen Augapfels*, *c.* 25, *p.* 514. Conf. CARPZOV. in *Iſag. p.* 178. Num autem, quod iidem auctores, *c.* 65, *p.* 703, aliique plures aiunt, antitheſis a confeſſoribus noſtris eam ob cauſam fuerit omiſſa, quia euangelici in doctrina de Chriſto pontificios illius temporis non habuerint contradicentes, ipſique ab omni haereſeos ſuſpicione fuerint immunes, dubitamus, propterea quod articulo primo, licet nec vllus de eo noſtros inter et pontificios extiterit diſſenſus, nihilo minus tamen addita fuerit antitheſis, contra ea hanc ipſam in compluribus articulis, vbi maximus erat diſſenſus, omiſerint confeſſores: calumniae autem, quibus, ante exhibitam confeſſionem, pontificii euangelicos infamarunt, ad articulum tertium aeque, ac ad primum, ſpectare videantur. Ab his ipſis vero calumniis, praeter alias cauſas, repetenda eſt ratio, quare articulum hunc propoſuerint confeſſores, nempe vt, ſolemni hac, in doctrina de Chriſto, orthodoxiae ſuae declaratione, Romanenſium repellerent criminationes.

Nec inuenerunt pontificiae A. C. confutationis fabricatores, quod in eo notarent. *In tertio articulo*, inquiunt, *nihil eſt, quod offendat, cum tota confeſſio cum ſymbolo apoſtolorum, et cum certa fidei regula conueniat, etc.* Atque adeo non opus habuit MELANCHTHON, vt in C. A. APOLOGIA vberius eundem exponeret, vindicaretue. Vid. *Apol. p.* 59. Quanquam autem cen-

cenſorum modo dictorum ſententiam ſuo etiam iudicio comprobauerint IOH. a DAVENTRIA, et IOH. COCHLAEVS, apud ANDR. FABRICIVM, in *harmonia C. A. p. 38*, quibus ex recentioribus Ieſuitam, IO. DEZ, addit VAL. ALBERTI, *in A. Conf. thetice et apologetice pertractata, p. 174*; tamen FABRICIVS et IOH. HOFFMEISTERVS, *l. c.* non ſine omni animaduerſione articulum hunc dimittendum ſibi eſſe, exiſtimarunt, eoque nomine ex LVTHERI et PHILIPPI ſcriptis dicta quaedam adduxerunt, quae, prout ſcilicet ab eis accipiuntur, et exponuntur, diſſenſum quendam ab illo produnt, idque ſpeciatim etiam FABRICIVS ei obuertit, quod, cum in *Apologia A. C. p. 126*, fidem tantum res praeſentes et futuras reſpicere, doceatur, Confeſſio affirmet, ad fidem pertinere, quod Chriſtus vere ſit paſſus, mortuus, et ſepultus, etc. Quem ad modum autem prius illud abſone, ineptequc noſtrae obiicitur confeſſioni, ita, quod ad alterum attinet, diſtinctione inter fiduciam, de qua loquitur Apologia, et notitiam atque aſſenſum, omnis tollitur ἐναντιοφάνεια. Vid. CARPZOV. in *Iſag. p. 177*, et ALBERTI, *l. c. p. 174*. Defectionis ab Auguſtana Confeſſione, quoad hunc articulum, nos accuſare ſolent Ieſuitae, in primis BELLARMINVS, in *iudicio de libro Conc. controuerſ. t. IV, p. 671*, ideo, quod in *Formula Concordiae* ſtatuatur: humanitati Chriſti vere et realiter communicata eſſe idiomata diuina, ipſamque adeo diuinam maieſtatem. Neque vero nos, hac in re, ab Aug. confeſſione, ſed Ieſuitas, communicationem iſtam, cum Neſtorianis et Sacramentariis, negantes, a priſtina eccleſiae doctrina defeciſſe, contra FORERVM, qui eandem illam repetiit criminationem, demonſtrant ſupra laudati auctores *apologiae pupillae euangelicae, c. 65, ſqq. p. 799, ſqq.* Conf. B. MENZERVS, in *exeg. A. C. p. 70, et p. 95, ſqq.* et V. ALBERTI, *l. c. p. 177, ſqq.*

De integritate textus articuli huius Germanici pariter, atque Latini, nulla eſt quaeſtio. Neque vero etiam in confeſſione, *variata* quae dicitur, articulo huic illata fuit

corru-

corruptela; licet MELANCHTHON in fine pro verbis; *qui regat*, vſque ad: *vim peccati*. ſubſtituerit: *et ſancti-ficatis det vitam aeternam*; et paullo poſt, voci: *mortuos* addiderit: *reſuſcitatos*; hacque ipſa mutatione, iniuriam nobis faciendi A. FABRICIO dederit cauſam.

II

In ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *parte prima*, *p. 303*, b, LVTHERVS veterum eccleſiae ſymbolorum de Chriſto fidei confeſſionem, ſummatim refert; in *ſecundae* autem *partis articulo primo*, *p 304*, ex ſacris litteris, Chriſtum mediatorem noſtrum redemtoremque vnicum eſſe, docet, ita vt ſolo ipſius merito, fide apprehenſo, homo iuſtificetur. *Symboli Apoſtolici* de Chriſto fidei doctrina ab eodem LVTHERO, in vtroque CATECHISMO, et breuius quidem in *minore*, *p 371*, vberius autem in *maiore*, *p. 493*, *et ſeqq.* explicatur.

III

De vnione perſonali duarum naturarum in Chriſto, et, cum hac arctisſimo nexu coniuncta, vtriuſque naturae, diuinae et humanae, communione pariter, atque idiomatum communicatione, curatius agitur in FORMVLAE CONCORDIAE *articulo*, *octauo*, *Epit. p. 605*, *ſqq.* et *ſolidae Declarat. p. 761 ſqq* veraque et orthodoxa de hoc Chriſtologiae capite doctrina declaratur et confirmatur: tum aduer-

aduerſantes ei veterum ac recentiorum errores refelluntur atque damnantur (*).

(*) *Articulo Formulae Concordiae octauo*, qui *de perſona Chriſti* inſcribitur, condendo occaſionem dedit controuerſia, ex illa, quae in praecedente articulo ſeptimo definitur, de reali videlicet corporis et ſanguinis Ieſu Chriſti praeſentia in ſacra coena, exorta. Etenim, cum, ad praeſentiam hancce conuellendam, *Zwingliani* et *Caluiniſtae*, horumque partibus accedentes, *Crypto-Caluiniani*, hoc maxime vterentur argumento, quod corpus Chriſti ſimul in coelo et in terra realiter praeſens eſſe non poſſit, contra ea orthodoxi omnipraeſentiam carnis Chriſti tuerentur, de duarum in perſona Chriſti naturarum, proprietatumque communicatione acriter coeptum eſt diſputari. Agitatae hoc nomine inter theologos Würtembergicos, IOH. BRENTIVM et IAC. ANDREAE, veritatis defenſores, et Helvetios, HENR. BVLLINGERVM, PETR. MARTYREM, alioſue, itemque cum clandeſtinis ſacramentariis, Vitembergenſibus inprimis theologis, controuerſiae hiſtoriam enarrat IOH. MVSAEVS, in *praelect. in epit. F. C. p. 266.* Copioſius eandem, initio facto ab iis, quae ipſum LVTHERVM inter et CAROLOSTADIVM atque ZWINGLIVM ea de re diſputata ſunt, ad tempus vſque conditae F. C., deſcripſit VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der außführlichen hiſtoria motuum zwiſchen den Ev. Lutheriſchen und Reformirten, part. II, lib. 4, c. 9, p. 213. ſqq.* Itaque, cum inter HESHVSIVM etiam et WIGANDVM, de *vſu abſtracti*, num videlicet dici poſſit, humanitatem Chriſti, in abſtracto conſideratam, eſſe omnipotentem, omniſciam, adorandam, acris enata fuiſſet diſceptatio, neceſſe omnino videbatur, vt de naturarum proprietatumque in perſona Chriſti communicatione, ad ſacrarum litterarum normam exacta, doctrinae conſtitueretur forma, quam Aug. Conf. theologi, communi conſenſu, conſtanter ſequerentur.

Idque

Idque adeo in *octauo* hoc *F. C.* factum eſt *articulo*, in quo, ſtatu quaeſtionis expoſito, „an diuina et humana „natura, et vtriuſque proprietates, propter vnionem „perſonalem, realiter, hoc eſt, vere et re ipſa in perſona „Chriſti inuicem communicent, et quouſque communi„catio illa extendatur?" ſincera et orthodoxa de perſona Chriſti proponitur doctrina; ac *primo* quidem docetur, diuinam et humanam naturam in Chriſto *perſonaliter*, hoc eſt, ita eſſe vnitas, vt *vnam* conſtituant perſonam; hincque cum *Neſtorianorum*, duas diuellentium naturas, tum *Eutychianorum*, has ipſas in vnam conuertentium naturam, remouentur errores, ſpeciatimque aduerſus alterum illum errorem, oſtenditur, vtramque naturam ſuas retinere proprietates eſſentiales. *Deinde* perſonalis vnio, cum intima *naturarum* coniuncta *communione*, plenius deſcribitur, atque declaratur; fundataeque in hac propoſitiones perſonales enarrantur, atque, ex hoc ipſo fundamento, b. virginem Mariam recte dici θεοτόκον, affirmatur. *Tertio*, quae ex communione naturarum profluit, *idiomatum communicatio*, in tria diſtincta genera, ſingulari ſtudio, in *ſolida declaratione*, *p.* 770, *ſqq.* explicatur, ac primum adeo de illo agitur genere, in quo propria naturarum de Chriſto, ſiue ab alterutra, ſiue ab vtraque natura denominato, praedicantur, eaſque praedicationes reales, nec per Zwinglianam ἀλλοίωσιν, a LVTHERO exploſam, eiectamque, exponendas eſſe, demonſtratur. Primo illi generi id ſubiungitur, in quo operationes, ad officium Chriſti mediatorium ſpectantes, de Chriſto ita enuntiantur, vt vtraque natura ad eas concurrere intelligatur. Sequitur tertium genus, ad quod illae referuntur praedicationes, quae de diuina maieſtate, humanae Chriſti naturae communicata, loquuntur, et ea omnia, quae ὁ Λόγος per eſſentiam habet, aſſumtam carnem per vnionis gratiam habere, docent. Hunc nimirum, quoad duo poſteriora communicationis idiomatum genera, ordinem inſtituere placuit Formulae Concordiae conditoribus, vt, quod alias vltimo loco

tractari,

tractari, et genus *tertium* dici ſolet, ſecundo, illud autem, quod *ſecundum* vocatur, vltimo propoſuerint loco. Non aliam autem ob cauſam id factum ab eis fuiſſe, videtur, quam quod genus communicationis ἀυχημάτων, humanae Chriſti naturae factae, eo tempore maxime fuerit controuerſum, hincque, prae altero illo τῶν ἀποτελεσμάτων, operoſa indiguerit explicatione, et contra Caluinianos ſolide fuerit comprobandum. Nihil igitur impedit, quo minus, in enarrandis communicationis idiomatum generibus, is, qui hodie vſu fere receptus eſt, quique rei naturae magis conuenit, ſeruetur ordo.

Maieſtas autem diuina cum humanae Chriſti vindicatur naturae, illud etiam monetur, in primo quidem τοῦ Λόγου σαρκώσεως momento, aſſumtae carni communicatam eam, et, propter vnionem perſonalem, perpetuo durantem, illi ſemper manſiſſe coniunctam; plenario tamen et inceſſante diuinae maieſtatis, carni ſuae communicatae, vſu, per *exinanitionem* ſuam, ſeſe abdicaſſe Chriſtum, illumque, per *exaltationem* ſuam, ſuſcepiſſe. Vid. *epit. p. 608, n. XI, et declar. p. 767.* Sicque adeo in libera, eaque vera et reali, plenarii maieſtatis vſus abdicatione, non in occulto dominii in vniuerſum hocce, eccleſiamque vſu, formalis exinanitionis Chriſti conſtituitur ratio. Quocum non pugnat, quod, *p. 779,* dicitur: „humanae naturae maieſtatem, in ſtatu humiliationis, maiore ex parte „occultatam et diſſimulatam fuiſſe, etc. gratiſque ad haec verba prouocant diſſentientes. Etenim de ipſius, carni Chriſti communicatae, maieſtatis verba haec loquuntur occultatione, per hoc ipſum videlicet facta, quod, in ſtatu exinanitionis ſuae, non plene inceſſanterque hanc Chriſtus vſurpauerit maieſtatem.

In antitheſi, articulo huic ſubiuncta, repudiantur atque damnantur, ſincerae fidei noſtrae chriſtianae de perſona Chriſti repugnantes, errores, tum veterum haereticorum, nominatim NESTORII, EVTYCHIS, ARII, MARCIONIS, tum illi, quos *Zwingliani* et *Crypto-Caluiniani*, vel ipſi propugnarunt, vel orthodoxis falſo attribuerunt.

IIII

In eadem FORMVLA CONCORDIAE, *articulo nono*, de deſcenſu Chriſti ad inferos agitur, et b. LVTHERI de illo ſententia, eiuſdemque expoſitio ſummatim refertur, approbatur, atque commendatur. (*)

(*) De deſcenſu Chriſti ad inferos quare ſingulari articulo agere inſtituerint, ſub initium *Epit. p. 613*, indicant F. C. auctores. Cauſam nimirum dedit diſceptatio ſuper hoc articulo inter theologos quoſdam, Aug. Confeſſioni addictos. Diſputatum fuit tum de tempore, tum de ſubiecto, tum de modo deſcenſus illius; numque is ad exinanitionis, an ad exaltationis ſtatum ſit referendus. Graues inprimis inter IOH. AEPINVM, celebrem doctorem Theologum, primumque Hamburgenſium Superintendentem, et collegas ipſius exortae ſunt lites, poſteaquam ille, ſcriptis publicis, deſcenſum illum de doloribus infernalibus, quos anima Chriſti, poſt mortem, ſuſtinuerit, expoſuit, eundemque adeo ad exinanitionis retulit ſtatum. Vid. *prolegom. ſect. VII*, § *X*, *p. 94*. Atque hanc ipſam controuerſiam, AEPINVM inter et collegas quoſdam agitatam, F. C. auctores, *l. c.* indigitarunt; ita tamen, vt ad illos etiam, quos eandem cum AEPINO ſententiam ſouiſſe conſtat, quiue deſcenſus Chriſti ad inferos metaphoricam admiſerunt explicationem, reſpexiſſe, videantur. Iidem vero etiam, ſub „initium *declarationis*, *p. 788*, non a recentioribus quibuſ„dam tantum, ſed et olim ab *orthodoxis* veteris eccleſiae „doctoribus hunc fidei articulum non eodem prorſus „modo explicatum eſſe, profitentur.

Diuerſas Patrum de illo ſententias, expoſitioneſque, per priora duodecim poſt C. N. ſecula eundo, recenſuit, atque expendit I. B. CARPZOVIVS, in diſp. *de deſcenſu Chriſti ad inferos, ex Epheſ. IV, 9, 10; diſpp. academic. p. 680, ſqq.* Nec minor inter eos, qui ab euangelica

doctrina

doctrina diſtant, de hoc articulo eſt diſſenſio. Ita, quod ad Reformatos ſpeciatim attinet, licet ad ſtatum exinanitionis deſcenſum Chriſti ad inferos referant plerique omnes, alii tamen de toto exinanitionis ſtatu, alii de ſepultura, alii de morte ac ſepultura ſimul, de ſummis alii, quos Chriſtus, vel ante, vel poſt mortem ſuam, ſuſtinuerit, doloribus, alii aliter eum exponunt. Vid. CARPZOVIVS, *l. c. p. 695*. Conf. THOM. ITTIGIVS, in *hiſt. eccl. ſec. I ſelectis capp. c. III, ſect. 1, p. 101, ſqq.* vbi varias eorundem, aliorumque de vexatiſſimo hoc ſymboli apoſtolici articulo opiniones commemorat pariter, atque refellit. Sed et, poſt conditam F. C., noſtratium nonnulli a tradita in ea de illo ipſo doctrina diſcedere, integrum ſibi eſſe, duxerunt; et quanquam hancce, quoad rem ipſam, caeteri ſequantur omnes, tamen, quoad circumſtantias quaſdam, probandique modum, aliquis inter hos ipſos etiam eſt diſſenſus.

Enarrata occaſione, vnanimi conſenſu F. C. auctores *conſulunt*, vt quam ſimpliciſſime hic articulus credatur, et doceatur, prout eum pie admodum explicuerit b. LVTHERVS; idque in concione, Torgauiae, anno 1533, coram Principe Electore Saxoniae habita, et eodem anno, vna cum caeteris, quibus alterum ſymboli apoſtolici articulum tum temporis explanauit, concionibus Wittembergae edita, indeque operum ipſius tomis Germanicis inſerta In illa enim concione LVTHERVS, mutata, quam olim in enarratione *Pſalmi XVI* propoſuerat, ſententia, de deſcenſu Chriſti ad inferos ita expoſuit, vt ad exaltationis ſtatum illum vtique pertinere ſtatuerit. Doctrina igitur, de eo ſeruanda, in *Declar p. 788*, his ſummatim refertur verbis: „totam perſonam, Deum et hominem, poſt ſepulturam, ad inferos deſcendiſſe, Satanam deuiciſſe, poteſtatem inferorum euertiſſe, et diabolo omnem vim et potentiam eripuiſſe.“ Conf. *Epit. p. 613*. Ἀσύνθετον, quod in his verbis occurrit, vbi deuictio Satanae poteſtatiſque inferorum euerſio, quam paſſioni mortique Chriſti ſacrae attribuunt litterae, ad de-

 ſcenſum

ſcenſum Chriſti ad inferos, tanquam finem eius, referri videtur, facili enodatur negotio, ſi, quod hac de re in F. C. dicitur, non de actu ipſo, ſed de illius declaratione, qua nimirum Chriſtus ſe ſe, vt victorem inferorum, malignis ſpiritibus manifeſtauit, accipiatur.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

IESVS Chriſtus eſt Filius Dei vnigenitus, ex eſſentia Patris ab aeterno genitus, ac verus adeo Deus.

Vid. *tria Symbola, Apoſt. Nic. et Athanaſianum; Aug. Conf. art. III, p, 10; Artic. Smalcald. P. I, p. 303; Catech. min. p. 371; mai. p. 493.*

Confirmatio.

Theſin hanc rite confirmaturi, id ſupponimus, quod, *capite II*, ex inſtituto demonſtrauimus, certumque adeo et exploratum habemus, in vnitate eſſentiae diuinae tres eſſe perſonas, et ſecundam quidem, a charactere ſuo perſonali, *Filium Dei* dici, genitum videlicet ex eſſentia Patris ab aeterno. Iam igitur, Dominum et Seruatorem noſtrum, Ieſum Chriſtum, huncce, Patri ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, Dei eſſe filium, firmiſſimis

ſacra-

ſacrarum litterarum nititur fundamentis. Illuſtri, praeter caetera, luculentiſſimoque id teſtimonio, in principio euangelii ſui, confirmat IOHANNES, vbi Ieſum Chriſtum, vt Λόγον σαρκωθέντα, noſtrae ſiſtit contemplationi. Etenim τὸν Λόγον, quem, *commate 14*, carnem factum eſſe, hoc eſt, naturam humanam aſſumſiſſe, ait, *commate 1*, ita deſcribit, vt, tribus ſigillatim praedicatis, quemadmodum CHRYSOSTOMVS, *homil. IV in Eu.* IOH. *Opp. ed. B. de* MONTFAVCON, *t. VIII, p. 27*, egregie notat, (α) τὸ ἀΐδιον, (β) τὸ συναΐδιον καὶ ἐνυπόστατον, (γ) τὸ ἴσον τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, de illo ipſo affirmet. Sicque adeo τοῦ Λόγου nomine, non a PLATONE, vel PHILONE IVDAEO, quae falſa Neo-Arianorum maxime, in hoc videlicet εὑρήματι erroris ſui de Filio Dei, Patri non ὁμοουσίῳ, praeſidium ponentium, eſt ſententia, neque ex Targumim, ſed ex Vet. Teſt. oraculis, in primis *Pſalm. XXXIII, 6*, repetendo, et perſonalis ſecundae Deitatis perſonae characteris ſignificationem inuoluente, eſſentialem Dei filium IOHANNES hic pariter, atque *prioris epiſtolae cap. I, 1, et V, 7*, deſignat. Hinc etiam ipſe, quem τὸν Λόγον modo dixerat, mox diſertis verbis τὸν μονογενῆ παρὰ Πατρὸς, *v. 14*, et τὸν μονογενῆ Θεοῦ υἱὸν, τὸν ὄντα εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρὸς, *v. 18*, appellat. Cum euidentiſſimum de ſumma aeternaque Ieſu Chriſti, τοῦ Λόγου σαρκωθέντος, deitate Iohanneum hoc ſit teſtimonium,

 ineptiſ-

ineptiſſimas Antitrinitarii, praeſertim Sociniani, quibus manifeſtum illius ſenſum peruerterent, confinxerunt interpretationes. Vid. *Catech. Racou. Sect IV, c. 1, p. 28, ſq. et p 53. ſq.* Nec ſatis habentes, ſi verborum claritatem falſiſſimis expoſitionibus ſuis obſcurare anniterentur, ipſum etiam textum, nefario auſu, nonnulli deprauare inſtituerunt. Ita verba vltima, v 1, Θεὸς ἦν ὁ λόγος, corrigenda, et pro iis: Θεοῦ ἦν ὁ λόγος. legendum eſſe, ſtatuit MART. CZECHOVICIVS, in *explicatione primi capitis Eu. Iohannis*; hancque lectionem, quae Graecorum codicum et verſionum omnium exploditur conſenſu, deteſtabili temeritate, defendendam ſuſcepit L. M. ARTEMONIVS, vero nomine, SAM. CRELLIVS, in libro, cui titulum fecit: *Initium Euangelii* S. IOANNIS *reſtitutum et illuſtratum.*

Iohanneo teſtimonio, praeter locum parallelum, *1 Tim. III, 16*, cum maxime addendum eſt dictum, *Rom IX, 5*, quo, IESVM Chriſtum, quoad humanam naturam, ex Iudaica ortum gente, Apoſtolus τὸν ὄντα dicit ἐπὶ πάντα Θεὸν, εὐλογητὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. Conf. de his dictis commentationes noſtrae *natalitiae*, quarum altera, *an. MDCCXXXII*, publice propoſita, locum *Rom. IX, 5*, altera, *anno MDCCXLVII*, edita, locum *1 Tim. III, 16*, a Socinianorum vindicauimus corruptelis. Vberius autem vera ſummaque I. C. Deitas comprobatur argumentis, quae, in quatuor diſtincta claſſes,

ire-

ὀνομαστικά, ἰδιωματικά, ἐνεργητικά, λατρευτικὰ dicuntur; firmiſſimeque colligitur, IESVM Chriſtum, filium Dei, eiuſdem cum Patre et Spiritu S. eſſentiae, ac verum adeo eſſe Deum, quia et nomina Dei propria, et attributa eſſentialia, et opera vere diuina, et cultus religioſus, quo ſolus honorandus eſt Deus, in ſacris litteris ipſi attribuuntur.

Ἀντιθέσεως notatio.

Aduerſantur theſi huic *antitrinitarii*, quos, *capite II*, nominauimus, omnes, quippe qui, SS. Trinitatis myſterium negantes, eo ipſo etiam veram I. C. deitatem negant. Quamuis enim, ad *Neo-Photinianos* et *Arianos* quod attinet, hi, ne clariſſimis Scripturae S. dictis contradicere videantur, IESVM Chriſtum pro filio Dei agnoſcant, tamen naturalem Dei filium, ex eſſentia Patris ab aeterno genitum, eum eſſe, inficiantur. Et *Neo-Photiniani* quidem, non, niſi humanam Chriſto tribuentes naturam, et pro ψιλῷ ἀνθρώπῳ ipſum habentes, in *catech. Racou. l. c. p. 63*, Chriſtum vnigenitum, ſeu vnicum Dei filium, quin et abſolute filium, ideo appellari, dicunt, „quod inter omnes Dei filios et „praecipuus ſit, et Deo chariſſimus; quippe „qui ſolus a Deo per Spiritum S. ſit genitus, „ſolus ab illo ſanctificatus, et ad Chriſti mu„nus in mundum miſſus, ſolus adhuc a Deo

„a mortuis ad immortalitatem excitatus, ſo„lus ab illo omnium haeres, et coeleſtis re„gni compos effectus.“ Atque ita Sociniani ad vnum omnes Filii Dei nomen, Seruatori noſtro datum, ex υἱοθεσίας iure repetunt, et pro filio Dei *adoptiuo* ipſum habent. *Ariani* autem, ex ſua de perſonarum diuinarum inaequalitate hypotheſi, Chriſtum, quoad eſſentiam, Patri ἀνόμοιον, vel ſaltem ὁμοιούσιον, Dei filium eſſe, ſtatuunt. Argumenta, quibus veram, aeternamque Chriſti deitatem dicti eius impugnare ſolent hoſtes, petita ſunt cum ex ratione, cui abſonum eſſe putant, eſſentiae diuinae vnitatem plures admittere perſonas, tum ex iis ſacrarum litterarum dictis, quibus Deus Pater vnus et ſolus verus eſſe dicitur Deus. Vberiori argumentorum iſtorum enarratione pariter, atque eorundem confutatione, ne actum agamus, hic ſuperſedemus. Profligauimus illa ipſa, et ſacrae Scripturae, quibus Sociniani abutuntur, dicta a ψευδερμηνείᾳ eorum vindicauimus, itemque Neo-Arianorum, quod, pro errore ſuo tuendo, a particula διὰ, de Filio Dei vſurpata, deſumunt, argumentum exploſimus, *inſtitutionum* noſtrarum *capite ſecundo, p. 163. ſqq.* et *p. 176.*

THESIS II

IESVS Chriſtus, Filius Dei, verus etiam eſt homo, ex ſubſtantia B. Mariae virginis in ſeculo natus.

Vid. *Symbola, et libri Symbolici, locis ſub th. I citatis.*

Expoſitio.

O Λόγος, ſeu, Filius Dei ita *caro*, id eſt, homo factus eſt, vt ex ſubſtantia B. Mariae virginis veram, noſtrae videlicet ὁμοούσιον, aſſumſerit humanam naturam. Quanquam enim, modo ſupernaturali, ſine virili opera, per τὴν ἐπέλευσιν τοῦ Πνεύματος ἁγίου, a pura et illibata virgine conceptus eſt, extraordinaria tamen haec, quae mediatori noſtro conueniebat, conceptio, humanae, quam aſſumſit, naturae non derogat veritatem. Etenim per ἐπέλευσιν τοῦ Πνεύματος ἁγίου, *Luc. I. 35.* nihil aliud denotatur, quam Spiritum ſanctum, cui, tanquam cauſae efficienti, κατ᾽ ἰδιοποίησιν, humanae Chriſti naturae tribuitur productio, hanc ipſam, diuina ſua virtute, in vtero virginali formaſſe. Atque hoc ſenſu, in *Symbolo Nicaeno-CPolitano*, filius Dei dicitur σαρκωθεὶς ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, *incarnatus de Spiritu ſancto, ex Maria virgine*, nempe vt τὸ ἐκ Πνεύματος ἁγίου, eodem, quo

Matth I, 18, 20, modo, non σπερματικῶς, ſed δημιουργικῶς, ſit accipiendum. Diſſimilitudo igitur ortus noſtri et Chriſti hominis, ὁσίου, ἀκάκου, ἀμιάντου, κεχωρισμένου ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *Hebr. VII, 26*, de qua ſingulari *diſſertatione*, *Vitembergae*, *a. 1690*, expoſuit MICH. WALTHERVS, nequaquam diſſimilem noſtrae, quoad ſubſtantiam, humanam infert Chriſti naturam; quemadmodum nec indiuiduales huius, in ſe ſpectatae, proprietates, cum maxime carnis Chriſti ἀνυποστασία, humanae naturae eſſentiam euertunt. Veram itaque ὁ Λόγος ex ſubſtantia Mariae virginis aſſumſit humanam naturam, eſtque Chriſtus, qua homo, nobis ὁμοούσιος; non eo ſenſu, quo, ſecundum diuinam naturam, Patri eſt ὁμοούσιος, hoc eſt, eiuſdem numero cum Patre eſſentiae; cuiuſmodi in humanis non datur ὁμοουσία; ſed, quatenus vox illa de eo vſurpatur, qui eiuſdem cum altero, quoad ſpeciem, eſt eſſentiae, nobis ὁμοούσιος eſſe, dicitur Chriſtus; ita vt, quae in noſtra inuoluuntur eſſentia, corpus ſcilicet organicum et anima intelligens, in humana quoque Chriſti natura, quoad ſpeciem, inuolui, intelligantur. Hinc etiam, in *Symbolo Athanaſiano*, „Ieſus Chriſtus perfectus eſſe dicitur „homo, ex anima rationali et humana carne „ſubſiſtens.“

Confir-

Confirmatio.

IESVM Chriſtum verum eſſe hominem, probatur, (1) iis S. S. dictis, quae τὸν Λόγον hominem factum, et filium Dei, vt hominum infantes, conſimiliter carnis et ſanguinis participem factum eſſe, teſtantur; *Ioh. I, 14; Hebr. II, 14, 16*: (2) ex eo, quod conceptus, natuſque eſt ex B. Maria virgine; *Matth. I, 18, ſqq. Luc. I, 31 ſqq. II, 6:* (3) ex genealogia ipſius humana, quam Matthaeus, *c. I*, et Lucas, *c. III*, referunt; add. *Rom. IX, 5; Hebr. VII, 14:* (4) ex nominibus, quibus vt verus homo deſignatur; *Gen. III, 15, etc.* eo in primis, quo ipſe multoties vtitur, dum *filium hominis* ſeſe appellat; add. *Rom. V, 15; 1 Cor. XV, 21; 1 Tim. II. 5*: (5) ex partibus hominis, quas habuit, eſſentialibus, corpore videlicet, et anima, cuius diſerta fit mentio *Matth. XXVI 38; XXVII, 50; Luc. XXIII, 46:* (6) ex affectionibus denique, actionibus et paſſionibus, verum hominem arguentibus, quae in hiſtoria euangelica de Chriſto memorantur; conf. *Hebr. IV, 15*. Accedit, (7) ipſam redemtionis noſtrae rationem poſtulaſſe. vt Filius Dei, tanquam mediator et redemtor noſter, veram, eamque integram, aſſumeret naturam humanam, veruſque adeo et integer fieret homo, *1 Tim. II, 5*. Huc GREGORII NAZIANZENI pertinet dictum, a tota antiquitate, teſte CHEMNITIO, *de duabus nat.*

in

in C. cap. III, p. 15, receptum: τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον.

Errorum notatio.

Humanae Chriſti naturae veritas, et cum noſtra ὁμοουσία multos olim hodieque nacta eſt ἀντιλέγοντας, qui diuerſis eam euertere conati ſunt modis. Primum hos inter locum tenent, qui Chriſtum δοκήσει, *putatiue*, hominem fuiſſe, nec verum, ſed imaginarium corpus, Φάντασμα, ſeu ſpeciem corporis humani, aſſumſiſſe docuerunt, δοκηταὶ inde, et Φαντασιασταὶ dicti. Eo numero ex priſcis haereticis fuerunt *Saturniniani*, *Cerdoniani*, *Marcionitae*, aliique plures. Ineptiſſime errori huic praeſidium quaeſitum eſt in locis, *Rom. VIII, 3*, et *Phil. II, 7*; ſiquidem ὁμοίωμα, in priori loco, ad τῆς ἁμαρτίας carni adiectam pertinet determinationem; in altero autem de ſimilitudine dicitur, qua Chriſtus, quoad humanam naturam, eiuſque ſpeciatim infirmitates, aliis hominibus ſimilis fuit.

Sequuntur, qui Chriſto corpus ἑτερούσιον, coeleſte nimirum, affinxerunt, quod filius Dei ſecum attulerit, quodque per Mariam, tanquam per canalem, nihil de ſubſtantia eius aſſumendo, tranſmeauerit. Haereſis haec fuit *Valentinianorum*, quam *Anabaptiſtae*, qui eo nomine in *Formula Conc. p. 623, et 828*, notantur, et *fanatici* renouarunt. Perperam

ram ab his deſcenſus Chriſti de coelis, *Ioh. III, 31; VIII, 23; Eph. IV, 9;* et quod Chriſtus Κύριος ἐξ οὐρανοῦ dicitur *1 Cor XV, 47*, ad carnem Chriſti coeleſtem detorquetur. Ad alteram hanc claſſem quodammodo etiam referendi ſunt, qui duplicem Chriſto attribuerunt carnem, coeleſtem et terrenam, *Weigelius, Quackeri*, et *myſterii primogeniti omnium creaturarum* architecti: tum veteres quidam haeretici, qui, HIERONYMO teſte, Chriſtum, quoad humanam naturam, ex ſubſtantia Spiritus S. genitum, ac proinde Spiritum S. patrem Chriſti dicendum eſſe, ſtatuerunt. Abſonam hanc ſententiam, ex παρερμηνείᾳ particulae ἐκ, *Matth. I, 18, 20*, enatam, ſolide refellit FR. SPANHEMIVS, *Dub. Euang. P. I, p. 253, ſqq.*

Tertio loco nominandi ſunt, qui, corpus quidem humanum, ſed ἄψυχον, *ſine anima*, Chriſtum aſſumſiſſe, tradiderunt. ARIVS et EVNOMIVS primi eſſe feruntur dogmatis huius auctores; quod reformaturus APOLLINARIS, Laodicenus praeſul, allata in medium Platonica hominis in tres partes eſſentiales, σῶμα, ψυχὴν νοῦν, *corpus, animam, mentem*, diuiſione, Filium Dei corpus et animam, non autem mentem aſſumſiſſe, ſtatuit. Apollinariſticum huncce, cum auctore fere ſuo extinctum, errorem, tanquam nouum εὕρημα, in ſcenam denuo produxit, miriſque artibus infucauit celebris ille in Anglia Neo-

Aria-

Arianus, GVIL. WHISTONVS. Contra eum vid. *Commentatio* noſtra *natalitia*, *anno MDCCXVII*, publice propoſita, in qua, non ſolum inane prorſus eſſe, quod in ſacris litteris inueniſſe ſibi viſus eſt WHISTONVS, Platonicae illius diuiſionis praeſidium, oſtendimus, ſed etiam integram vtique, corpore videlicet et anima rationali conſtantem, humanam naturam τὸν Λόγον cum diuina ſua vniuiſſe natura, demonſtrauimus. Fruſtra obuertuntur S. S. dicta, in quibus Filii Dei ἐνανθρώπησις per aſſumtionem *carnis* deſcribitur, ſiquidem, vt recte notat ATHANASIVS, *Or. III c Arianos*, *Opp. T. I, p.* 580, ἡ γραφὴ ἔθος ἔχει, λέγειν σάρκα τὸν ἄνθρωπον: id quod abunde confirmant loci: *Gen VI, 12 ſ. Ieſ XL, 5; Ioel. III, 1, coll. Act. II, 17; Matth XXIV, 22; Ioh. XVII, 2; Rom. III, 20; 1 Cor I, 19.* etc.

Vt alia aliorum, ad humanae Chriſti naturae veritatem labefactandam comparata, taceamus commenta, huc etiam pertinent, qui animam Chriſti ante, quam filius Dei in carne manifeſtaretur, in coelo extitiſſe, neque adeo ex B. Maria virgine illam eum accepiſſe, aiunt. Sententiam hanc, magnam cum Arianiſmo habentem ſimilitudinem, noſtra aetate, doctiſſimi quidam Angli, ED. FOWLERVS, ROB. FLEMINGIVS, THOM. BENNET, proferre, ac defendere inſtituerunt. Praecipue autem in coloranda ea, et ad ipſum conformanda Arianiſmum, operam poſuit

aucto

auctor anonymus diſſertationis theologicae et criticae, a. 1739, Gallico ſermone euulgatae, in qua is, vt titulus habet, *variis SS. dictis probare conatur, animam Ieſu Chriſti in coelo extitiſſe ens intelligens, purum atque glorioſum, ante quam cum corpore humano in vtero beatae virginis Mariae coniungeretur.* Artes illius ex inſtituto deteximus, ſacrarumque litterarum, quibus abutitur, dicta a corruptelii eius vindicauimus, in duabus *commentationibus*, *natalitia* altera, *anno MDCCXL*, *paſchali* altera, anno MDCCXLI, publicatis.

THESIS III

Filius Dei, per incarnationem, humanam naturam in perſonae ſuae vnitatem aſſumſit, ita vt Ieſus Chriſtus iam in vna perſona ſimul verus ſit Deus, et verus homo.

Vid. Symb. Athanaſ. p. 4; Aug. Conf. art. III; Form. Conc. art. VI, Epit. p. 606, ſqq. Declar. p. 762, ſqq.

Expoſitio.

Duo hac theſi continentur, ſigillatim conſideranda. Alterum eſt *vnitio*, qua ὁ λόγος, humanam aſſumendo naturam, cum diuina ſua eam vniuit natura. Alterum, *vnio* vtriuſque naturae, diuinae et humanae, in Chri-

Chriſto *perſonalis*. Differunt enim vnitio et vnio, vt actus et ſtatus, vt antecedens et conſequens. Hinc etiam in *Aug. Confeſſ. art. III*, vnitio primum deſignatur, cùm *Filius Dei humanam naturam aſſumſiſſe* dicitur *in vtero B. M V*, nempe, quod in *F. C. p. 762*, additur, in vnitatem ſuae perſonae; indeque conſequens illius, ſeu ſtatus perſonae filii Dei incarnati, qui vnio vocatur perſonalis, his ſignificatur verbis: „*vt ſint duae naturae, di-„uina et humana, in vnitate perſonae inſepara-„biliter coniunctae, vnus Chriſtus, vere Deus, „et verè homo.*“ Vnitio igitur, formali ſuo conceptu, actio eſt tranſiens, qua Filius Dei humanam naturam, propria ὑποϛάσει carentem, in ſuae ὑποϛάσεως ſuſcepit vnitatem. Vnio autem perſonalis perpetuam duarum naturarum in vna τοῦ Λόγου ὑποϛάσει ſubſiſtentiam notat, ſeu, in eo conſiſtit, quod diuina Filii Dei natura ita ſecum vnitam habet, ac retinet humanam naturam, vt cum ea vnum conſtituat ὑφιϛάμενον, quod et verus Deus, et verus eſt homo. *Vnionis* vocabulum de duabus intime coniunctis in Chriſto naturis primus vſurpauit IVSTINVS Martyr, hancque naturarum coniunctionem ἄκραν ἕνωσιν vocauit; teſte MART. CHEMNITIO, in praeſtantiſſimo libro *de duabus naturis in Chriſto, cap IX. p m. 45*. Poſtea, eodem notante, orthodoxi eccleſiae doctores, clarioris ſignificantiae cauſa, ἕνωσιν ὑποϛατικὴν et

καθ᾽

καθ' ὑπόςασιν, *vnionem perſonalem*, eam appellarunt. Patrum locos, in quibus appellatio haec occurrit, exhibet I. C. SVICERVS, in *Theſ. Eccl. ſub v.* ἕνωσις, et in *Expoſit. Symb. Nicaeno-CP. c. XI. p. 136, ſq.* *Perſonalis* itaque haec dicitur vnio ideo, quod intra vnam eandemque numero ὑπόςασιν et perſonalitatem, ſeu in perſonae vnitate, duae vnitae ſint naturae, quodque hae ipſae, in hypoſtaſi τοῦ λόγου coniunctae, naturae vnam conſtituant perſonam σύνθετον quae eſt Chriſtus θεάνθρωπος. Quem ad modum autem duas in Chriſto naturas, non ſolum ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίςως, *indiuiſe et inſeparabiliter*, contra NESTORIVM, ſed etiam ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, *inconfuſe et incommutabiliter*, vnitas eſſe, contra EVTYCHEN definiuerunt Patres Synodi Chalcedonenſis: (vid. acta Concilii Chalcedon. *t. IV concilior. edit* PH. LABBEI, *p. 567, et t. II, edit* IO. HARDVINI, *p. 456;*) ita nos etiam, in vnitate perſonae Chriſti inſeparabiliter quidem coniunctas illas, nequaquam tamen in vnam ſubſtantiam commixtas, nec vnam in alteram mutatam eſſe, ſed vtramque naturam eſſentiales ſuas retinere proprietates, docemus ac profitemur. Vid. *F. C. p. 606, 610, et p. 762, ſq.* Quo modo hypoſtatica haec duarum naturarum in Chriſto vnio, ſummis omnino annumeranda myſteriis, ab omnibus aliis vnionis differat modis, pluribus oſtendit laudatus CHEMNITIVS, *l. c. cap. VII, p. 37, ſqq.*

Confirmatio.

Vnitionem, qua Filius Dei humanam naturam, a Spiritu ſancto, ex B. Mariae virginis ſubſtantia, modo ſupernaturali, productam, cum diuina ſua, dicto modo, vniuit natura, ſacrarum litterarum de incarnatione ipſius dicta prorſus confirmant. Primum in his locum tenet dictum, *Ioh. I, 14:* ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο: in quo cum extrema vnitionis deſignantur, quae ſunt ὁ Λόγος, id eſt, diuina natura, Λόγου ὑποςάσει determinata, et σὰρξ, id eſt, tota humana natura ἀνυπόςατος, tum formale vnitionis per ἐγένετο exprimitur. Hoc ipſo autem nihil aliud indicatur, quam quod filius Dei in hypoſtaſin ſuam aſſumſerit humanam naturam, cum nec per conuerſionem, commutationemue, nec alio quouis modo, ὁ Λόγος caro fieri potuerit; hincque de aſſumtione humanae naturae in ſubſiſtentiam diuinae naturae incarnatio eius neceſſario ſit intelligenda. Atque hanc in ſententiam phraſis Iohannea per τὸ μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος, et per τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραὰμ explicatur. *Hebr. II, 14, 16.* Iamque ipſa duarum naturarum in Chriſto vnio hypoſtatica iis comprobatur S. S. dictis, quae de vno et eodem Chriſto praedicant, quod ſit verus Deus et verus homo, filius Dei et filius hominis, *Rom. IX, 5; Luc. I, 32, 35; Matth. XVI, 13, 16; XXII, 42; Rom. I, 3, 4; etc.* ſiquidem hinc

hinc omnino conſequitur, Ieſum Chriſtum vnicam eſſe perſonam, nempe σύνθετον, ex duabus, diuina et humana, conſtantem naturis. Plura pro aſſerenda vnione perſonali, quae firmiſſimo item, vt mox oſtendemus, ſacrarum litterarum nituntur fundamento, naturarum communio, et idiomatum communicatio praeſtant argumenta.

Errorum notatio.

Cum perſonalem duarum in Chriſto naturarum vnionem omnes, quotquot veram Chriſti vel deitatem, vel humanitatem inficiantur, eo ipſo etiam negent, tum orthodoxae de illa doctrinae ſpeciatim NESTORII et EVTYCHIS directe aduerſantur errores, repudiati propterea, et damnati in *Form. Conc. p. 610.* Nempe, prouti errores eorum ibi referuntur, „NESTORIVS, Deum et hominem „in Chriſto non conſtituere vnam perſonam, „ſed alium eſſe Dei filium, et alium hominis filium, deliraui: EVTYCHES autem, „diuinam et humanam naturam in vnam eſſentiam commixtas, et humanam naturam „in deitatem mutatam eſſe, furenter dixit." De NESTORIO, ex preſbytero Antiocheno ad epiſcopi CPolitani dignitatem, anno CCCCXXVIII, euecto, errorisque eius origine, progreſſu, et ratione, LVD. DOVCIN, in *hiſtoria Neſtorianiſmi* Gallico ſermone ſcripta, editaque Rotterodami, a. MDCXCIIX, et alii

alii bene multi commentati ſunt; complures vero etiam, quos, recentiores maxime, IOH. VOGT, *biblioth. hiſt. haereſiol. tom. I, faſc. 3, p. 456, ſqq.* recenſet, illum defendere, vel excuſare, annisi ſunt, et controuerſiam Neſtorianam omnem λογομαχίαν fuiſſe, pronuntiarunt. At enimuero ex concilii Epheſini, et aliarum ſynodorum, in quibus haereſis eius damnata fuit, actis, veterumque teſtimoniis ſatis conſtare, arbitramur, non aliam NESTORIVM diuinae cum humana natura, quam παραστατικήν, admittere voluiſſe vnionem, qua filius Dei, πνευματικῇ παρουσίᾳ, in homine, in vtero B. M. V. formato, inhabitauerit; hincque, vnius naturae propria alteri non adſcribenda eſſe, ſtatuiſſe; vt adeo Χριστόλυσις vere omnino ipſi attribuatur. Ex Neſtorianiſmo, longe lateque per orientem ſparſo, et hodienum ibi ſuperſtite, alia in occidente exorta eſt haereſis, *Adoptiana* dicta, quod auctores eius, FELIX *Vrgelitanus*, et ELIPANDVS *Toletanus*, Chriſtum, ſecundum carnem, non naturalem, ſed *adoptiuum* Dei filium eſſe, ſtatuerint; de qua diſſertationibus aliquot, Haſniae, a. 1699, et ſeqq. editis, expoſuit IOH. TRELLVNDVS.

EVTYCHES, preſbyter et archimandrita CPolitanus, contra NESTORIVM diſputans, ex ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς, in contrariam prolapſus eſt haereſin. Illo enim ex duabus in Chriſto naturis duas etiam conſtituente perſonas,

ſonas, hic e contrario ex vna Chriſti perſona vnam etiam conſtituit naturam. Errorem ſuum his ipſe, apud EVAGRIVM, *hiſt. eccl. l. 1, c. 9, p. 126,* profeſſus eſt verbis: ὁμολογῶ, ἐκ δύο φύσεων γεγεννῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν, πρὸ τῆς ἑνώσεως· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν φύσιν ὁμολογῶ: ſicque adeo, ante vnionem, duas fuiſſe naturas, poſt illam autem, vnam tantum in Chriſto naturam eſſe, affirmauit. Quo autem modo, num per commixtionem, an per conuerſionem, ex duabus vnam ſtatuerit factam eſſe naturam, Eutychianiſmi, nec ſuis deſtituti patronis, Euangelicis autem a Caluinianis perperam impacti, hiſtoriae diſquirunt ſcriptores. Eutychiani a veteribus etiam vocantur *Monophyſitae*; hiſque ſucceſſerunt *Monotheletae* et *Monenergiſtae*, ita dicti, quod vnicam tantum in Chriſto voluntatem, et vnam admitterent operationem. Vid. FRANC. COMBEFIS *hiſtoria haereſeos Monotheletarum*, quae, cum vindiciis actorum ſextae ſynodi, et variis opuſculis Graecis, prodiit *Pariſiis, a. MDCXLIIX, in folio.*

THESIS IIII

Vnio perſonalis duarum naturarum in Chriſto, earundem infert communionem, qua ita coniunctae ſunt duae na-

turae, vt diuina natura, filii hominis, et humana, filii Dei ſit natura.

Vid. *Form. Conc. art. VIII, p. 607, 765.*

Expoſitio, cum confirmatione.

Singularem conſiderationem depoſcit *naturarum*, diuinae et humanae, in Chriſto *communio* ſeu, prout etiam vocari ſolet, *communicatio*, voce hac de ſtatu accepta, tanquam proximus et immediatus vnionis hypoſtaticae effectus. Quanquam enim vnio perſonalis, et communio naturarum realiter non differunt, vnde etiam hanc in illius definitione *Formula Conc. p. 607*, includit; attamen, noſtro concipiendi modo, communio poſterior eſt vnione, cum vnitas inter ſe naturas prius, quam earundem mente concipiamus communionem, et ex ipſa profluit vnione, ſiquidem omnis verae et realis vnionis effectus vera et realis extremorum eſt *κοινωνία*. Hinc etiam, ſummam et ineffabilem naturarum communionem ex perſonali vnione conſequi, *Formula Conc. l. c.* diſerte ait. Communionem hancce, vt *ibidem*, et *p. 765*, annotatur, antiquiſſimi eccleſiae doctores ſimilitudine ferri candentis, itemque vnione corporis et animae in homine, declararunt. Alterum hoc ſimile in ſymbolo, quod *Athanaſianum* dicitur, etiam adhibetur. Quo

autem

autem modo illa ipſa ſimilia myſterio huic, cui ἀρμόδιον κατὰ πάντα παράδειγμα non datur, illuſtrando inſeruiant, egregie docet CHEMNITIVS, *l. c. cap. VI. p. 28, ſqq.* IOH. DAMASCENVS, *de orthodoxa fide lib. III, c. 7, Opp. edit. P. Mich. Lequien, T. I, p. 215*, et, qui eum ſequuntur, noſtrates theologi communionem illam per περιχώρησιν declarant, qua diuina natura immeet, permeetque aſſumtam in ὑπόςασιν τοῦ Λόγου humanam naturam, ita vt humanitatis nihil expers ſit diuinitatis. Quemadmodum autem περιχώρησις haec naturae diuinae ita tribuitur, vt ab hac, ſine vlla ſui diuiſione, vel extenſione, illam fieri, intelligatur; ita ſalua per eandem manet differentia naturarum. Nempe, vt *Formula Concordiae, p. 765*, docet, „tametſi humana et diuina natura in perſona „Chriſti eo vnitae ſint modo, vt veram inter „ſe habeant communicationem, nequaquam „ideo naturae in vnam eſſentiam conue„niunt, et commiſcentur. Additur: propter „hanc hypoſtaticam vnionem et communi„cationem, veteres orthodoxos doctores „ſaepe quidem vocabulo *mixtionis*, in pia ta„men ſententia, et vero diſcrimine, fuiſſe „vſos.“

Ex naturarum communione fluunt, et in ea immediate fundatae ſunt propoſitiones, quae dicuntur *perſonales*, eae videlicet, in quibus concretum vnius naturae de concreto

alterius naturae praedicatur. Tales ſunt: *Deus eſt homo*, *filius Dei eſt filius hominis*, vbi nimirum humanae naturae concretum de concreto diuinae naturae enuntiatur; et *homo eſt Deus*; *filius hominis eſt filius Dei*; vbi concretum diuinae naturae de concreto humanae naturae affirmatur. Vid. *F. C. p. 607.* Praedicationes hae, quae, ſimileſque in ſacris litteris paſſim occurrunt, e. c. *Luc. I, 32, 35; 1 Cor. XV, 47; Matth. XVI. 13, 16. etc.* ſingulares vtique prorſus ſunt, et inuſitatae; ſiquidem in vniuerſa natura haud ſimile datur exemplum, vbi duo diſparata de ſe praedicantur. Non tropicae tamen illae ſunt, cum nec in ſubiecto, nec in praedicato tropus oſtendi poſſit; nec verbales tantum, ſed reales ſunt, ob realem nimirum, quae inter praedicatum et ſubiectum intercedit, identitatem. Cum in hypoſtatica illae ipſae fundamentum ſuum habeant naturarum vnione, et communicatione, quae ἄῤῥητον eſt μυςήριον, hinc, prout natura illius atque indoles poſtulat, eaſdem accipiendas eſſe, patet, nec mirum adeo videri debet, ſingulares prorſus eas eſſe, atque inuſitatas.

Duarum naturarum communio vberiori non opus habere videtur confirmatione. Perſonali enim ſtabilita vnione, naturarum, quae ex illa neceſſario conſequitur, communionem firmo ſtare oportet fundamento. Nam, cum ὁ Λόγος, per τὴν σάρκωσιν, particeps factus

factus ſit humanae naturae, *Hebr. II, 14*; cum natura humana cum diuina τοῦ λόγου natura tam arcte vnita ſit, vt eius ſubſiſtat ὑποςάσει, ſequitur omnino, vi vnionis huius, humanam naturam, filii Dei, et diuinam, filii hominis eſſe naturam.

Ἀντιθέσεως *notatio*.

Qui hypoſtaticae duarum in Chriſto naturarum vnioni erroribus ſuis aduerſantur, eoſdem etiam illarum communioni aduerſari, per ſe patet. Hunc ſpeciatim NESTORII, et SAMOSATENI errorem, atque haereſin fuiſſe, in *F. C. p. 764*, notatur, quod, teſte SVIDA, et THEODORO, Preſbytero Rhaetenſi, docuerint: „δύο φύσεις διῃρημένως ἐχού„σας, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς παντάπασιν: „h. e. *duas naturas ſeparatim ſeu ſeorſim ſe „habentes. et omni modo ad inuicem, ſeu inter „ſe, incommunicabiles eſſe.* Atque huc etiam illa NESTORII pertinet aſſertio, vnde ipſius Neſtorianiſmi repeti ſolet origo qua B. Mariam virginem nudum duntaxat, aut merum hominem concepiſſe ac genuiſſe, neque adeo Θεοτόκον appellandam eſſe, affirmauit. A Neſtorianis prope abſunt *Zwingliani*, quippe quorum hi, ad euertendam perſonalem naturarum in Chriſto vnionem, communionemque, comparati, in *Epit. F. C. p. 610, n. V, et VI*, repudiantur errores: „quod vnio per„ſonalis faciat tantum communia nomina, et

„communes titulos: quod phraſis tantum „et modus quidam loquendi ſit, cum dici„tur: *Deus eſt homo*, *et homo eſt Deus:* ſiqui„dem diuinitas nihil cum humanitate, et hu„manitas nihil cum deitate REALITER, hoc „eſt, vere et re ipſa, commune habeat.“

THESIS V

Cum naturarum, diuinae et humanae, in Chriſto communione coniuncta eſt, et ex ea proxime fluit idiomatum communicatio; pro diuerſa praedicationum de illa ratione, in tria genera diſtincta.

Vid. *Form. Conc. Declar. p. 769, ſq.*

Expoſitio.

Quemadmodum vnionis perſonalis immediatum conſequens eſt naturarum communio, ita mediatum *idiomatum* eſt *communicatio*, quippe quae ex naturarum fluit communione. Cum enim proprietates a natura, cuius ſunt proprietates, ſeparari nequeant, conſequitur, communicata natura, idiomata quoque eſſe communicata. Per *idioma* autem hic non ſolum intelligitur id, quod naturae per ſe competit, ſed etiam operationes, ex natura manantes, eo nomine comprehenduntur.

duntur. *Communicatio*, voce hac de ſtatu accepta, eiuſmodi notat communionem, qua, quae vni naturae in Chriſto propria ſunt, alteri etiam re vera conueniunt; vni quidem per ſe et formaliter, alteri vero propter vnionem perſonalem, vel per gratiam eius; tum vero, quoad ἀποτελέσματα, operationum, cuique naturae propriarum, concurſus quidam, per communicationem eam connotatur.

Tria communicationis huius idiomatum conſtituta ſunt *genera*. Eius rei cauſa in *F. C. p. 769*, his exponitur verbis: „Plurimum „refert, vt doctrina de communicatione „idiomatum conuenienti diſcrimine, et di„ſtincte tractetur et explicetur. Propoſitio„nes enim et praedicationes, quibus vtimur, „cum de perſona Chriſti, et de naturis et „proprietatibus eius loquimur, non omnes „vnius ſunt generis aut modi. Et ſi quan„do non ſatis dextre et diſtincte hoc nego„tium tractatur, tum doctrina haec inuoluitur, „et lector ſimplex facile perturbatur.“ Tribus igitur communicatio idiomatum diſtincta eſt generibus, vt, quae ad eam ſpectant, ſacrarum litterarum praedicationes accuratius diſcernantur, et ſimul orthodoxa de illa ipſa doctrina, oppoſitique eidem errores rectius cognoſcantur. Neque vero noua, aut recens excogitata eſt haec illius in certos gradus ſeu genera diſtributio. Nam veteres,
prae-

praecipue vero CYRILLVS, ac LEO, itemque DAMASCENVS, eodem prorſus modo, ac ſimili diſtributione, quod ad rem ipſam attinet, doctrinam hanc tradiderunt; id quod, more ſuo, hoc eſt, egregie prorſus, demonſtrat CHEMNITIVS, *de duabus naturis in Chriſto, cap. XII, p. 60, ſqq.* Inſtaurata autem ea, magiſque exculta eſt a noſtratibus theologis, per controuerſias cum Caluinianis, et, quoad tertium genus, cum FRANC. STANCARO, ad id ipſis oblata occaſione. Ac *primum* quidem genus, quod ἰδιωμάτων, ſpecialiter videlicet ita dictorum, vocatur, eas habet praedicationes, in quibus Filio Dei, quae ſunt hominis, et quae Filii Dei ſunt, filio hominis tribuuntur. Ad *alterum*, quod αὐχημάτων dicitur, illae pertinent propoſitiones, in quibus attributa diuina, quae maieſtatis nomine venire ſolent, humanae Chriſti naturae, abſtracte ſpectatae, vindicantur. Ad *tertium* denique, quod ἀποτελεσμάτων appellatur, illae referuntur praedicationes, in quibus operationes, ad officium Chriſti mediatorium ſpectantes, de Chriſto ita enuntiantur, vt vtraque natura ad id concurrere intelligatur. Quare, quoad poſteriora duo genera, alium *F. C.* conditores inſtituerint ordinem; id quod etiam a CHEMNITIO, veterumque noſtratium theologorum aliis factum eſt; ea de re expoſuimus in capitis huius *ſectione prima, § III.* De ſingulis autem his generibus

bus in ſequentibus agemus theſibus, ac veram de iiſdem, quae in *Formula Concordiae* proponitur, enarrabimus, vindicabimuſque doctrinam.

THESIS VI

Primum communicationis idiomatum genus ſub ſe complectitur praedicationes, quibus humanae naturae proprietates de filio Dei, et diuinae naturae proprietates de filio hominis praedicantur; quaeque adeo veram et realem vtriuſque naturae proprietatum in perſona Chriſti Θεανθρώπου communionem declarant.

Vid. *Form. Conc. Declar. p. 770, ſqq. Epit. p. 608, n. IX.*

Expoſitio, cum confirmatione.

Primi huius generis rationem commoda appellatione expreſſit CVRILLVS ALEXANDRINVS, in *ep. XXIX*, apud CHEMNITIVM, *l. c. cap. XII, p. 65*, dum illud vocat ἰδιοποίησιν, i. e. *appropriationem*, quod vna natura alterius ſibi vindicet proprietates. IOH. DAMASCENO, *de orthod. fide, lib. III, c. 4, p. 209*, dicitur ἀντίδοσις, *mutua attributio*; quam appellationem idem etiam adhibet CYRILLVS, in libro

de

SS. Trinitate, *c. 27*, *Opp ed. Io. Auberti*, *tom. VI*, *p. 33*. Eo nimirum referuntur praedicationes, quibus vnius naturae propria de concreto alterius naturae praedicantur, vel, vt complures theologi, nullo quoad rem ipſam diſcrimine, docent, quibus vel diuinae, vel humanae naturae proprietates de concreto perſonae, ſiue ab alterutra, ſiue ab vtraque natura denominato, affirmantur. Praedicationum harum exempla paſſim obuia ſunt in ſacris litteris. Vid. in primis *Rom. I, 3*; *Gal. IV, 4*; *Rom. V, 10*; *Act. III, 15*, *1 Cor. II, 8*, *etc.* item *Ioh. III, 13*. In his ipſis autem nonnunquam adhiberi ſolent particulae diacriticae: κατὰ, ἐν, ἐκ, vt *Rom. I 3*; *IX, 5*; *1 Petr. III, 18*; *IV. 1*; non, vt naturae iis ſeparentur, ſed vt ſignificent, cuinam naturae per ſe, vel formaliter, praedicatum conueniat; ſeu, ſumuntur *ſpecificatiue*, h. e. ita, vt ſpecificent naturam, ſecundum quam, per ſe et formaliter id ſibi vindicantem, praedicatum tribuatur ſubiecto. Vid. *F. C. p. 770*.

Cum praedicationes hae fundamentum habeant in reali vnione hypoſtatica, realem cum naturarum, tum idiomatum inferente communionem, conſequitur, non verbales, ſed reales, h. e. eiuſmodi illas ipſas eſſe praedicationes, quae non praedicati nomen ſolum, ſed etiam rem, quae illo ipſo ſignificatur, de ſubiecto vere affirmant. Nec tropicas, ſed proprias eaſdem eſſe, τῷ ῥητῷ Scripturae

pturae S. confirmatur, quodque omnia, quibus conſtant, verba propriam ſuam ſeruent ſignificationem.

Αντιθέσεως *notatio.*

Veram praedicationum harum ſententiam, praeter haereticos, ſub praecedentibus theſibus notatos, cum maximé impugnant *Caluiniani*, quippe qui, propoſitiones, quibus, *filius Dei ex muliere natus*, *paſſus*, *crucifixus*, *mortuus eſſe*, dicitur, vel mere verbales, vel improprias, et per ſynecdochen, aut per ἀλλοίωσιν, explicandas eſſe, ſtatuunt. Ἀλλοίωσις, quam primus huc attulit HVLDR. ZWINGLIVS, modus ipſis eſt loquendi improprius, quo aliud ſubiecti loco ponitur, aliud intelligitur. In dictis igitur propoſitionibus, filium Dei, Chriſtumue, pro humana natura, filio Dei vnita, poni, aiunt. Zwinglianam hancce ἀλλοίωσιν grauiter caſtigauit, coarguitque B. LVTHERVS, in *maiori de Coena Domini confeſſione*, vnde ipſa eius eam in rem verba referuntur in *Form. Conc. declarat. p. 770, ſqq.* Etenim, per ἀλλοίωσιν illam, et totam redemtionis vim elidi, et, quae damnata NESTORII eſt haereſis, duas in Chriſto perſonas conſtitui, a LVTHERO *l. c.* demonſtratur. Ad eandem refellendam accedit, quod, vbi propoſitionibus illis: *Filius Dei eſt paſſus*, *mortuus*, etc. ad ἀλλοίωσιν Zwinglianam conformatis, particula Scri-

pturae

pturae S. diſcretiua inferatur, abſonus is emergat ſenſus: humanam naturam paſſam, mortuaſnque eſſe, ſecundum humanam naturam. Quanquam autem deitas, ſecundum ſe, non eſt paſſa, ſeu filius Dei non paſſus eſt, vt filius Dei, ſed in aſſumta humanitate, et vt eſt homo: falſo tamen inde arguunt Caluiniani, filio Dei non vere, realiter, et proprie conuenire ea, quae in propoſitionibus illis de ipſo praedicantur. Nam ad hoc, vt praedicatum vere conueniat ſubiecto, non requiritur, vt ſecundum illam naturam ei conueniat, quae in formali ſubiecti conceptu inuoluitur; ſed ſufficit, ſi ſecundam alteram naturam ipſi conueniat, nempe ſecundum carnem, quae re vera eſt filii Dei. v. *F C p. 771.* Add. IOH. MVSAEVS, in *praelect. in Epit. F. C. p. 290.*

THESIS VII

Secundum genus communicationis idiomatum ea dicitur communio, per quam humana Chriſti natura totius particeps eſt maieſtatis diuinae, ita vt, quaecunque ὁ Λόγος habet per eſſentiam, ea omnia aſſumta caro habeat per vnionis gratiam; ſicque ad illud pertinent praedicationes, quibus de humana Chriſti natura, aut de Chriſto, ſecundum humanam

manam naturam ſpectato, naturae diuinae proprietates eſſentiales, operationes, dignitaſque et eminentia ſumma, praedicantur.

Vid. *Form. Conc, Epit. p. 608, ſq. Declar. p. 773, ſqq.*

Expoſitio.

Alterum hoc communicationis idiomatum genus a priſcis eccleſiae doctoribus variis nominibus, a CHEMNITIO, *l. c. cap. XXVI, p. 171, ſqq* ſtudioſe collectis, inſignitur, et inter alia, habito ad communicandi actum reſpectu, quo Deitas τὰ οἰκεῖα αὐχήματα carni impertitur, μετάδοσις, i. e. *impertitio*, vocatur. Subiectum igitur hoc in genere humana Chriſti eſt natura, abſtractiue quidem, non autem per ſe, ſed intra vnionem perſonalem conſiderata. *F. C. p. 782.* Id, cuius particeps ea eſt, maieſtas eſt diuina; quo nomine cunctae proprietates eſſentiales, et operationes diuinae, dignitaſque et eminentia ſumma, deſignantur Itaque huc non pertinent ſingulares humanae Chriſti qualitates, nec illae, quibus a Spiritu S. exornata ea fuit, dotes; quippe quae formaliter, non autem per vnionem perſonalem ei inſunt. v. *F. C p 774. ſq.* Vera autem et realis, non μόνον τὸ κοινὸν ὄνομα ἔχουσα, haec maieſtatis diui-

nae eſt communio; ſine omni tamen naturarum confuſione, exaequatione, abolitione, eſſentialiue proprietatum diuinae naturae in humanam effuſione, concipienda, quem ad modum, contra Eutychianos, et ad retundendas iniquas aduerſariorum accuſationes, docet *Formula Conc. p. 776, et ſqq.* conf. *p. 69.*

Praedicationes, ad hoc genus pertinentes, ſunt, quibus de humana Chriſti natura in abſtracto, ſeu de Chriſto, ſecundum humanam naturam ſpectato, diuinum aliquod idioma, in concreto, enuntiatur: e. c. *humanitas Chriſti eſt omnipotens; Chriſtus, qua homo, eſt omnipotens;* et caet. quae, ſi non omnes κατὰ τὸ ῥητὸν, tamen κατὰ τὴν διάνοιαν, in ſacris litteris extant. Eſt vero, quoad praedicandi modum, inter attributa diuina ἐνεργητικὰ et ἀνενέργητα diſcrimen obſeruandum Haec enim non, vt illa, immediate, et in caſu recto de humana Chriſti natura praedicari poſſunt, quia contradictorium foret, eam dicere infinitam, aeternam, et rel. Attamen, cum humana Chriſti natura diuinae naturae, ac proinde omnium etiam attributorum diuinorum particeps facta ſit, attributa ἀνενέργητα praedicari quidem de ea poſſunt, ſed mediate, h. e. mediantibus attributis ἐνεργητικοῖς. et in obliquo, hunc videlicet in modum: humana Chriſti natura eſt omnipotens, omnipotentia infinita, et rel.

Confir-

Confirmatio.

Humanae Chriſti naturae, abſtractiue acceptae, proprietates diuinas eſſentiales omnes re vera ineſſe, probatur: (I) ex eo, quod, per vnionem naturarum hypoſtaticam, earundemque communionem, ita illae inter ſe vnitae ſint, vt diuina humanam immeet ac perficiat naturam; vnde adeo conſequitur, illam ipſam perfectiones ſuas omnes ad communem, eamque intrinſecam, poſſeſſionem, vere ac realiter humanae communicare naturae: (II) ex dictis Scripturae S., quae generatim id confirmant; v. c. *Coloſſ. II, 9,* vbi, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, h. e. diuinam eſſentiam, prouti filii Dei eſt eſſentia, cum omnibus attributis diuinis, quippe quae ab eſſentia diuina ſeparari nequeunt, in Chriſto, σωματικῶς, hoc eſt, in carne Chriſti, ſeu, in Chriſto, qua homine, habitare, i. e. inſeparabiliter ac perpetuo immanere, affirmatur; eoque ipſo, omnes proprietates diuinas eſſentiales humanae Chriſti naturae intime ineſſe, ſignificatur; itemque *Matth. XI, 27; XXVIII, 18;* quae dicta, quibus Chriſtus, omnia ſibi data eſſe, ait, de humana ipſius intelligenda eſſe natura, inde patet, quod, ſecundum diuinitatem, nihil dari ipſi potuit, cum, quoad eam, omnia habeat ab aeterno; conf. *F. C. p. 776:* (III) ex illis Scripturae S. dictis, quae ſpeciatim hanc illamue proprie-

tatem diuinam eſſentialem humanitati Chriſti competere, teſtantur. Ita *omniſcientia* diuina Chriſto, qua homini, ſeu ipſi humanae eius naturae, tribuitur *Col. II, 3;* add. *Ioh. II, 24, ſ. XXI, 17. etc.* *Omnipotentiae* humanitatis Chriſti illuſtre teſtimonium eſt, quod extat *Matth. XXVIII, 18.* Vid. *F. C. p. 785.* Hinc etiam *poteſtas iudicium faciendi*, quae non ſolum pars eſt diuinae maieſtatis, (*Gen. 18, 25, etc.*) ſed etiam omniſcientiam, omnipotentiamque diuinam luculenter arguit, Chriſto data dicitur: ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςὶ, *qua filius hominis eſt*, i. e. ſecundum humanam naturam, *Ioh. V, 27.* Pari modo *poteſtas viuificandi*, ſeu, vitam tum naturalem, tum ſpiritualem, tum aeternam, largiendi, carni Chriſti, *Ioh. VI, 51, ſqq.* aliiſque in locis, diſerte adſcribitur. Vid. *F. C. p. 776, et p. 782.* Neque vero minus *omnipraeſentia* carnis Chriſti, quae in ἀδιαςασίᾳ ad omnes res creatas, cum operatione diuina, qua Chriſtus, vt homo, rebus omnibus actu praeſens eſt, eaſque conſeruat, dirigit, gubernat, coniuncta, conſiſtit, quaeque, cum, per vnionem hypoſtaticam, naturae competat humanae, ſine omni extenſione, expanſione, et diffuſione, vt *F. C. p. 610, n. 10.* et *p. 787, n. 10*, cauet, eſt intelligenda, clariſſimis ſacrarum litterarum teſtimoniis: *Matth. XVIII, 20; XXVIII, 20; Eph. IV, 10*, et cet. ipſiuſque ſeſſionis ad dexteram Dei nititur fundamento. Vid. *F. C. p. 608, 768, 783, ſqq.*

Ad operationes, diuinae naturae proprias, quod attinet, humanae Chriſti naturae eaſdem competere, per ſe conſequitur ex eo, quod diuina ἐνεργητικὰ eidem inſint attributa; ſpeciatimque poteſtas, quam habet, viuificandi et iudicium faciendi, ſeſſio ad dexteram Dei, rerumque omnium gubernatio, tum vero etiam miracula, quae hoc nomine *F. C. p. 767*, refert, a Chriſto patrata, id ipſum confirmant. Quandoquidem autem maieſtas diuina adorabilitatem etiam ſub ſe complectitur, hanc quoque humanae Chriſti naturae, prouti ea ὑποςάσει τοῦ Λόγου conſiſtit, competere, cum generali, quod attributorum diuinorum, qua gaudet, communio, religioſum adorationis, ipſi exhibendum, inferens cultum, praeſtat, conficitur argumento, tum diſertis Scripturae S. comprobatur dictis: *Ioh. V, 23; Philipp. II, 9, ſqq.* add. *Matth. II, 11.*

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Secundum hoc communicationis idiomatum genus, realemque adeo, quam humana Chriſti natura habet, maieſtatis diuinae communionem cum maxime oppugnant *Caluiniani;* id quod ſcripta ab illis, tum ante, tum poſt conditam Formulam Conc. eo nomine edita, ſatis ſuperque teſtantur. Add. *Catech. Palat. qu. XLVII*, et *XLVIII.* Varios autem ad euertendum illud, nequicquam

rem agendo, inſtituunt modos. Vel enim generis hujus praedicationes pro mere verbalibus haberi volunt; vel ſubiectum per ἀλλοίωσιν Zwinglianam exponunt; vel perfectiones diuinas, quae de humana Chriſti natura praedicantur, diuinis ſimiles, non aequales, eſſe, aiunt, et pro donis infinitis finita ſubſtituunt; vid. *F. C. p. 774*; tum vero aduerſus maieſtatem carnis diuinam, ex ſtatu exinanitionis, neglecto inter κτῆσιν et χρῆσιν diſcrimine, arguunt, aut ab eo, quod humanae Chriſti naturae eſſentialiter, et per ſe, non conuenit, ad negandum id, quod eidem perſonaliter, et vi vnionis hypoſtaticae, competit, abſone conſequentiam ducunt. Hac praeſertim ratione omnipraeſentiam carnis Chriſti impetunt, quam pertinaciter negant, noſtram de illa doctrinam monſtroſum vocantes figmentum, et vbiquitatis nomine traducentes. Cauſam rei indicauimus in *ſectione prima huius capitis, § III.* Eidem Chriſti in coelos obuertunt aſcenſionem, et a viſibilis praeſentiae per eam ſubtractione, ad inuiſibilis praeſentiae negationem perperam concludunt: itemque, Chriſtum, ſecundum humanam naturam, in his terris non eſſe omnipraeſentem, ſed hanc coelo incluſam detineri, probaturi, malitioſam, vt in *F. C. p 759*, appellatur, loci, *Act. III, 21*, in quo de Ieſu Chriſto dicitur: ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, *quem oportet coelum occupare*, i. e. maieſtaticum

cum ſuſcipere dominium, adhibent interpretationem.

Praeter Caluinianos, *Pontificii* etiam, quod mireris, doctores, in primis *Ieſuitae*, orthodoxam eccleſiae noſtrae de communicatione idiomatum, ſpeciatimque de omnipraeſentia carnis Chriſti, doctrinam impugnant. Magno conatu, ſtudioque id facere inſtituit ROB. BELLARMINVS, *lib. III de Chriſto, cap. IX, et ſeqq. Diſpp. de controuerſiis fidei Tomo I, p. 220, ſqq.* cuius veſtigiis inſtitit MART. BECANVS, in *manuali controuerſiarum, lib. II, c. 1 p. 469. ſqq* At enimuero incaſſum laborauit BELLARMINVS, et, quemadmodum B. GERHARDVS, in *Bellarmino, ὀρθοδοξίας teſte, art. II, p. 70 ſqq.* oſtendit, vt vt reali attributorum diuinorum communicationi, ac praecipue omnipraeſentiae H. C. N. quam vbiquitatis nomine, Caluinianorum exemplo, traducit, ſit aduerſus, eandem tamen ſuis ipſe hypotheſibus firmauit.

THESIS IIX

Vtriuſque naturae operationum in officio Chriſti mediatorio communio tertium conſtituit communicationis idiomatum genus; ad quod proinde illae pertinent propoſitiones, in quibus officii mediatorii nomina et opera, quae ἀποτελέσματα

τα dicuntur, de perſona Chriſti, aut ab vna tantum, aut ab vtraque natura denominata, praedicantur.

Vid. *Form. Conc. Declarat.* p. 773.

Expoſitio.

Genus hocce a CYRILLO *Alexandrino*, notante CHEMNITIO, *l. c. cap. XVII, p.* 85, per τὸ κοινοποιεῖσθαι declaratur, quia perſona hic ſecundum vtramque agit naturam, et communia vtrique naturae facit officii opera. Idem illud κοινωνία cum ἐνεργειῶν, tum ἀποτελεσμάτων, appellari ſolet. Etenim in iis, quae ad officium mediatorium ſpectant, vtraque Chriſti natura ità concurrit, vt vnaquaeque aliquid, quod ſibi proprium eſt, conferat, idque, *diſtincte* quidem, non autem *diuiſim* operando. οὐ γὰρ, vt recte docet DAMASCENVS, *de fide orthod. lib. III. c.* 19, *p.* 243, διῃρημένας φαμὲν τὰς ἐνεργείας, οὐδὲ διῃρημένως ἐνεργούσας τὰς φύσεις, ἀλλ' ἡνωμένως ἑκάστην μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ἐνεργοῦσαν τοῦθ' ὅπερ ἴδιον ἔσχηκεν κ. τ λ. *Non enim aut ſeiunctas actiones, aut naturas diuiſim operari dicimus. ſed coniunctim vtramque, cum alterius communione illud, quod quaeque proprium habet, agere.* Atque hinc officii Chriſti mediatorii opera ἀποτελέσματα dicuntur, h. e. *perfecta, conſummata* opera, quia effecta ſunt communia,

quae ex vtriuſque naturae operationum con-curſu proueniunt. A DAMASCENO, *l. c.* praeeunte DIONYSIO, ἐνεργειῶν θεανδρικῶν nomine illa ipſa denotantur. In propoſitionibus igitur, ad tertium hoc genus pertinentibus, praedicatum ſemper eſt ἀποτέλεσμα aliquod, ſeu opus officii Chriſti mediatorii, ad vtramque ſpectans naturam, itemque nomen, quod illud infert; ſubiectum autem eſt vel nomen, ſiue concretum perſonae, v. c. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis; Ieſus Chriſtus ſemet ipſum dedit pro peccatis noſtris; Chriſtus Ieſus eſt mediator; 1 Cor. XV, 3; Gal. I. 4; 1 Tim. II, 5:* vel concretum diuinae naturae, v. c. *Deus proprio ſanguine acquiſiuit eccleſiam; Filius Dei diſſoluit opera diaboli; Iehoua eſt iuſtitia noſtra*, i. e. iuſtitiae noſtrae cauſa; *Act. XX 28; 1 Ioh. III, 8; Ier. XXIII, 6:* vel concretum humanae naturae, v. c. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis; Filius hominis venit ſaluare animas hominum; Gen. III, 15; Luc. IX 56.* Differt a primo tertium hoc genus praecipue in eo, quod, cum in illo particulae adhibendae ſint διακριτικαί, quae praedicatum ſubiecto, non ſecundum vtramque, ſed alterutram naturam, conuenire, oſtendunt, in hoc particularum iſtarum nullus ſit vſus, cum praedicatum hic ſubiecto ſecundum vtramque conueniat naturam. Ad primum autem genus tertii huius generis praedicationes referri poſſunt, ſi nimirum praedica-

dicatum ſpectetur praecise, prouti vnius naturae inuoluit proprietatem.

Confirmatio.

In operibus officii Chriſti mediatorii vtramque, diuinam et humanam, concurrere naturam, ita vt vnaquaeque propriam ſibi aliquam ad illa conferat operationem, id quod illud eſt, in quo tertii communicationis idiomatum generis ratio conſiſtit, probatur cum ex ipſa officii mediatorii indole atque natura, ita comparata, vt nec a ſola humana, nec a ſola diuina natura, operum ad id ſpectantium, vllum potuerit praeſtari; tum ex fine vnionis perſonalis duarum naturarum in Chriſto, officii videlicet mediatorii peragendi cauſa factae. Vid. *Hebr. II, 14, ſq. Rom. VIII, 3, ſ. Gal. IV, 4 ſ.* Quodſi enim redemtio per ſolam operationem humanam perfici potuiſſet, τοῦ Λόγου non opus fuiſſet incarnatione. *Diſtincte* autem duas operari naturas, ex ipſarum, quae in vnionis ſtatu remanent, proprietatibus conficitur; *indiuiſe*, quia humanae naturae in officio mediatorio operationes cum valore et virtute infinita arctiſſimo coniunctae ſunt nexu.

Αντιθέσεως *notatio.*

Tertium hoc communicationis idiomatum genus illis potiſſimum eſt oppoſitum, qui

qui, Chriſtum, ſecundum humanam naturam tantum, mediatorem noſtrum eſſe, ſtatuunt. Errorem hunc in ſcholam, ſub Papatu conſtitutam, inuexit *Magiſter Sententiarum*, PETRVS LOMBARDVS, Epiſcopus Pariſienſis. Hinc recentiores quoque illum adoptarunt doctores Pontificii. Vid. in primis BELLARMINVS, *lib. V de Chriſto, cap. 1, et ſeqq. Controv. T. I, p. 261, ſqq.* Eundem, ex Scholaſticorum libris hauſtum, tuendum ſuſcepit FRANC. STANCARVS, in diſputatione, quam aduerſus collegam ſuum, ANDR. OSIANDRVM, inſtituit, qui, in contrarium prolapſus errorem, Chriſtum, ſecundum diuinam naturam tantum, iuſtitiam noſtram eſſe, affirmauit. Vterque error ex inſtituto in *Form. Concordiae articulo III* refellitur, atque damnatur.

THESIS IX

Status Chriſti duplex eſt, exinanitionis, et exaltationis.

Vid. *Form. Conc. Epit. p. 608, no. XI, Declar. p. 767.*

Expoſitio.

Quanquam humanae Chriſti naturae, eo ipſo, quo in ὑπόςασιν τοῦ Λόγου aſſumta eſt, momento, diuina communicata fuit maieſtas, haecque illi, vi vnionis perſonalis, quoad

quoad κτῆσιν, coniuncta ſemper manſit; attamen Ieſus Chriſtus, cum in mundum venit ad ſaluandum peccatores, vt redemtionis opus peragere, et pati, morique pro nobis poſſet, ſerui aſſumta forma, maieſtatis, carni ſuae communicatae, plenario et inceſſante vſu, ex liberrima voluntate, ſeſe abdicauit, nec prius illum, quam a mortuis reſurgeret, ſuſcepit. Atque hinc duplex Chriſti Θεανθρώπου eſt ſtatus. Alter, in quo Chriſtus, ſecundum humanam naturam, maieſtatis plenario ſe abſtinuit vſu, infirmitateſque pertulit humanas, *exinanitionis* dicitur ſtatus; iſque adeo omne, quod in his terris Chriſtus egit, inde a conceptione in vtero B. Mariae virginis, vſque ad viuificationem in ſepulcro, complectitur tempus. Alter, in quo ſeruili conditione, omnibuſque depoſitis infirmitatibus, maieſtatis, quo tantiſper ſe abdicauerat, plenarium ſuſcepit vſum, *exaltationis* vocatur ſtatus, qui ἐν ζωοποιήσει initium ſumſit, et, per ſeſſionem ad dexteram Patris, ad ſummum peruenit gradum. Vterque ſtatus luculenta in ſacris litteris teſtimonia habet, in primis autem *Philipp. II, 6, et ſqq.* exacte deſcribitur, ipſiſque κενώσεως et ὑπερυψώσεως nominibus deſignatur.

Alio, eoque improprio, voces hae a ſcriptoribus eccleſiaſticis vſurpantur ſignificatu, de ipſa videlicet filii Dei incarnatione, quippe quae, pro diuerſo naturarum reſpectu, et

exina-

exinanitio, et *exaltatio*, ab illis appellatur. Ita nimirum, ad naturam diuinam habito reſpectu, eo quod filius Dei, generis humani miſeriis commotus, ex ſinu Patris de coelo ſe demiſerit, et humanam aſſumſerit naturam, ἐνανθρώπησις ipſius, *exinanitio* vocatur; quo modo CYRILLVS ALEXANDRINVS κενώσεως vocabulo illam denotauit. Vid. I. C. SVICERVS, *Theſ. Eccl. t. II, p. 81*. *Exaltatio* autem, humanae naturae illa ipſa dicitur reſpectu, quia cum diuina τοῦ Λόγου natura perſonaliter haec vnita, diuinaequae particeps facta fuit maieſtatis. Appellationis huius exempla occurrunt apud GREGORIVM NYSSENVM, *Or. 3 contra Eunomium*, *Opp. t. II, p. 583*, Patreſque Latinos; quos etiam veterum noſtratium theologorum quidam imitati ſunt, et de aſſumtione humanae naturae in ὑπόστασιν τοῦ Λόγου *exaltationis* vocem adhibuerunt. Idem hoc factum fuiſſe videtur ab auctoribus *Form Conc. Epit. p. 608, n. X*, et *Declarat. p. 764*. Attamen ab iiſdem exaltatio Chriſti, ſtilo Biblico, proprioque ſignificatu, de illa, quae exinanitioni opponitur, eamque inſecuta eſt, dicitur exaltatione, *p. 767*, et *774*.

Ἀντιθέσεως *notatio*.

Exinanitionis pariter, atque exaltationis Chriſti rationem formalem cum ſpeciatim demonſtrare, et illos, qui de hac, illaue minus

minus recte ſentiunt, notare, nobis conſtitutum ſit; hic eorum tantum facienda eſt mentio, qui plures, quam duo illos, quos Scriptura S. conſtituit, Chriſto aſſignant ſtatus. Faciunt id *Sociniani*, ex quibus GE. ENIEDINVS, in *explicatione locorum V. et N. T. p. 307, ſqq.* tres Chriſto attribuit ſtatus, *dignitatis* primum, alterum *humilitatis*, tertium *exaltationis;* hoſque ex *Phil. II, v. 5, ſqq.* deriuare conetur. Quin etiam hiſce quartus ab iiſdem addi ſolet ſtatus. Quo modo eos exponant, nihil attinet dicere. Scire ſatis eſt, conformatos ab iis illos eſſe omnes ad capitales ac deteſtabiles, quos de perſona et officio Chriſti fouent atque profitentur, errores.

THESIS X.

Exinanitio Chriſti in eo conſiſtit, quod Chriſtus θεάνθρωπος maieſtatis diuinae, carni ſuae communicatae, vſu plenario libere ſeſe abdicauerit, et infirmitates humanas, conditionemque ſeruilem aſſumſerit, eum in finem, vt, patiendo moriendoque, hominum expiaret peccata, et amiſſam eis reſtitueret ſalutem.

Vid. *Form. Conc. locis, ſub theſi IX citatis.*

Expo-

Expoſitio.

Exinanitionis *ſubiectum quod* eſt Chriſtus Θεάνθρωπος. ſeu ὁ Λόγος ἔνσαρκος. Λόγῳ enim ἀσάρκῳ, ſimplicique Deitati nullo modo conuenit exinanitio. Eandem ob rem. *ſubiectum quo* humana Chriſti eſt natura; id quod ex ipſa etiam *formali* exinanitionis cognoſcitur *ratione*. Haec nimirum, et primo quidem, in maieſtatis diuinae, carni Chriſti, in ipſa τοῦ Λόγου σαρκώσει communicatae, quoad vſum plenarium, conſiſtit abdicatione. Maieſtatis diuinae, cuius plenario vſu Chriſtus, qua homo, ſe abdicauit, nomine attributa diuina ἐνεργητικὰ hic ſpeciatim intelligi, per ſe patet, cum ad ἀνενέργητα χρῆσις nequeat referri. Nequaquam igitur ipſam maieſtatem diuinam, ſecundum humanam naturam, depoſuit Chriſtus, quippe quam, in ſe ſpectatam, vi vnionis perſonalis, ſemper habuit, ſed illius vſum tantum, eumque plenarium et inceſſantem; ſiquidem, in ipſo etiam exinanitionis ſtatu, quando et quo modo ipſi viſum fuit, diuinam ſuam maieſtatem manifeſtauit. Vid. *F C. ll. citatis*. Quem ad modum autem ex liberrima voluntate, ita vere quoque diuinorum attributorum plenario Chriſtus abſtimuit vſu; non abſtinentiam ab eo ſimulauit, vel maieſtatis vſum, intuitu vniuerſi huius, et eccleſiae, occultauit. Praeterea vero etiam

ad

ad formalem exinanitionis Chriſti rationem pertinet tum imbecillitatum, et infirmitatum humanarum omnium, vitii peccatique expertium, ſuſceptio; tum formae ſeruilis, hoc eſt, humilis, tenuis, abiectae, contemtaeque aſſumtio conditionis. Exinanitio haec, cui Seruator optimus eum in *finem* ſe ſubiecit, vt lapſum Adamiticum, ac totius generis humani expiaret peccata, et perfectam ei afferret, meritoque ſuo pareret ſalutem, non, vt ſibi ipſi quidquam promereretur, ordinis quidem ratione, poſterior eſt incarnatione, initium tamen in primo ſtatim conceptionis ſumſit momento, et in morte demum atque ſepultura nacta eſt finem; ita vt ſtatus exinanitionis Chriſti omne, quod *dierum carnis* eius nomine appellari ſolet, ad viuificationem vſque in ſepulcro, complectatur tempus, et ad illum conceptio, natiuitas, circumciſio, educatio, tota vitae, in his terris actae, ratio, cum maxime autem, quae ſummum exinanitionis Chriſti conſtituunt gradum, extrema ipſius paſſio, mors atque ſepultura, ſint referenda.

Confirmatio.

Ad confirmandum ea, quae de exinanitione Chriſti a nobis ſunt expoſita, vel vnum ſufficit dictum claſſicum, *Phil. II 6, et ſeqq.* quippe quo vniuerſa de exinanitione pariter, atque exaltatione Chriſti continetur doctri-

doctrina. Hinc etiam eo nomine illud excitatur in *Ferm. Conc. p. 767.* Is, qui ſemet ipſum exinaniuit, ab Apoſtolo, *v. 5*, dicitur *Chriſtus* IESVS; hiſque nominibus, perſonam, ex duabus conſtantem naturis, denotantibus, *ſubiectum* exinanitionis *quod*, τὸν λόγον ἔνσαρκον, filium Dei incarnatum, ſeu Chriſtum θεάνθρωπον, eſſe, indicatur. Idem hoc, quae ſequuntur, praedicata, in primis humiliatio, mortis perpeſſio, exaltatio, confirmant; ſimulque, *ſubiectum quo* humanam eſſe naturam, declarant. Exinanitionis *obiectum*, ſeu id, quo Chriſtus θεάνθρωπος ſemet ipſum euacuauit, per μορφῇ Θεοῦ Apoſtolus deſignat, cum dicit: Chriſtus IESVS, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, *in forma Dei exiſtens*, ſe ipſum exinaniuit. Forma Dei autem non, vt Patres quidam, itemque Pontificii, v. c. BELLARMINVS, *lib. I de Chriſto, cap. VI, § 36, p. 149,* Reformati, et alii nonnulli interpretes ſentiunt, ipſam naturam, ſeu eſſentiam diuinam, ſignificat, quippe quae, vt de μορφῆς Θεοῦ, haud conueniente ei, appellatione ne dicam, in toto exinanitionis ſtatu, cum aſſumta humana natura, vi vnionis perſonalis, inſeparabiliter coniuncta manſit: ſed per formam Dei, ſtatus glorioſus diuinus, in quo Chriſtus, ſecundum humanam naturam, reſpectu maieſtatis diuinae, per vnionem hypoſtaticam, carni ipſius communicatae, extitit, denotatur. Eodem nimirum modo,

quo μορφὴ δούλου, quam Christus aſſumſiſſe mox dicitur, non ipſam naturam humanam, ſed ſtatum et conditionem ſeruilem deſignat, vi oppoſitionis, μορφὴ Θεοῦ non de natura diuina, ſed de ſtatu et conditione diuina, ex maieſtatis diuinae poſſeſſione reſultante, diuinamque ſupponente naturam, eſt accipienda. Iamque, hac ipſa maieſtate Christum plenarie vti noluiſſe, Apoſtolus teſtatur. Ita enim pergit: Chriſtus IESVS, in forma Dei exiſtens, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, *non rapinam duxit, eſſe aequalem Deo.* Inter tot, tamque diuerſas, quae extant, horum verborum expoſitiones, illas quidem, quae ſunt κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, pleraſque omnes haud incommodum ſenſum reddere, fatemur; eas in primis, vbi τὸ ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι ita exponitur, vt Chriſtus, *non pro rapto,* i. e. re aliena, minimeque ſibi conueniente, *duxiſſe,* vel, *pro re, ad vſurpationem arripienda,* τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, *habuiſſe,* intelligatur. Attamen ſcopo Apoſtoli, et orationis ſeriei conuenientiſſimam eam eſſe arbitramur interpretationem, qua voci ἁρπαγμὸς, is, qui apud ſcriptores Graecos paſſim obuius eſt, et quo ſpolium, praedamue notat, qualem triumphantes ſolemni pompa circumferre, et oſtentare olim ſolebant, tribuitur ſignificatus; vt ſenſus ſit: Chriſtum, cum in forma Dei, hoc eſt, glorioſo maieſtatis diuinae ſtatu, eſſet, non ſpolii, quod oſtentatur, loco habuiſſe τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, τὰ

ἑαυτοῦ videlicet ἰδιώματα, neque adeo carni ſuae communicata attributa diuina ἐνεργητικὰ vſurpare voluiſſe, ſed plenario illorum ſeſe abdicaſſe vſu. Atque hoc illud eſt, quod ſequentibus verbis Apoſtolus docet, vbi *formalem* exinanitionis Chriſti *rationem* deſcribit. Ἀλλ' ἑαυτὸν, inquit, ἐκένωσε *ſed ſemet ipſum exinaniuit*. De κενώσεως obiecto, quod, ἀπὸ κοινοῦ hic repetendum, eſt ἡ μορφὴ Θεοῦ, *forma Dei*, iam diximus. Quandoquidem autem maieſtatem diuinam, quoad κτῆσιν in ipſo humiliationis ſtatu, vt ſupra oſtendimus, ſemper Chriſtus habuit, per ſe patet, κένωσιν hanc non de omnimoda maieſtatis diuinae euacuatione, ſed de abſtinentia a plenario et perpetuo attributorum ἐνεργητικῶν vſu eſſe intelligendam. *Libere* illo ipſo Chriſtum ſeſe abdicaſſe, phraſi Paulina: ἑαυτὸν ἐκένωσε *ſemet ipſum exinaniuit*, ſignificatur. *Realem* autem eam fuiſſe abdicationem, non per κρύψιν aliquam exponendam, nec occulto tantum, et clandeſtino modo, attributa ἐνεργητικὰ, intuitu huius vniuerſi, Chriſtum exercuiſſe, quod de illa ab Apoſtolo adhibetur, verbum κενόω. manifeſtum reddit. Ad formalem itidem exinanitionis Chriſti rationem, ſtatus ſeruilis, infirmitatumque humanarum, et grauiſſimorum laborum, dolorum ac perpeſſionum pertinere ſuſceptionem, Paulus confirmat, dum addit: μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος,

καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος ἄχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ, *forma ſerui ſumta, hominum ſimilis factus, et habitu inuentus vt homo, humiliauit ſe ipſum, obediens factus vſque ad mortem, et mortem quidem crucis.* Per *formam ſerui*, quam Chriſtus ſumſiſſe dicitur, haudquaquam naturam deſignari humanam, liquido cognoſcitur ex eo, quod λῆψις illius filio Dei incarnato, ſeu Chriſto θεανθρώπῳ, tribuatur, quodque in exaltatione, quae exinanitionem inſecuta eſt, formam ſerui, non autem humanam depoſuerit naturam. Vid. *F. C.* p. 608. Quem ad modum igitur μορφὴ θεοῦ ſtatum maieſtatis diuinae glorioſum, in quo Chriſtus extitit, indicat; ita μορφὴ δούλου, quam ex liberrima voluntate accepit, ſtatum et conditionem ſeruilem, id eſt, humilem, abiectam, et cum infimae ſortis hominibus communem, notat. Pari modo ὁμοίωμα, quod ſequitur, ἀνθρώπων, *ſimilitudo hominum*, non de naturae et eſſentiae ſimilitudine, ſed de congruentia qualitatum intelligi debet; eoque ſignificatur, Chriſtum aliis hominibus, quoad affectiones, infirmitateſque humanas, eas videlicet, quae ſunt χωρὶς ἁμαρτίας, ſimilem fuiſſe factum, tum vero etiam variis vitae huius, iis maxime, quae pauperes premunt, incommodis ſe ſubieciſſe. Additur, σχήματι, *habitu, compertum eum fuiſſe vt hominem*, id eſt, in conuerſatione,

ſtatione, conuictuque, ita ſe geſſiſſe, vt inter ipſum et hominem quemuis *vulgarem* nullum deprehenderetur diſcrimen. Summae huius et admirabilis humiliationis, exinanitioniſque Chriſti *cauſam* Apoſtolus ſubiungit, ideo illam Seruatorem noſtrum ſubiiſſe, docens, vt obedientiam, ad generis humani redemtionem ſaluationemque neceſſariam, Patri praeſtaret; quam ipſam adeo morte ſua, et morte quidem crucis, conſummauit.

Errorum notatio.

Confirmatae hoc modo verae atque orthodoxae de Chriſti exinanitione doctrinae aduerſantur omnes illi, qui vel de perſona Chriſti exitiales fouent errores, vel humanae ipſius naturae maieſtatem diuinam, per vnionem perſonalem, communicatam fuiſſe, inficiantur. Ad primam claſſem pertinent *Sociniani*, qui, ſummam aeternamque Chriſti negantes Deitatem, et pro nudo homine ipſum habentes, deſcriptam ab Apoſtolo exinanitionem eius ita exponunt, nempe, quod Chriſtus, „poſtquam, inſtar Dei, opera „effecerit diuina, factus ſit tanquam ſeruus „et mancipium, cum vltro ſe rapi, vinciri, „caedi et occidi permiſerit.“ Vid. *Catecheſis Racou. qu. 149, p 267, edit. Oederi.* GE. ENIEDINVS, *l. ſ. c. p 324, et ſeqq.* impium addidit commentum, vbi nimirum Chriſtum eam ob cauſam ita ſe humiliaſſe, ait, vt a Deo

ipſi deſtinatae regiae maieſtati, imperioque Iudaico, a quo vero occupando de induſtria abſtinuerit, nouum imperium, regnum ſcilicet gentium, adiiceretur. In altera claſſe, praeter *Pontificios* quoſdam, ſunt *Reformati*, quippe qui, exinanitionis Chriſti rationem formalem in maieſtatis diuinae, carni ipſius communicatae, vſus plenarii abdicatione conſiſtere, ex falſa hypotheſi ſua admittere nequeunt. Hinc plerique eorum dictum Apoſtoli, per manifeſtam ψευδερμηνείαν, ita interpretantur, ac ſi κενώσεως ſubiectum ſit filius Dei ἄσαρκος, et per μορφὴν θεοῦ natura diuina, per μορφὴν δούλου autem humana deſignetur natura; et huius adeo aſſumtionem, ſeu incarnationem filii Dei, ad Chriſti referunt exinanitionem. Vid. praeter caeteros, M. F. WENDELINVS, *Chriſt. Theol. ſyſtem. mai. lib. I, c 18, th. 2.*

Inter theologos quoſdam noſtrates, ſuperiore ſeculo, acriter diſputatum fuit de vera exinanitionis Chriſti ratione, ſpeciatimque de attributorum diuinorum ἐνεργητικῶν, humanae Chriſti naturae communicatorum, in ſtatu humiliationis, ſiue exinanitionis, vſu; num videlicet, quoad carnem ſuam tantum, an vero etiam, intuitu huius vniuerſi et eccleſiae ſuae, illo ſeſe abdicaverit Chriſtus? Prius affirmarunt *Tubingenſes* theologi, nominatim LVC. OSIANDER, MELCH NICOLAI, et THEOD. THVMMIVS, et, in ordine ad hoc vniuer-

vniuerſum, plenarie atque inceſſanter, ſed occulto et clandeſtino modo, maieſtatem diuinam Chriſtum vſurpaſſe, ſtatuerunt. Contra illos *Gieſſenſes* theologi, in primis BALTH. MENZERVS, et IVST. FEVRBORNIVS, attributorum diuinorum plenario vſu, vniuerſi huius etiam intuitu, Chriſtum re vera ſe abdicaſſe, affirmarunt. Ad horum ſententiam acceſſerunt theologi *Saxonici*, et publica auctoritate, a. 1624 et 1625, editis ſcriptis, eandem comprobarunt. Controuerſiae huius hiſtoriam, et, quae ad eam ſpectant, ſcripta recenſet I. G. WALCHIVS, *in der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Ev. Lutheriſchen Kirchen, P. I, c. 4, § 106, et ſeqq.* et *P. IV, c. 4, § 9, p. 551, ſqq.* vbi etiam alios, qui de hac controuerſia expoſuerunt, refert. Quam turpiter illi, qui praeexiſtentiam animae Chriſti ſtatuunt, hancque in angelicam naturam transformant, dictum Apoſtoli claſſicum ad errorem ſuum detorqueant, oſtendimus, idque a deprauatione eorum vindicauimus, in *commentatione noſtra paſchali, p. p. a. 1741.*

THESIS XI

Exaltatio Chriſti in eo conſiſtit, quod Chriſtus θεάνθρωπος, ſecundum humanam naturam, maieſtatis diuinae vſum plenarium, quo tantiſper ſe abdicauerat,

rat, ſuſcepit, ſeruique formam, cum omnibus carnis infirmitatibus, prorſus depoſuit.

Vid. *Form. Conc. II. l. cit.*

Expoſitio, et confirmatio.

Exinanitionis cognita, perſpectaque ratione, in quonam exaltatio conſiſtat, ob mutuum, qui inter hanc et illam eſt, reſpectum, facile intelligitur. Etenim vtriuſque, tam exinanitionis, quam exaltationis, vnum idemque eſt tum *ſubiectum quod*, nempe Chriſtus θεάνθρωπος, tum *ſubiectum quo*, humana videlicet ipſius natura. Et quem ad modum per id Chriſtus ſe ſe exinaniuit, quod plenario et inceſſante maieſtatis diuinae, carni ſuae communicatae, ſeſe abdicauerit vſu, ſeruilemque conditionem et humanas aſſumſerit infirmitates; ita plenarii attributorum diuinorum ἐνεργητικῶν vſus ſuſceptio, et ſeruilis conditionis, infirmitatumque carnis depoſitio *formalem* exaltationis Chriſti conſtituit *rationem*. Exaltationis huius ſuae ſtatum Chriſtus primum ingreſſus eſt, vbi, viuificatus, ad inferos deſcendit, et a mortuis reſurrexit; tum vero aſcenſione ſua in coelos, et ſeſſione ad dexteram Patris, faſtigium ei impoſuit.

De

De Chriſti exaltatione PAVLVS eodem illo, quo exinanitionem eius deſcribit, dicto claſſico, *Philipp. cap II*, agit. Poſteaquam enim de exinanitione dixerat, *v 9*, exaltationem his enarrare aggreditur verbis: Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, *Indeque Deus ſumme ipſum exaltauit.* Nempe particula διὸ, hic, vt ſaepe alias, v. c. *Act. X*, *29*; *XIII*, *36*; *Rom. XV*, *22*; *Eph. IV*, *8*, et caet. ordinis ſignificationem habet, et exaltationem, vt conſequens exinanitionis, indicat; nequaquam vero, ex BELLARMINI, *lib. V de Chriſto*, *c. 9*, *p. 271*, et aliorum Pontificiorum, itemque Reformatorum quorundam, et Socinianorum ſententia, cauſaliter eſt accipienda, vt Chriſtus, exaltationem ſibi promeruiſſe, intelligatur; ſiquidem omne Chriſti meritum ad noſtram vnice ſpectat ſalutem, nec ipſe cauſam habuit, quare ſibi aliquid promereretur. Deo autem cum Chriſti adſcribitur exaltatio, pro actu ea ſumitur, eoque effectiue ſpectato; quo adeo modo illa ipſa Deo triuno, ſpeciatimque Deo Patri, competit, *Eph. I. 20*; *Pſ. VIII*, *6*, *ſqq.* terminatiue ad Chriſtum ipſum referenda. Exaltatio, verbo ὑπερύψωσε, *ſuperexaltauit*, ab Apoſtolo exprimitur, eoque, ad plenarium maieſtatis diuinae, quem Chriſtus, ſecundum humanam naturam, ſibi vindicauit, vſum, et ad glorioſiſſimum, in quem euectus fuit, ſtatum habito reſpectu, excelſiſſima illius indicatur

ſublimitas. Ad eandem declarandam, quae ſequuntur, Apoſtoli pertinent verba: *καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, κ. τ. λ.* *et donauit ei* (Deus) *nomen, quod eſt ſupra omne nomen*, et rel. quippe quibus, ſummam Chriſti poteſtatem, gloriamque a Deo Patre manifeſtatam, ipſumque propter ea ab omnibus creaturis religioſiſſime colendum, adorandumque eſſe, ſignificatur. Cum inter exinanitionem et exaltationem Chriſti ea ſit relatio, vt, quemadmodum oſtendimus, ab illius orthodoxa explicatione vera huius pendeat cognitio, facile hinc intelligi poteſt, quinam ſint, qui noſtrae de Chriſti exaltatione aduerſantur doctrinae. Hi nimirum illi ipſi ſunt, quorum de exinanitione Chriſti ſupra notauimus errores, *Antitrinitarii*, in primis, itemque *Caluiniani*.

THESIS XII

Ad ſtatum exaltationis pertinet deſcenſus Chriſti ad inferos, qui glorioſus eſt actus, quo Chriſtus θεάνθρωπος, poſt ſepulturam, inſecutamque viuificationem, in infernum vere ac realiter deſcendit, ſeque, vt victorem mortis atque inferorum, manifeſtauit.

Vid. *Form. Conc.* art. IX. *Epit.* p. 613. *Declar.* p. 788.

Expo-

Expoſitio, et confirmatio.

De deſcenſu Chriſti ad inferos ſingularem proponimus theſin, quia in *Formula Concordiae* de illo ipſo ſpecialiter *articulo* agitur *nono*. Articuli huius, et controuerſiae, quae condendo ei cauſam dedit, hiſtoriam breuiter enarrauimus in *capitis huius ſectione I, § IIII.* Nunc ipſa Formulae Concordiae de deſcenſu Chriſti ad inferos doctrina, quam theſis noſtra refert, a nobis eſt explicanda. Cumque ad dictum, *1 Petr. III, 18, ſq.* cum maxime conformata ea ſit, *ϑέσεως* expoſitioni *βεβαίωσιν* ex dicto Petrino ſtatim adiungere, placet. Ad exaltationis ſtatum Chriſti ad inferos referendum eſſe deſcenſum, *περιστάσεις* eius omnes, ſigillatim iam conſiderandae, teſtatum reddunt. Eo etiam diſerte is refertur in *Aug. Confeſſ. articulo III, p. 10*, vbi inter actus, ad exaltationis pertinentes ſtatum, deſcenſus Chriſti ad inferos primo ponitur loco. *Subiectum quod*, vt *F. C. p. 788*, ait, ſuoque PETRVS, *l. c. v. 18*, teſtimonio confirmat, *tota* Chriſti eſt *perſona*, *Deus et homo*; ſiue Chriſtus *ϑεάνϑρωπος*. De *ſubiecto quo* non conuenit inter noſtrates. Quandoquidem enim deſcenſum Chriſti ad inferos alii vt actum meritorium, ſeu *ἀποτέλεσμα* officii regii, alii praeciſe vt actum exaltationis conſiderant; hinc illi vtramque naturam, hi autem humanam tantum, *ſubiectum*

eius

eius *quo* conſtituunt. Id vtique certum eſt, Chriſtum, ſecundum humanam naturam, quoad animam et corpus ſpectatam, ad inferos deſcendiſſe, ſiquidem; teſte PETRO, ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι, *viuificatus ſpiritu*, adeoque coniuncta iterum cum corpore anima, ad inferos eſt profectus. Atque hoc ipſo etiam deſcenſus huius deſignatur *tempus*; illumque, poſt viuificationem in ſepulchro, contigiſſe, et reſurrectionem, κατ' ἐξοχὴν ſic dictam, ſiue reſurrectionis manifeſtationem, proxime anteceſſiſſe; indicatur. *Locus*, in quem Chriſtus deſcendit, *inferorum* nomine appellatur, eſtque ποῦ damnatorum. A PETRO φυλακὴ vocatur, propterea quod in illo, tanquam in carcere, diaboli et animae damnatorum detinentur. Conf. *Matth. V, 25; 2 Petr. II, 4; Iud v. 6.* *Actus* ipſe verbo πορεύομαι in dicto Petrino denotatur; indeque conficitur, re vera, motu locali, Chriſtum in infernum ſeſe contuliſſe, ac proprie adeo, non figurate, vel effectiue, hunce Chriſti deſcenſum intelligendum eſſe, atque explicandum. Ad *finem* denique quod attinet, ideo Chriſtus ad inferos deſcendiſſe dicitur in theſi noſtra, vt ſeſe mortis atque inferorum victorem et expugnatorem demonſtraret. Hoc enim ſenſu *Formulae Conc.* verba, *p. 613, et 788*, accipienda eſſe, ſupra *ſect. I, § IIII, p. 276*, monuimus. Eandem in ſententiam PETRVS, τὸν Χριςὸν τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πο-

πορευθέν-

πορευθέντα κηρύξαι, κ. τ. λ. *Chriſtum* (ad inferos) *profectum*; *ſpiritibus in carcere praedicaſſe*, dicit; ſi quidem non euangelicam, diabolis videlicet et animabus damnatorum haudquaquam conuenientem, ſed legalem ac terrificam, ſeu realem potius, verbo κηρύσσειν ſignificat praedicationem.

Errorum notatio.

Deſcenſum Chriſti ad inferos omnes quidem, quotquot ſymbolum apoſtolicum admittunt, aſſenſione ſua comprobant, ſed in illo ipſo exponendo longe maxima, vt in *ſectione I*, *§ IIII*, iam notauimus, inter eos deprehenditur diſſenſio. Veterum eccleſiae doctorum complures ad animam Chriſti tantum deſcenſum hunc referunt, tum vero in eo maxime errant, quod Chriſtum ideo in infernum deſcendiſſe aiunt, vt animas hominum, vel omnium, vel iuſtorum ſaltem, inde educeret, atque in libertatem vindicaret. Errorem hunc doctores ſcholaſtici, nec tamen iidem prorſus inter ſe conſentientes, indeque *Pontificii* adoptarunt, qui, confictis quatuor inferni locis ſubterraneis, animam Chriſti, a corpore ſeparatam, ad illos omnes deſcendiſſe, et ex commentitio patrum limbo iuſtorum animas eduxiſſe, atque in coelum deduxiſſe, ſtatuunt. Vid. *Catechiſm. Rom. P. I, p. 49, ſqq. ed. Par. 1661*, et BELLARMINVS, *lib. IV de Chriſti anima, c. 12, et caet. p. 250 ſeqq.*

Soci-

Sociniani et *Arminiani* improprium, eumque hypotheſibus ſuis conuenientem, deſcenſui Chriſti ad inferos attribuunt ſenſum. Metaphoricum itidem ſenſum *Reformati* amplectuntur plerique omnes, in eodem autem enarrando, variae et diſcrepantes eorum ſunt ſententiae. In *Catechiſmo Palatino, qu. XLIV, p. m. 247*, ex mente CALVINI, deſcenſus Chriſti ad inferos de anguſtiis, cruciatibus et terroribus, quos Chriſtus, tum ante crucifixionem, tum maxime in cruce pendens, animo pertulit, explicatur. Contra ea Reformatorum alii, per deſcenſum illum, ſepulturam, alii ſtatum animae poſt mortem, alii totum exinanitionis ſtatum denotari, volunt, alii aliter illum interpretantur. Omnes atque ſingulas eorundem, aliorumue ſententias curatius recenſere atque refellere, nimis longum foret; idque ipſum ii maxime, qui, integris tractatibus, diſſertationibuſue, de hoc articulo commentati ſunt, abunde praeſtiterunt. Add. IO. AVGVSTINVS DIETELMAIERVS, qui, ſingulari libro, Norimbergae, a. MDCCXXXXI, edito, *hiſtoriam dogmatis de deſcenſu Chriſti ad inferos litterarium* conſcripſit. Hinc nec ea repetere volumus, quae noſtratium quidam, ante conditam Formulam Conc., de animae Chriſti in infernum, ad ſufferendos in eo dolores infernales, deſcenſu abſone docuerunt; nec, quae alii nonnulli, a F. C., quoad hunc articulum, diſce-

diſcedentes doctrina, proponere atque defendere inſtituerunt, referre iuuat, deſcenſus Chriſti ad inferos expoſitiones. Cum antitheſin articulo huic non adiecerint Formulae Conc. auctores, qua aliter ſentientes damnentur, hinc IOH. MVSAEVS, in *praelect. in Epit. F. C. p. 322*, haereſeos incuſandum non eſſe, arbitratur, eum, qui hoc in articulo aliud ſentit, dummodo de perſona et maieſtate Chriſti in caeteris catholica retineatur fides. Attamen illum, qui F. C. ſententiam ſequitur, tutiſſime agere, addit.

THESIS XIII

Triplex Chriſti eſt officium: propheticum, ſacerdotale, et regium.

Vid. *Aug. Conf. art. III.*

Expoſitio, et confirmatio.

Cum πιστὸς καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος ſit ὁ λόγος, Chriſtum IESVM veniſſe in mundum, ſiue, filium Dei humanam eum in finem aſſumſiſſe naturam, vt homines peccatores ſaluaret, *1 Tim. I, 15*; eo ipſo etiam vt certum et indubitatum ponitur, ad mediatoris inter Deum et homines, in aeterno pacis conſilio ſuſceptum, officium exequendum, filium Dei in carne apparuiſſe; ſiquidem, vt amiſſam generi humano reſtitueret ſalutem,

in

in aſſumta humana natura, quae ad id efficiendum neceſſario requirebantur, omnia Chriſtum oportuit praeſtare. Ea videlicet hominum eſt conditio, vt ſalus eorum pluribus modis ab ipſo fuerit procuranda. Etenim, cum homines natura ſint filii irae, Deique inimici, (*Eph II, 3; Rom. V, 10,*) primum omnium ac praecipuum generis humani ſaluatoris officium erat, vt crimina eorum atque peccata, plenariam pro iiſdem laeſae iuſtitiae diuinae praeſtando ſatisfactionem, expiaret, atque hoc modo Deo illos reconciliaret. Porro, cum iidem, quoad res ſpirituales, ſint ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ (*Eph. IV 18; V, 8,*) neceſſe erat, vt Chriſtus, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν (*Ioh I, 9,*) docendo, mentes eorum illuminaret ad cognitionem ſalutis, merito ſuo partae, in remiſſione peccatorum, ac pedes ipſorum dirigeret in viam pacis. (*Luc. I, 77, 79.*) Cum denique in via ſalutis conſtituti, ſiue credentes in Chriſtum, hoſtium variorum expoſiti ſint inſidiis, tentationibusque, vt ne fidei ſalutiſque faciant iacturam, a Chriſto eos regi, defendi, et in fide, ad finem vitae vſque, conſeruari, oportet. Ex quo adeo apparet, *triplex* omnino Chriſti eſſe *officium*, *ſacerdotale*, quod in proprio ſtrictoque ſenſu *mediatorium* dicitur, *propheticum*, atque *regium*. Triplicis huius officii vel ipſum nomen χριστὸς, quod Hebraeo משיח reſpondet, et *vnctum* ſignificat, argumentum praebet;

quippe

quippe quo Saluator noſter, habito ad vnctionem ipſius in prophetam, ſacerdotem et regem, reſpectu, appellatur. Haecce Seruatoris noſtri unctio, cuius ratio ex eo, quod apud Hebraeos olim et prophetae, et ſacerdotes, et reges vncti, eoque ad officium ſuum obeundum conſecrati fuerint, repeti ſolet, et quidem ad munus propheticum, *Ieſ. LXI, 1, coll. Luc. IV, 18*, ad munus ſacerdotale, *Pſ. XC, 4, coll. Hebr. V, 5, 6, etc.* ad munus regium, *Pſ. II, 6, et XLV, 8*, commemoratur. Vberius triplex illud Chriſti officium iis ſacrarum litterarum confirmatur dictis, quibus prophetae, ſacerdotis et regis non nomina ſolum, ſed etiam officia ipſi attribuuntur. Ita Chriſtum prophetae nomine deſignauit Moſes, *Deut. XVIII. 15, coll Act. III, 22, VII, 37*; idque nomen in diebus carnis ſuae ipſe ita ſuſtinuit, vt re vera ſeſe praeſtiterit ἄνδρα προφήτην, δυνατὸν ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, *Luc. XXIV, 19*, populuſque Iudaicus, ex doctrina et miraculis, magnum illum, a Moſe promiſſum, eum agnouerit prophetam. *Luc VII. 16; Ioh. VI, 14.* Sacerdos diſerte vocatur, *Pſ. CX, 4; Hebr. IV, 14:* ſacerdotium autem Chriſti, in *epiſtola ad Hebraeos*, peregregie deſcripſit apoſtolus Paulus. De regia eius dignitate atque poteſtate luculenta in *Pſalmis*, et apud *Ieremiam*, c. *XXIII, 5, 6*, etc. vaticinia extant. Conf. *Luc. I, 33*, et *Ioh. XVIII, 37*, vbi regem ſe eſſe, ipſe profitetur, ſimulque regni ſui indolem declarat.

Noſtratium quidem theologorum nonnulli, vt LEONH. HVTTERVS, in *comp. th. loc. III, qu 35*, et IAC. MARTINI, *partit. th disp. XVI, th. 1*, aliique, duplex Chriſti conſtituunt officium, *ſacerdotale* et *regium*; ad prius illud nimirum *propheticum* referentes, eo quod ſacerdotes, vt ex *Malach. II, 9*, apparet, docendi quoque munere fuerint functi. Sed cum prophetarum in V T. peculiare fuerit genus, hanc, aliaſque ob cauſas, tripartita vtique ſeruanda eſt diuiſio. Quandoquidem autem de officio Chriſti prophetico ſpeciatim, nec in Aug. Conf. articulo tertio, nec alias in libris noſtris ſymbolicis agitur; hinc, pro inſtituti noſtri ratione, de ſacerdotali tantum, ac regio Chriſti officio curatius exponemus.

THESIS XIV

Sacerdotale Chriſti officium duabus conſtat partibus: ſacrificii oblatione, qua Chriſtus θεάνθρωπος ſe ipſum, vt victimam piacularem, obtulit, hocque ſacrificio ſuo pro totius generis humani peccatis ſatiſfecit; et interceſſione.

Vid. *Aug. Conf. art. III, p. 10; art. XXI. p. 19; Apol. A. C. XII, p. 254, ſq. Catech. min. p. 371; Form. Conc. art. III, Epit. p. 584; Declar. p. 696, ſq.*

Expo-

Expoſitio, et confirmatio.

Quem ad modum ſacerdotum V. T. et in primis ſacerdotis ſummi, qui *τοῦ ἀρχιερέως τοῦ μεγάλου, magni noſtri pontificis*, IESV Chriſti, typum geſſit, officii ratio cum maximo in *ſacrificii* conſtitit *oblatione*, atque *intercesſione*, (vid. *Leuit. c. XVI.*) ita etiam eaedem illae ſacerdotalis Chriſti officii ſunt partes. In eo autem, quoad primam officii huius partem, inter ſacerdotes V. T. et ſummum N. T. ſacerdotem ſingulare intercedit diſcrimen, quod, cum illi victimas, ita, vt lege Dei cautum erat, comparatas, diuinituſque praeſcripto ſacrificarent modo, Chriſtus et ſacerdos, et ipſa fuerit victima immolata. Etenim, teſte Apoſtolo, Chriſtus *ſemet ipſum pro nobis tradidit προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, oblationem et ſacrificium Deo, in odorem bonae fragrantiae*, *Eph. V. 2.* Conf. *Hebr. VII, 27; IX, 12, 14; etc.* Eam vero Chriſtus Deo ſe ipſum ſtitit, obtulitque victimam, quae, vt *Aug. Confesſio, art. III*, ait, „hoſtia fuit non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis," hoc eſt, vere piacularis, *ἱλαστική*, ac re ipſa peccatorum, per ſacrificia V. T. *τυπικῶς* adumbratam, praeſtans expiationem. Hanc ob rem IESAIAS, c. *LIII*, v. 10, ſacrificium, quo Chriſtus ſe ipſum immolauit, vocat אָשָׁם, quae vox *beſtiam pro delictis*

ctis notat; eodemque ſenſu, *περὶ ἁμαρτίας*, *Rom. VIII, 3*, et *ἁμαρτία*, *2 Cor. V, 21*, illud ipſum appellatur. Vt adeo Chriſti ſacrificium, quemadmodum *Aug. Conf. Apologia*, *p. 254. ſq.* ex adductis Ieſaiae et Pauli locis demonſtrat, vnicum in mundo ſit ſacrificium propitiatorium, cuius oblatione vnicus inter Deum et homines mediator, Chriſtus IESVS, plenariam pro totius mundi peccatis praeſtitit ſatiſfactionem. Singularem haec, ſacrificio ſuo a Chriſto praeſtita, ſatiſfactio, in qua τὸ τῆς σωτηρίας κεφάλαιον conſiſtit, cum depoſcat conſiderationem, ſpeciatim de illa in ſequente agemus theſi.

Altera pars officii Chriſti ſacerdotalis eſt *interceſſio*. Hac Chriſtus θεάνθρωπος non ſolum in exinanitionis functus eſt ſtatu, ſed etiam nunc in ſtatu exaltationis illam pergit: id quod clariſſima Scripturae S. dicta, *Rom. VIII, 34; Hebr. VII, 25; IX, 24; 1 Ioh. II, 1*, teſtantur. Hinc Aug. Confeſſio, in *art. XXI*, *p. 19*, quo, in eccleſia Romana vſitata, ſanctorum inuocatio, vt ἀντίγραφος, reiicitur: „Scriptura, inquit, vnum Chriſtum nobis „proponit mediatorem, propitiatorium, pon„tificem, *interceſſorem*.“ Eum autem in modum, qui maieſtati ipſius conuenit, re tamen vera, Chriſtus in coelis apud Deum Patrem pro hominibus intercedit, idque eum in finem, vt, vi meriti ſui, ad vitam maxime ſpiritualem, et ad aeternam inde obtinendam

ſalutem neceſſaria omnia illi conſequantur. Quanquam autem, quod ex officii Chriſti mediatorii, meritique vniuerſalitate patet, haec ipſius interceſſio ad omnes pertinet homines, ſpeciale tamen illius obiectum conſtituunt fideles, et pro his quidem, vt in vera conſeruentur fide, pro infidelibus autem, vt, per ſeriam poenitentiam, ad Deum conuertantur, orat. Perperam igitur ex eo, quod Chriſtus, *non pro mundo, ſed pro iis quos Pater ipſi dedit, rogare ſe*, dicit, *Ioh. XVII. 9*, pro ſolis electis eum orare, arguunt *Reformati*; cum alio ſaltem pro fidelibus, ac pro caeteris hominibus, modo Chriſtum intercedere, inde intelligatur.

THESIS XV

Satiſfactio, quam Chriſtus, vi officii ſui ſacerdotalis, vt mediator inter Deum et homines, ſecundum vtramque praeſtitit naturam, cum perfectam obedientiam, qua legem pro hominibus impleuit, tum poenarum, ab iiſdem promeritarum, complectitur perpeſſionem: et in eo adeo conſiſtit, quod Chriſtus, obedientia hac ſua, actiua et paſſiua, totius generis humani pleniſſime expiauerit peccata, ſicque laeſae iuſtitiae di-

uinae pro iiſdem ſatisfaciendo, omnibus ac ſingulis hominibus gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, et ſalutem promeruerit aeternam.

Vid. LL. Symbolici, locis ſupra citatis.

Expoſitio, et confirmatio.

Quanquam ipſa *ſatiſſactionis* vox, verbumque *ſatiſſacere*, quod, vi etymi, idem eſt, ac facere, quod alicui ſatis eſt, vel ſufficit, vt eo quis contentus ſit, et cui τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι apud ſcriptores Graecos, et *Marc. XV, 15*, reſpondet, in ſacris litteris de Chriſti ſatiſſactione non vſurpatur, aequipollentibus tamen et περιφραστικοῖς verbis, id, quod hac ipſa denotatur, nempe per τὸ *exſoluere non raptum*, *Pſ. LXIX, 5*; *impoſitum ſibi habere* מוסר שלמינו, *Ieſ. LIII, 5*; δοῦναι ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, *1 Tim. II, 6*; itemque per voces: δικαίωμα, *Rom V, 18*; ἀπολύτρωσις *Rom. III. 24*; *Eph I, 7*, aliaſque plures ſignificatur. Tum vero, quae ad verae, omnibuſque numeris abſolutae ſatiſſactionis rationem pertinent, de Seruatore noſtro cuncta praedicantur.

Satiſſactionis huius *principium quo* vtraque, diuina et humana, Chriſti eſt natura. Quandoquidem enim Chriſtus θεάνθρωπος, vt

ut mediator noster, eximie ſic dictus, cuius nimirum erat, pacem inter Deum et homines conciliare, illam ipſam, teſte Apoſtolo, 1 *Tim. II, 5, 6*, praeſtitit ſatiſfactionem; conſequitur, ad id, quod eam in rem ab ipſo requirebatur, peragendum, diuinam et humanam naturam coniunctim agere debuiſſe. Nam, vt *Formula Conc. art. III, p. 696*, vere ait, „humana natura ſola, ſine diuina, aeterno, „omnipotenti Deo, neque obedientia, neque „paſſione, pro totius mundi peccatis ſatiſ„facere valuiſſet; diuinitas vero ſola, ſine „humanitate, inter Deum et nos, mediatoris „partes implere non potuiſſet." Huc referenda ſunt, de tertio communicationis idiomatum genere, *th. VIII*, a nobis dicta, vbi, ad officii mediatorii opera, ἀποτελέσματα quae vocantur, vtramque concurrere naturam, ex inſtituto demonſtrauimus. Is, cui Chriſtus ſatiſfecit, Deus eſt triunus, vt iuſtiſſimus ſpectandus iudex, ſecundum infinitae iuſtitiae ſuae rigorem, infiniti valoris exigens pretium, ad redimendum genus humanum; ſpeciatim Deus Pater, quippe cui, vi quaſi pacti, Chriſtus, tanquam ſponſor noſter, pro peccatis noſtris ſatiſfacere, tenebatur. Vid. *Rom. III, 25*; *Ieſ. LIII, 6*; *Pſalm. XL, 8. 9.*

Formalis ſatiſfactionis Chriſti *ratio* in obedientia ipſius, cum actiua, tum paſſiua, conſiſtit. Etenim, cum homo, poſt lapſum, et

 ad

ad poenas peccatorum luendas, et ad perfectam legi diuinae obedientiam praeſtandam, obſtrictus ſit, obligationi autem huic Chriſti reſpondeat ſatiſfactio, quippe quae totius debiti noſtri pleniſſima et ſufficientiſſima eſt ſolutio, Chriſtus, noſtris in ſe ſuſceptis, ſibique imputatis peccatis, non ſolum, per obedientiam ſuam paſſiuam, promeritas a nobis, legis transgreſſoribus, ſuſtinuit poenas, ſed etiam, per obedientiam ſuam actiuam, noſtro loco legem perfectiſſime impleuit. *Actiuae* huius Chriſti *obedientiae* luculenta teſtimonia extant, *Rom. V, 19; VIII, 3, 4; X, 4; Gal. IV, 4, 5*, etc. *Paſſiua*, in qua ſacerdotium ipſius praecipue conſtitiſſe, apoſtolus, in *epiſtola ad Hebraeos, capite VII, et ſequentibus*, docet, quaque multa et maxima illa, quae vice noſtra Chriſtus perpeſſus eſt, mala, et acerbiſſimi, quos, vna cum teterrimo crucis ſupplicio, pro nobis pertulit, dolores, cruciatus, infernaleſque deſignantur angores, *Ieſa. XLIII, 24; LIII, 4, ſqq. Gal. III, 13*, confirmatur; tum vero etiam quampluſimis illis Scripturae S. comprobatur dictis, quae Chriſtum pro nobis paſſum, mortuumque eſſe, et ſanguinem ſuum effudiſſe, teſtantur.

Obiectum ſatiſfactionis, idque *perſonale*, omnes ſunt homines peccatores; *reale*, omnia eorundem peccata, horumque poenae, tam temporales, quam aeternae. Pro omnibus ac ſingulis hominibus ſanctiſſimum

Serua-

ſeruatorem noſtrum ſatiſfeciſſe, tam diſerte pronuntiat Scriptura S., vt id negantes aperiſſimae contradicant veritati. Pertinent huc dicta. quibus *omnes* expreſſe nominantur homines. pro quibus Chriſtus ſe ipſum dederit ἀντίλυτρον, *1 Tim. II, 6; Rom VIII, 32;* pro quibus vicariam ſubierit mortem, *2 Cor. V, 15; Hebr II, 9;* quorum, quoad ſalutis acquiſitionem, ſit ſaluator, *1 Tim IV, 10;* tum illa, quibus de toto dicitur *mundo*, quod ei filium ſuum dederit Deus, *Ioh. III, 16;* quod Chriſtus, vt victima piacularis, eius in ſe ſuſceperit, expiandoque ſuſtulerit peccata, *Ioh. I, 29;* quodque per ipſum, Deo is fuerit reconciliatus, *2 Cor. V 19; 1 Ioh. II, 2;* tum denique illa, quibus ad ipſos etiam reprobos, et ſua culpa pereuntes, redemtio Chriſti refertur, *2 Petr. II, 1;* conf. *Rom XIV, 15.* Ad reale ſatiſfactionis quod attinet obiectum, non pro culpa originis tantum, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis, Chriſtum ſatiſfeciſſe, vere docet *Aug. Confeſſio, art. III, p. 10,* itemque *de abuſ. mut. art. III, p. 25;* ſiquidem, redemtionis ſoluto pretio, nos redemit ἀπὸ πάσης ἀνομίας, *ab omni iniquitate*, ſeu quouis peccato, *Tit. II, 14.* Conf. *1 Ioh. I, 7; II 2; Rom. IV, 25; Hebr, I, 3, etc.* Nec pro culpa ſolum, ſed etiam pro poenis peccatorum noſtrorum omnibus, tam temporalibus, quam aeternis, Chriſtus ſatiſfecit. Etenim עליו מוסר שלמנו. *poena* peccatorum noſtro-

 rum

rum *ipſi ſuperimpoſita* fuit, vt *nos*, liberati ab ea, *pacem haberemus* cum Deo, *Ieſ. LIII, 5.* Itaque Seruator noſter, omnes in ſe ſuſcipiendo, ſufferendoque peccatorum noſtrorum poenas, ab ira Dei, maledictione legis, poteſtate diaboli, inferno et morte aeterna nos liberauit; *Rom. V, 9; Gal. III, 13; Hebr. II, 14:* contra ea, gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, vitamque et ſalutem nobis promeruit aeternam. Atque is ipſe totius Chriſti ſatiſſactionis, ex parte hominum, eſt *finis*, quippe qui in reconciliatione gratiae Dei, perfectaeque iuſtitiae et ſalutis aeternae acquiſitione conſiſtit. Vid. *Rom. V, 10; 2. Cor. V, 21; Ioh. III, 14 ſeqq. Hebr. V, 9;* et caet.

Errorum confutatio.

Poſteaquam veram eccleſiae euangelicae de ſatiſfactione Chriſti, ſummo ſtudio ſeruandam, expoſuimus doctrinam, ſimulque, firmiſſimo ſacrarum litterarum eam niti fundamento, oſtendimus, producendi iam ſunt illi, qui vel in vniuerſum eam negent, vel de formali eius ratione erroneam ſententiam fouent, vel ad ſolos electos eam reſtringunt, vel reale eiuſdem extenuant obiectum. Illorum enim, qui *principium* ſatiſſactionis *quo* humanam tantum Chriſti conſtituunt naturam, iam ſupra, *th. 8*, notauimus errorem. Primum igitur inter eos, qui ſatiſſactioni Chriſti cum maxime aduerſantur, locum tenent

nent deitatis Chriſti hoſtes, ſiquidem ob arctiſſimum, qui eſt inter doctrinam de ſatisfactione et deitate Chriſti, nexum, fieri aliter nequit, quin, hanc negantes, illam etiam impugnent. Id quod, praeter caeteros, exemplo ſuo teſtatum faciunt *Neo-Photiniani*. FAVSTVS SOCINVS, cum aſſeclis ſuis. Hi nimirum illi ſunt, qui ſacerdotale Chriſti officium, in vero et genuino acceptum ſenſu, reiicientes, ſatiſfactionem ipſius in vniuerſum negant. Impia SOCINI vox eſt: „Ego „quidem, etiamſi non ſemel, ſed ſaepe id in „ſacris monimentis ſcriptum extaret, (Chri„ſtum diuinae iuſtitiae pro peccatis noſtris „ſatiſfeciſſe,) non idcirco tamen ita rem „prorſus ſe habere crederem, vt vos opina„mini," *Diſp. de I. C. Seruatore P. III, c. 6, Opp. tomo II, p. 204.* Cum ipſe pariter, atque ſectatores eius, ad labefactandam, oppugnandamque ſatiſfactionem Chriſti, omnem in ſcriptis ſuis contulerint operam, tum ea, quae aduerſus illam afferunt, in compendio refert *Catecheſis Racouienſis, ſect. VI de morte Chriſti, p. 145 et ſeqq. edit. a. 1680,* editionis autem, a G. L. OEDERO ad primam recenſitae, *p. 735, ſeqq.* Et primum quidem generatim auctores illius, in *reſp. ad qu. 388,* „Chriſtum morte ſua nobis ſalutem meruiſ„ſe, et pro peccatis noſtris plenarie ſatiſfe„ciſſe, ſententiam fallacem et erroneam, et „admodum pernicioſam eſſe, pronuntiant.

Hinc,

Hinc, id ipſum, ſcilicet, probaturi, primum fallacem et erroneam illam eſſe, ad *qu. 389*, „inde perſpicuum eſſe, aiunt, quod non ſo„lum de illa nihil extet in ſcripturis, verum „etiam ſcripturis et ſanae rationi ea repu„gnet. Ita nimirum, errorum tenebris obcaecati, homines iſti, in clariſſima caecutiunt luce, de ſatiſſactione Chriſti nihil in ſcripturis cernentes, cum in his tam aperte illa ipſa declarata, et tot, tamque luculentis teſtimoniis confirmata exhibeatur, vt clariora ne optari quidem, deſiderariue poſſint. Sed haec quidem praefracte repudiantes, doctrinam de ſatiſſactione Chriſti non ἄγραφον ſolum eſſe, ſed etiam ſcripturis repugnare, dicunt. Qui vero Scripturae repugnat? Ad „eum, reſpondent, modum, quod ſcripturae „paſſim, Deum peccata hominibus gratuito „remittere, teſtentur. En impudentiam Socinianam! Ex eo, quod Scriptura, Deum gratis peccata remittere, teſtatur, ſatiſſactionem Chriſti illi repugnare, arguunt; eoque nomine ad dictum claſſicum, *Rom. III, 24, ſq.* prouocant, quod aperte ipſis aduerſatur, ſiquidem in eo cum gratia Dei ἡ ἀπολύτρωσις, ἡ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ expreſſe coniungitur, nosque, gratia Dei, propter redemtionem Chriſti IESV, dicimur iuſtificari, id eſt, remiſſionem conſequi peccatorum. Enimuero tantum abeſt, vt gratia Dei, qua remittuntur peccata, et ſatiſſactio Chriſti ſint oppo-

oppoſita; cum haec quoque gratiae Dei debeatur, vt potius et illa, et meritum Chriſti, fide apprehenſum, vt iuſtificationis noſtrae cauſae, in ſacris litteris iungantur atque copulentur. Hoc vero, ſecundum ἀκρίβειαν Socinianam, eſt, repugnare Scripturae, quod diſertis eiuſdem nititur pronuntiatis. Sed et ſanae rationi doctrinam de ſatiſſactione Chriſti repugnare, dicunt. Nempe rationi, male videlicet ſanae et corruptae, ex qua res ſpirituales et myſteria fidei iudicare ſolent Sociniani, doctrinam hancce aduerſari, ſalua coeleſti eius veritate, largimur; nihilque adeo moramur quae eam in rem proferunt homines, διεφθαρμένοι τὸν νοῦν, Deitatem Chriſti, et mediatorium ipſius officium negantes. Pernicioſam denique illam ipſam eſſe doctrinam, probant, eo quod hominibus feneſtram ad peccandi licentiam ea aperiat, aut certe ad ſocordiam in pietate colenda illos inuitet. Egregium argumentum, ab abuſu deſumtum! quo admiſſo, omnes coeleſtis doctrinae veritates, quas οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, exitio ſuo, peruertunt, ſunt reiicien-dae. Ineptis his ablonisque aduerſus doctrinam de ſatiſſactione Chriſti prolatis rationibus, firmiſſima inde illius fundamenta conuellere, inani auſu conantur *catechefeos Racouienſis* auctores. Etenim, vt argumentorum incidant neruos, clariſſima, quae de illa agunt, ſacrarum litterarum dicta, falſis inter-

interpretationibus ſuis, qui propius eorum mos eſt, ad praeiudicatas ſuas detorquent opiniones, et phraſibus atque verbis, quibus Chriſtus *ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis*, ſeu, *vice noſtra, paſſus et mortuus eſſe, morte ſua nos redemiſſe, ſeque ipſum ἀντίλυτρον dediſſe pro omnibus hominibus, victima piacularis fuiſſe, et peccata noſtra tuliſſe, Deo nos reconciliaſſe, ipſumque*, dicitur, *propitiaſſe*, contra omnes hermeneuticae ſacrae regulas, alienum prorſus et analogiae ſcripturae ac fidei contrarium affingunt ſenſum. Ita v. c. reconciliationem, qua Seruator noſter Deo nos reconciliauit, quaeque morti ipſius ſatiſfactoriae diſerte adſcribitur, *Rom. V, 10, ſq* falſiſſime, ad *qu. 408.* hunc exponunt in modum: „Chriſtum Ieſum nobis viam oſtendiſſe, quemadmodum „nos ad Deum conuerti, eique reconciliari, „oporteat;" ſeu, vt Germanica VAL. SCHMALZII verſio habet, *den Weg gewieſen, wie wir uns zu Gott bekehren, und mit ihm vereinigen ſollen.* Nec aliter quoad caeteras, quibus ſatiſfactio Chriſti deſignatur, voces phraſesque rem inſtituunt, verum earundem ſignificatum turpiter pervertentes.

Arminiani, ſiue *Remonſtrantes* plerique omnes ipſam quidem Chriſti ſatiſfactionem non negant, quin immo nonnulli eorum, ab ADR. a CATTENBVRGH, in *ſpecim. controuerſ. inter Remonſtr. et Socin. cap. V, p. 90, et ſeqq.* laudati, ſingulari eandem ſtudio aduerſus

Soci-

Socinianos defendunt: attamen illius cum neceſſitati, tum verae indoli, ſententiis ſuis aduerſantur. Nec enim ita neceſſariam illam fuiſſe cenſent, vt abſque ea Deus, ſalua iuſtitia ſua, peccata omnia humano generi condonare haud potuerit; quam falſam ſententiam SIM. EPISCOPIVS, *inſtitut. theol. lib. IV, ſect. V, c. 3, Opp t. I, p. 407.* PHIL. a LIMBORCH, *Theol. chriſt. lib. III, c. 18, § 4 et 5, p. 250, ſq.* aliique profitentur: nec pro exacta et ſufficienti debitorum noſtrorum ſolutione eandem haberi volunt, ſed aliquid ſaltem pretii Chriſtum dediſſe, aiunt, quo Deus, per acceptilationem, contentus fuerit, adeo vt reliqua ex benignitate remiſerit. Hunc ſatisfactioni Chriſti ſenſum attribuit HVGO GROTIVS, in *defenſ. fidei cath. de ſatiſf. Chriſti c. Socinum, cap. 8,* iure ob id reprehenſus ab VLR. HVBERO, in *differtat. iurid. theol. exerc. VII, § 8, p 105.* Conf. I. F. BVDDEVS, *inſtitut. theol. dogm. lib. IV, c. 2, § 37, p. 1118, ſq.* Eundem in ſenſum eam, praeter caeteros, exponit LIMBORCHIVS, *l. c. lib. III, c. 22, § 2, p. 263,* in eo videlicet illius conſtituens rationem, „quod Chriſtus non, quas nos peccatis noſtris meriti eramus, ſuſtinuerit poenas, ſed „miſeriam grauem et mortem cruentam noſtro tulerit loco, quam, vt poenam vicariam pro peccatis noſtris, acceperit Deus, „quodque adeo non iuſtitiae diuinae rigori, „ſed voluntati Dei, iuſtae ſimul ac miſeri-

„cordi

„cordi, ſatiſfecerit. Idem, *cap. 21, § 6, p. 261*, veram et in ſacris litteris ſatis fundatam de ſatiſfactione Chriſti ſententiam, qua, Seruatorem noſtrum omnes, peccatis noſtris debitas, luiſſe poenas, eaſque perferendo et exhauriendo, iuſtitiae diuinae ſatiſfeciſſe, affirmatur, nullum in ſcriptura fundamentum habere, dicit, idque argumentis aliquot probare conatur; quae vero ſolide diſcuſſit CHRISTOPH. FRANCKIVS, in *exercitat. anti-Limborchianis exerc. V, c. 1, p. 263, et ſeqq.* ita, vt non habuerit, quod ei re ipſa reponeret, CATTENBVRGHIVS, in *Spicilegio theol. chriſt. l. III, c. 21, p. 403, ſq.*

Inter ea, quibus *Sociniani* ſatiſfactionem Chriſti in vniuerſum, *Arminiani* autem infinitum eius valorem impugnant, argumenta, id maxime iidem vrgent, quod Chriſtus poenas infernales, mortemue non ſubierit aeternam. Vid. *Catech. Racou. quaeſt. 392, p. 760*, et LIMBORCH. *l. c. p. 261*, et *p 223 ſq.* Conf. CATTENBVRGH, *l. c. p. 349, ſqq* Magnopere autem in hoc, quod pro certo ponunt, illi ipſi errant, ſiquidem Chriſtus, qui, tanquam ſponſor noſter, ſe ipſum pro nobis dedit ἀντίλυτρον, et, vt nos a maledictione legis redimeret, pro nobis factus eſt maledictio, *Gal. III, 13*, omneſque adeo, quas nos peccatis noſtris commerueramus, tulit poenas, conſequenter infernales etiam, quatenus illae, ratione quidditatis ſuae, in ſenſu irae diuinae

diuinae conſiſtunt, perpeſſus eſt poenas: id quod ipſa quoque paſſionis dominicae hiſtoria prorſus confirmat. Itaque Saluator noſter, licet mortem non ſubierit in aeternum, tamen morti, in aeternum duranti, intenſione reſpondentem, et, infinitae perſonae ſuae dignitatis intuitu, aequiualentem, aeternamque adeo omnino ſuſtinuit mortem. Neque vero Sociniani et Arminiani ſolum, Chriſtum poenas infernales pertuliſſe, negant, ſed eundem etiam cum illis errorem fouent atque profitentur *Pontificii* doctores, BELLARMINVS, *de Chriſti anima, lib. IV, c. 8, p. 242 et ſqq.* aliique complures.

Ad formalem ſatiſfactionis Chriſti rationem cum etiam pertineat *obedientia* ipſius, quae dicitur, *actiua*, qua nimirum legem pro nobis perfectiſſime impleuit, nec, quoad hanc, deſunt ἀνθιστάμενοι τῇ ἀληθείᾳ. Eo loco numeroque, praeter ſupra dictos ſatiſfactionis Chriſti hoſtes, *Socinianos* et *Arminianos*, nominatim LIMBORCHIVM, *l. ſ. c. lib III, c. 21, p. 260*, ſunt *Caluiniani* nonnulli, ſpeciatim IOH. PISCATOR. Perperam hi ex eo, quod, in iuſtificationis noſtrae merito deſignando, Scriptura interdum mortis et ſanguinis Chriſti tantum faciat mentionem, ad negationem obedientiae, legi pro nobis a Chriſto praeſtitae, quae tot luculenta ſacrarum litterarum teſtimonia habet, conſequentiam ducunt. Nequicquam etiam hanc ipſam euer-

tere conantur, dum Chriſtum, vt verum hominem, creationis iure, ad legem ſeruandam obligatum, et huic adeo pro ſe obedientem fuiſſe, aiunt. Etſi enim Chriſtus, per ſummam ſanctitatem ſuam, nihil, quod legi repugnaret, agere potuerit, ab obligatione tamen legis, vt θεάνθρωπος, legiſque dominus, immunis ipſe, pro hominibus poſt lapſum, tum ad poenam peccatorum luendam, tum ad perfectam legi obedientiam praeſtandam obſtrictis, ſponte ſua legi ſe ſubmiſit, vt a coactione et maledictione eius eoſdem liberaret.

Iamque porro grauiſſimus ille notandus eſt error, quo *Caluiniani*, ſeu *Reformati*, doctrinam de ſatiſfactione IESV Chriſti, quod ad perſonale ſpeciatim illius attinet obiectum, deprauant, ad ſolos videlicet electos vniuerſalem Chriſti reſtringentes ſatiſfactionem. Etenim, cum commune id Reformatorum ſit dogma, quod tanquam ἄγαλμα διοπετὲς defendunt, abſoluto Deum decreto, ex vniuerſo hominum genere, paucos quoſdam ad vitam aeternam elegiſſe, caeteros omnes reprobaſſe, πρώτῳ hoc poſito ψεύδει, gratiam diuinam, ac media ſalutis omnia ad electos tantum pertinere, et pro his ſolis paſſionem mortemque ſatiſfactoriam Seruatorem noſtrum ſubiiſſe, docent. Clariſſima illa, quae ſupra in theſis expoſitione adduximus, ſacrarum litterarum de ſatiſfactionis Chriſti vniuerſa-

uerſalitate teſtimonia, ineptiſſimum in modum; infirmare conantur, dum vocem πάντες non, proprio ſuo atque vſitato, quemque dictorum contextus manifeſte poſtulat, ſignificatu, συμπληρωματικῶς, de ſingulis generum, ſiue omnibus et ſingulis hominibus, ſed διαμετρικῶς, de generibus ſingulorum, ſiue omnis generis hominibus, accipiendam eſſe, aiunt; itemque vocabulo κόσμος alienam, et quam illi ipſi, in quibus mundus, et quidem ὅλος ὁ κόσμος, ſatiſſactionis Chriſti conſtituitur obiectum, loci, *Ioh. III, 16, ſqq. 1 Ioh. II, 2, et caet.* prorſus conuellunt; *electorum* ſcilicet affingunt notionem. Pro errore autem ſuo tuendo, ad alia quaedam prouocare ſolent Scripturae ſacrae dicta, e. c. *Matth. XX, 28; Ioh. X, 15; Hebr. X, 14; et caet.* Tantum vero abeſt, vt illa ipſa, pro *ſolis* fidelibus et electis Chriſtum ſatiſfeciſſe, affirment, et tot, tamque diſertis effatis, ſatiſſactionis vniuerſalitatem ſtabiliens, ſibi ipſi contradicat Scriptura, vt potius certiſſima ea ſuppeditet media, quorum ope illa cum his facili negotio conciliari poſſint. Falſo iidem, ſatiſſactionem Chriſti non ad omnes pertinere, inde arguunt, quod non omnes, ſed perpauci partam per eam conſequantur ſalutem. Nam, quod complures, ob incredulitatem ſuam obſtinatam, ſuaque adeo pereunt culpa, id nequaquam ſatiſſactionis tollit vniuerſalitatem, qua Chriſtus aeternam omnibus homi-

nibus promeruit et acquiſiuit ſalutem, meritum ipſius malitioſe haud repudiantibus cunctis re ipſa impertiendam. Non opus eſſe, arbitramur, vt, meriti Chriſti vniuerſalitatem negantes, theologos Caluinianos, ſiue Reformatos, nominatim referamus, ſiquidem errorem hunc, cum dogmate de abſoluto praedeſtinationis decreto arctiſſimo coniunctum nexu, et in ſynodo Dordracena, *art. II, n. 8, act. p. 251*, contra Remonſtrantes lege quaſi ſancitum, pleroſque omnes profiteri, conſtat. Quanquam enim mitiores inter eos qui videri volunt, et *vniuerſaliſtarum* nomine appellari ſolent, pro omnibus hominibus Chriſtum ſatiſfeciſſe, docent, quoad rem ipſam tamen, eundem cum *particulariſtis* errorem fouent. Nempe, Chriſtum pro omnibus hominibus paſſum et mortuum eſſe, dicunt, *ſufficienter*, idque ita intelligi volunt, quod paſſio et mors Chriſti, ob infinitum valorem ſuum, ſuffecerit omnibus hominibus redimendis; *efficaciter* autem pro omnibus mortuum eſſe, hoc eſt, re vera ſatiſfeciſſe, et ſalutem omnibus promeruiſſe, negant, ad ſolos id referentes electos. Nec a communi iſto Caluinianorum errore vere abſunt, *hypothetici* qui dicuntur, quique MOS. AMYRALDVM atque IOH. CAMERONEM anteſignanos habent. Efficaciſſime ſcilicet illi, pro omnibus ac ſingulis hominibus Chriſtum ſatiſfeciſſe,

 affir-

affirmant, ſed ſub hypotheſi fidei; huius autem, non, niſi abſoluto praedeſtinationis decreto electos, participes reddi, ſtatuunt. Veteratoriam adeo hancce illorum vniuerſalis Chriſti ſatiſfactionis aſſertionem eſſe, apparet; eam vero etiam ex ipſis Reformatis FRID. SPANHEMIVS, in *exercitationibus de gratia vniuerſali*, aliique plures impugnant.

Reſtat, vt de reali ſatiſfactionis Chriſti obiecto *Pontificiorum* recenſeamus errores. Ad hos primum referenda eſt, quae in *Aug. Confeſſ. art. III de abuſ. mut p 25*, notatur, „opinio; quod Chriſtus ſua paſſione ſatiſfecerit pro peccato originis, et inſtituerit „miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidia„nis delictis, mortalibus et venialibus. Negant quidem *Confutationis A. C. Pontificiae* auctores, id a Catholicis doceri; impudentique mendacio, diuiſionem illam, quod Chriſtus paſſione ſua ſatiſfecerit ſolum pro peccato originis, pro actualibus autem inſtituerit miſſam, ipſis tribui, dicit BELLARMINVS, in *Iudicio de libro Concordiae, mendac. XVIII, Diſpp. t. IV, p. 681.* Sed perperam Confeſſionem noſtram mendacii inſimulari, diſerta Scholaſticorum pariter, atque horum veſtigiis inſiſtentium, doctorum Pontificiorum docent pronuntiata, a IOH. GERHARDO, *Loc. theol. tom. III, loc. de poenitentia, § 118, p. 609*, et I. B. CARPZOVIO, in *Iſagoge in LL. Symbol. p. 651, ſq.* congeſta. Ita e. c. AMBROSIVS

SIVS CATHARINVS, Compſae Archiepiſcopus, in libro *de veritate incruenti ſacrificii*: „Meritum, inquit, paſſionis et ſacrificii „cruenti tantum ſatiſfecit pro peccato origi„nis, et eorum, quae cum eo coniuncta ſunt, „non autem pro his, quae poſt baptiſmum „et fidem committuntur. Neque vero multo leuior, ſed in ſatiſfactionem, quam Chriſtus non pro culpa tantum, ſed omnibus etiam peccatorum noſtrorum poenis praeſtitit, aeque iniurius eſt, quem vniuerſa eccleſia Romana tenet, Tridentini concilii decretis ſancitus, error, homini videlicet poeniſenti pro temporali peccatorum, poſt baptiſmum commiſſorum, poena ipſimet eſſe ſatiſfaciendum, et ad poenitentiam adeo ſatiſfactionem operis, a ſacerdote impoſiti, ſponteue ſuſcepti, neceſſario requiri. Vid. *Conc. Trid ſeſſ VI, cap. 14, et can. 30*; et *ſeſſ. XIV, cap. 8, et can. 12, ſqq.* Quin etiam complura alia, eaque praecipua fere, Pontificiorum dogmata, v. c. de merito operum, de ſacrificio miſſatico, de inuocatione ſanctorum, ſatiſfactioni Chriſti, officioque ipſius ſacerdotali directo aduerſantur.

THESIS XVI

Officium Chriſti regium eſt functio Chriſti θεανθρώπου, qua is, ſecundum vtramque naturam, creaturas omnes, in

regno

regno potentiae, gratiae, et gloriae, maieſtate et virtute diuina, regit et gubernat.

Vid. *Aug. Conf. art, III; Catech. min. p. 372, mai. p. 516; Form. Conc. art. IIX, p. 768.*

Expoſitio, et confirmatio.

De officio Chriſti regio generatim diximus, *theſi XIII*, et ad id aeque, ac ad officium propheticum et ſacerdotale, Chriſtum vnctum fuiſſe, et regiam adeo ipſi etiam, qua homini, competere maieſtatem, poteſtatemque, ſacrarum litterarum confirmauimus dictis. Quae ad ſpecialem officii huius pertinent conſiderationem, paucis hac explicabimus theſi. Chriſtus, qua Deus, rex eſt ab aeterno; qua homo, ſiue ſecundum humanam naturam, vi vnionis perſonalis, vna cum tota deitatis plenitudine, infinitam quoque maieſtatem regiam in primo conceptionis adeptus eſt momento. *Luc. I, 33; Ioh. XIIX, 37.* Plenarium autem, quo in ſtatu exinanitionis ſuae ſe abſtinuit, et nunquam interrumpendum diuinae maieſtatis vſum, poſt ſuam demum in coelos aſcenſionem ſuſcepit, eoque modo, per exaltationem ad dexteram Patris, rex dicitur eſſe conſtitutus. *Eph. I, 20, ſq. Phil. II, 9, ſqq. et caet.* Ad officii Chriſti regii rationem quod attinet,

eſt illud imperium θεῖκον καὶ μοναρχικόν, quo Chriſtus θεάνθρωπος, ſecundum vtramque naturam, infinita virtute creaturas omnes regit atque gubernat. Imperio Chriſti omnes ſubiacent creaturae. *Act. X, 36; Matth. XXIIX, 18.* Pro harum diuerſitate, diuerſoque regiam poteſtatem exercendi modo, triplex conſtituitur Chriſti regnum, potentiae, gratiae, et gloriae. Ad regnum *potentiae*, eo nomine dictum, quod in illo diuina vel maxime ſeſe exerit potentia, omnia in vniuerſum pertinent manuum Dei opera; *Pſalm. VIII 7, ſq. 1 Cor XV 27; Hebr. II, 7. et caet.* huiusque adminiſtratio omnes in ſe complectitur actus prouidentiae diuinae, qua Chriſtus res creatas omnes conſeruat, cunctaque ſapienter dirigit et gubernat; tum vero etiam ſuos ſibi ſubiicit, ſupprimitque hoſtes. Regnum, quod dicitur, *gratiae*, eſt eccleſia Chriſti in his terris militans, quippe quae ſpeciali ratione vt regnum Meſſiae in ſcriptis propheticis repraeſentatur. *Pſ. II, 6; Ier XXIII, 5; Zach. IX, 9.* Ad regnum hocce omnes quidem gratioſe vocantur homines, re ipſa autem illud conſtituunt, qui vocationi diuinae obſequuntur, pii atque fideles. *1 Tim IIII, 10; Tit. II, 14.* Quo modo regnum id Chriſtus adminiſtret, egregie exponitur in *articulo III Aug Conf.* vbi ad verba, quibus, in coelum aſcendiſſe, et conſediſſe dicitur ad dexteram Patris, vt perpetuo regnet,

et

et dominetur omnibus creaturis; haec adduntur, quae in textu authentico ita ſonant: *daſs er alle, ſo an ihn glæuben, durch den H. Geiſt heilige, reinige, ſtærcke und trœſte, ihnen auch Leben und allerley Gaben und Güter austheile, und wider den Teufel, und wider die Sünde ſchüzze und beſchirme.* Ita nimirum eccleſiam ſuam in his terris regit, vt ciuibus eius omnia, quae ad ſpiritualem maxime, aeternamque illorum pertinent ſalutem, largiatur coeleſtis gratiae bona, eoſdemque aduerſus hoſtes quoſuis protegat, ac tueatur. Regnum *gloriae* denique regnum eſt coeleſte, in quo, vna cum angelis, in Domino quotquot demortui ſunt, homines Chriſti regis ſunt ſubditi, qui ab ipſo magno cum maieſtatis ſplendore reguntur, omnique beatitudinis genere cumulantur.

Errorum confutatio.

Orthodoxae de officio Chriſti regio doctrinae aduerſantur primo illi, qui ἀντιχρημάτων diuinorum, et in his ſpeciatim omnipraeſentiae, humanae Chriſti naturae factam, communicationem negantes, Chriſtum, ſecundum humanam naturam, abſenter, non praeſenter, regnum adminiſtrare, ſtatuunt. Eſt haec *Caluinianorum* et *Pontificiorum* ſententia. Perperam vero carnis Chriſti omnipraeſentiam ab illis negari, *th. VII*, demonſtrauimus.

Socinianorum varii ſunt de officio Chriſti regio errores, ex πρώτῳ eorum ψεύδει, quo Deitatem Saluatoris noſtri, ſatiſfactionemque ipſius negant, plerique omnes repetendi. Chriſtum, ante reſurrectionem, ſola deſignatione regem fuiſſe, aiunt; regium autem Chriſti officium a ſacerdotio eius re ipſa non differre, ſtatuunt, huius ſcilicet rationem in regni ſpiritualis conſtituentes adminiſtratione. Sic aperte contradicunt Scripturae, quae regnum Chriſti a ſacerdotio ipſius plane diſtinguit. Diſcrimen, quod inter vtrumque eſt, vel ex ipſis regis et ſacerdotis intelligitur nominibus, quippe quibus diſtincta maxime munera denotantur. Vberius autem id cognoſcitur ex diuerſa ſacerdotii a regio munere indole atque natura. Officii Chriſti ſacerdotalis, prout illud ex ſacris litteris, *theſi XIV*, deſcripſimus, formalis ratio conſiſtit in ſacrificii oblatione, et interceſſione. Illa Chriſtus pleniſſime functus eſt in diebus carnis ſuae, vbi ſe ipſum victimam piacularem Deo obtulit, hocque ſacrificio ſuo pro totius generis humani peccatis ſatiſfecit. Abſone igitur, eludendae videlicet ſatiſfactionis cauſa, Sociniani ſacerdotium Chriſti in regni ſpiritualis adminiſtrationem, quam ſuo iidem interpretantur modo, transformant, ac regium adeo ipſius officium cum ſacerdotali vnum idemque eſſe, volunt. Vt caeteras Neo-Photinianorum

rum de officio Chriſti regio taceam φλυαρίαν regnum eius non perenne fore, ſed finem habiturum eſſe, contra diſerta Scripturae pronuntiata, *Pſ. XLV, 7; Ieſ. LX, 7; Dan. VII, 14; Luc. I, 33, et caet.* affirmant. Abutuntur eam in ſententiam verbis, *1 Cor. XV, 24, 28,* quibus apoſtolus, Chriſtum, in conſummatione ſeculi, regnum Patri traditurum eſſe, eique ipſum ſubiectum iri, dicit. At enim uero traditio haec, ſecundum analogiam Scripturae et fidei, de traditione οἰκονομικῇ, quoad regiminis formam, et qualitatem, eſt accipienda; ac per iſtam adeo traditionem ſignificatur, Chriſtum, in fine ſeculi, reſignaturum eſſe regnum, ratione videlicet illius, quo regnum gratiae adminiſtrauerat, gubernationis modi; id quod etiam per ὑποταγήν, *v. 28*, indicatur. Regnabit vero inde Chriſtus alio, gloriae nimirum regno conueniente, modo, cum Patre et Spiritu ſancto, in omnem aeternitatem. Vid. CALOVIVS, in *Bibl. illuſtr. ad h. l.*

THEO-

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT VII
DE POENITENTIA
ET
DE CONFESSIONE PECCATORVM

SECTIO I
HISTORICA

I

De conuerſione intranſitiua, ſeu poenitentia, eccleſiarum euangelicarum in AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo duodecimo* exponitur doctrina. (*)

(*) Articulum huncce eam quidem praecipue ob cauſam Confeſſores noſtri propoſuerunt, vt repurgatam a pontificiorum corruptelis de vera poenitentiae ratione doctrinam euangelicam declararent; in eodem vero illo, *Nouatianorum* quoque et *Anabaptiſtarum* de poenitentia errores eccleſias noſtras auerſari, indicarunt. Prima igitur, eaque θετικὴ, articuli pars duas in ſe continet theſes. Altera eſt: lapſos poſt baptiſmum, quandocunque poenitentiam agunt, remiſſionem conſequi peccatorum, ac proinde eccleſiam talibus, ad poenitentiam redeuntibus, abſolutionem impertiri debere; altera eſt: poenitentiam

tiam proprie his duabus conſtare partibus: *contritione* et *fide;* indeque ſequi debere *bona opera*, quippe quae poenitentiae ſint fructus. In ſecunda parte, quae eſt ἀντιθετικὴ, primo damnantur *Anabaptiſtae*, ſemel iuſtificatos Spiritum ſanctum amittere poſſe, negantes; (hunc enim eo tempore illos fouiſſe errorem, procul omni dubio cognitum, perſpectumque habuerunt Aug. Conf. auctores;) deinde illi, qui tantam quibuſdam in hac vita perfectionem contingere poſſe, contendunt, vt peccare non poſſint. Perfectiſſimum hunc SCHWENCKFELDIVS cum aſſeclis ſuis ſtatuit; indeque inter *Schwencofeldianorum* errores is ipſe refertur in *Formula Concordiae, p. 627, n. VI, et p. 829, n. V.* Adoptarunt autem eundem non fanatici ſolum pleriquе omnes, ſed Pontificii etiam, Sociniani, Arminiani, aliique. Damnantur porro *Nouatiani*, qui lapſos poſt baptiſmum, ad poenitentiam redeuntes, abſoluere nolebant. Nouatiani nomen habent a ſec. III ſchiſmaticis, et haereticis, NOVATIANO, et NOVATO, Romano illo, hoc Carthaginienſi preſbytero, qui coniuncti, conſociatique, poſt baptiſmum in grauiora maxime peccata prolapſis abſolutionem eccleſiaſticam impertiri debere, negarunt. Hanc illorum pariter, atque ſectatorum ipſorum, qui Nouatiani dicuntur, et qui καθαροὺς ſe ipſos vocarunt, ſententiam fuiſſe, indubitato conſtat. Id vero non aeque certum eſt, quod veteres quidam hiſtorici tradunt, Nouatianos, lapſis eiuſmodi nec a Deo peccata remitti, ſtatuiſſe. Etenim alii fide digni auctores non omnem impetrandae a Deo delictorum veniae ſpem lapſis poſt baptiſmum illos ademiſſe, teſtantur. Vid. praeter caeteros, qui de Nouatianis agunt, CHEMNITIVS, in *exam. conc. Trid. P. I, loc. 9, p. 241,* et IOH. SCHMIDIVS, in diſſ. *de haereſi Nouatiana*, Argentorati, a. MCDLI edita, § *XXII.* Prope tamen a ſententia iſta, quod grauiter peccantes nec apud Deum peccatorum conſequantur remiſſionem, illos abfuiſſe, inde colligi poſſe videtur, quod dictis, *Hebr. VI, 10,* et *X, 26,* cum maxime errorem ſuum ſtabilire, fuerint conati. Ανωνύμως

denique in antitheſi articuli noſtri reiiciuntur *Pontificii*, qui non docent, remiſſionem peccatorum per fidem contingere, ſed gratiam per ſatiſfactiones noſtras mereri, nos iubent.

In Germanico articuli huius textu, poenitentiae conſequens vberius paullo, his videlicet exponitur verbis: „*Darnach ſoll auch Beſſerung folgen, und daſs man von* „*Sünden laſſe, denn dis ſollen die Früchte der Buſſe ſeyn,* „*wie Johannes ſpricht, Matth. 3: wircket rechtſchaffene* „*Früchte der Buſſe.*" In eodem, pro eo, quod in Latino exemplo nominatim *Anabaptiſtae*, Spiritum S. a ſemel iuſtificatis amitti poſſe, negantes, itemque illi, qui perfectiſſimum ſtatuunt, condemnantur, generatim dicitur: „*Hie werden verworffen die, ſo lehren, daſs diejenigen,* „*ſo einſt ſind fromm worden, nicht wieder fallen moegen.*" Varians quaedam, eaque notanda, quoad initialia articuli verba: „*daſs diejenigen, ſo nach der Tauffe geſündiget* „*haben, zu aller Zeit, ſo ſie zur Buſſe kommen, Vergebung* „*der Sünde erlangen moegen,*" in prima libri Concordiae editione occurrit lectio, vbi nimirum legitur: „*Zu aller* „*Zeit, ſo ſie zur Buſſe kommen MOEGEN, Vergebung der Sünde erlangen.* Errore autem typographi, vocabulum: *moegen* tranſpoſitum fuiſſe, monuerunt, erratumque illud inde corrigendum curarunt theologi Saxonici. Annotauit id C. REINECCIVS, in ſua *Concordiae Germanico Latinae* editione, *p. 17*: idemque, in primis et antiquiſſimis editionibus vocem illam aut plane omitti, aut verbo: *erlangen*, ſubiici, confirmat. Conf. H. MVHLIVS, in Germanici Aug. Conf. exempli editione, *p. 50*, et S. R. F. W. FEVERLINVS, in *obſeruationibus in Aug. Conf. art. XII, § 6, p. 92*, qui vero vocem *moegen*, quae in aliis etiam quibuſdam editionibus occurrit, commodam admittere explicationem, aliaue adhibita interpunctione, retineri poſſe, putat. Conſentit S. R. S. I. BAVMGARTEN, in *den Erleuterungen der Symboliſchen Schriften*, *p. 57*. Ad variatam quod attinet confeſſionem, PHILIPPVS non ſolum articulorum XI et XII ordinem immu-

tauit,

tauit, vndecimumque conſtituit eum, qui eſt *de poeniten-tia*, ſed etiam hunc ipſum alio modo, pluribusque propoſuit verbis, ita tamen, vt nihil admiſcuerit heterodoxi.

Confutationis Pontificiae auctores tamen articuli XII partem, qua, lapſis, quandocunque poenitentiam agunt, remiſſionem peccatorum contingere poſſe, docetur, quaque Nouatiani damnantur, approbarunt; illam autem, qua vera poenitentiae ratio exponitur, reiecerunt partem. Impotentiori rabie in hunc articulum inuehitur omniſque generis maledictis doctores euangelicos onerat ANDR. FABRICIVS. Calumnias eius, caeterorumque Romanenſium, quas in *harmonia* ſua idem ille exhibet, articuli huius, eiuſdemque apologiae cenſuras; tum vero etiam moderatius GE. CASSANDRI iudicium ſummatim refert B. MENZERVS, in *exegeſi A. C. p. 419, ſqq.* BELLARMINVS. in *iudicio de libro Concordiae, mendacio LV, Controu. t. IV, p 675*, pontificiis, praeſertimque ſcholaſticis doctoribus, in antitheſi huius articuli, falſo imputari, ait, eos non docere, remiſſionem peccatorum per fidem contingere, ſed (quae quidem verba ex duabus A. C. repetit editionibus,) docere, remiſſionem peccatorum contingere propter noſtram dilectionem et opera. Fidem enim ad praeparationes et diſpoſitiones ad iuſtificationem ab ipſis referri, neque adeo, ſine fide remiſſionem peccatorum contingere, doceri, dicit. Sed periniquo modo BELLARMINVS mendacii poſtulat, quae a Confeſſoribus noſtris veriſſime pontificiis attribuuntur, ſiquidem de fide ſermo eſt, quae in fiduciali meriti Chriſti apprehenſione conſiſtit, quaque ſola, ſine operibus, iuſtificamur. Hanc vero pontificii prorſus negant, et, quemadmodum *Apologia Conf. p. 172*, docet, non aliam, quam hiſtoricam, admittunt fidem, quae poenitentiam praecedat. Conf. CARPZOVIVS, in *iſag. p. 380*, qui etiam, *p. 379*, conſimilem THOMAE HENRICI accuſationem, qua is, per calumniam de pontificiis aſſirmari, dicit, quod iubeant, nos mereri gratiam per ſatiſfactiones noſtras,

 ſolide

ſolide refellit, et ſatiſfactionibus humanis meritum omnino illos adſcribere, demonſtrat.

II

Pontificia articuli XII Aug. Conf. confutatio cauſam dedit PHILIPPO MELANCHTHONI, vt in APOLOGIA, eiuſque *capitibus, quinto et ſexto*, non ſolum orthodoxam eccleſiarum euangelicarum de duabus poenitentiae partibus, contritione ac fide, doctrinam plenius exponeret, defenderetque, ſed etiam tres illas, in quibus poenitentiae rationem Papiſtae conſtituunt, partes curatius expenderet, et, quantopere illae ſanae verbi diuini de poenitentia doctrinae repugnent, demonſtraret. (*)

(*) In principio, PHILIPPVS Caeſarem CAROLVM, vt propoſitae in articulo XII euangelicae de partibus poenitentiae doctrinae, a pontificiae confutationis ſcriptoribus iniuſtiſſime damnatae, defenſionem benigniſſime audire velit, orat; praemiſſaque defenſioni huic praefatione, quam pernicioſis erroribus doctrina de poenitentia, per ſcholaſticorum et canoniſtarum opiniones, obruta fuerit, oſtendit, *p. 162, ſqq.* Hinc *p. 165, ſqq.* repurgatam ab iſtis erroribus euangelicorum doctrinam, conſtitutaſque ab ipſis duas poenitentiae partes, contritionem et fidem, ita explicat, vt vera vtriuſque indoles cauſaeque cognoſcantur; eaſdem vero illas partes a Scriptura ſacra conſtitui, teſtimoniis eius, *p. 168, ſqq.* confirmat; ſpeciatimque, ſola fide, quae in fiduciali meriti Chriſti apprehenſione conſiſtit, non ex opere operato, propter contritionem, remiſſionem peccatorum obtineri, grauiſſimis argumentis, *p. 171, ſqq.* contra aduerſarios euincit. Duarum harum partium, in quibus poenitentiae

ratio

ratio conſiſtit, demonſtrata veritate, in Apologiae *capite ſexto*, de illis, quas contritioni pontificii addunt, agitur partibus, *confeſſione* videlicet, et *ſatiſfactione*, et primum quidem, quid in confeſſione, quam exigunt, notandum ſit, *p. 158 ſqq.* exponitur, inde vero, *p. 163, ſqq.* pontificiae de ſatiſfactione doctrinae fundamenta conuelluntur, eiuſdemque falſitas multis modis declaratur.

In *capite V*, ἐναντιοφανὲς quoddam inter Auguſtanam confeſſionem et illius apologiam occurrit. Nam cum in A. C *articulo XII*, poenitentiam proprie his duabus conſtare, dicatur, partibus, contritione et fide, bona opera autem, vt fructus poenitentiae, a partibus eius diſcernantur, in apologia, *p. 165*, illa ipſa pro tertia poenitentiae parte haberi poſſe, his affirmatur verbis: „conſtituimus duas partes poenitentiae, videlicet contritionem „et fidem: ſi quis volet addere *tertiam*; videlicet dignos „fructus poenitentiae, hoc eſt, mutationem totius vitae „ac morum in melius, non refragabimur." Nulla autem inter Confeſſionem et Apologiam de partibus poenitentiae eſt ἐναντία. Tantum enim abeſt, vt Apologia Confeſſionis pronuntiato, quo duae, poenitentiam, proprie nimirum et ſtricte ſic dictam, conſtituentes, ponuntur partes, contradicat, vt potius id ipſum pro certo habeat, exploratoque, *p. 168, 169, 171.* De poenitentia igitur, improprie et latiore ſenſu, pro tota conuerſione cum proprietatibus, et effectibus, conſequentibuſque ſuis ſpectata, κατ' ἄνθρωπον largitur, nouam obedientiam poenitentiae partibus poſſe annumerari. Egregia ſunt, quae hanc in ſententiam annotauit CARPZOVIVS, in *iſag. p. 376.* Conf. GODOFR. WEGNERVS, in *diſſ. I de enantiophaniis libr. ſymbolic. p. 20, ſqq.*

Duas proprie poenitentiae partes eſſe, contritionem et fidem, *p. 168, ſq.* PAVLI teſtimonio confirmatur, quippe qui, conuerſionem ſeu renouationem, (quae latiore hic ſumitur ſignificatu, et vt συνώνυμον poenitentiae adhibetur,) deſcribens, has duas eius facit partes, *mortificationem* et *viuificationem*, *Coloſſ. II, 11, 12.* Ita vero hae

voces explicantur, vt per mortificationem nihil aliud, quam contritionem, per viuificationem vero fidem deſignari, appareat; indeque adeo intelligatur, Apologiae de ſic dictis poenitentiae partibus ſententiam a falſa, quam de iiſdem *Caluiniani*, in *catechiſmo* ſpeciatim *Palatino*, *quaeſt. 88*, profitentur, doctrina prorſus eſſe alienam. Haudquaquam etiam *Antinomorum* Apologia fauet errori, vbi, *p. 165*, „hanc ſummam eſſe, ait, prae„dicationis *euangelii*, *arguere peccata*, et offerre remiſ„ſionem peccatorum, et rel." Etenim vox *euangelii* hic pariter, atque *capite II*, *p. 71*, vbi euangelium itidem *arguere* dicitur *peccata*, in latiori, eoque in ipſis ſacris litteris obuio, ſignificatu, de tota Chriſti et apoſtolorum doctrina, legem atque euangelium in ſe continente, vſurpatur. Neque adeo id, quod legis proprium eſt, euangelio tribuitur, proprie et ſtricte ſic dicto, cuius et legis ea in re diſcrimen in Apologia, *p. 67, 116*, et caet. declaratur, ſed de lege ipſa, ſub latiore iſto euangelii ſignificatu comprehenſa, *τὸ arguere peccata* praedicatur; quemadmodum hanc in Apologia de euangelio adhibitam loquendi formam explicat, vindicatque Formula Concordiae, *articulo V*, *p. 592, et 717*. Si quae alia in Apologiae capitibus, V et VI, dilucidatione, vindiciiſue opus habere videntur, expoſita ea ſunt in annotationibus, quibus illa ipſa illuſtrauit B. CARPZOVIVS, in *iſagoge*, *p. 380*, *ſeqq*.

III

Eccleſiae euangelicae de poenitentia doctrinam in ARTICVLIS SMALCALDICIS repetiit B. LVTHERVS, horumque *parte tertia*, *articulo tertio*, cum verae poenitentiae rationem expoſuit, tum pontificiorum poenitentiae falſitatem demonſtrauit. (*)

(*) In *articuli tertii parte prima*, qua orthodoxa de poenitentia doctrina exhibetur, verae poenitentiae *organa*, ſeu

ſeu media, et, ab his deriuandae, illius *partes* enarrantur; primumque graphice oſtenditur, altero organo, quod eſt *lex*, effici *contritionem*, hancque adeo, a qua vera incipiat poenitentia, non actiuam, ſeu factitiam et accerſitam, ſed paſſiuam eſſe contritionem, conſcientiae cruciatus, veram cordis paſſionem, et ſenſus mortis; indeque *euangelio*, alterum quod eſt verae poenitentiae organon, *fidem*, quae gratiae amplectitur promiſſionem, produci, eoque ipſo poenitentiam ſalutarem reddi, ſacrarum litterarum teſtimoniis confirmatur. In *altera parte* falſa pontificiorum de poenitentia pluribus expenditur, refelliturque doctrina. Et primo quidem illorum quoad poenitentiae obiectum, quod nimirum actualia tantum ipſis ſunt peccata, notatur error. Poſtea de tribus illis, quas conſtituunt, poenitentiae partibus generatim monetur, meriti opinionem iiſdem attribui, et in pontificia adeo poenitentia hominem ad propriorum operum fiduciam duci, de Chriſti autem merito et fide altum eſſe ſilentium; tum vero ſpeciatim pontificiorum, quoad ſingulas partes, recenſentur errores; indicaturque, eos, quod ad *contritionem* attinet, ſtatuere, omnia et ſingula peccata ſufficiente contritione eſſe deflenda, contritionem ſi quis non habeat, eum ſaltem attritionem habere oportere, propriiſque illam confici viribus; 2) quoad *confeſſionem*, neceſſariam eſſe omnium peccatorum enumerationem, et, quo purior, magiſque ingenua et aperta ſit confeſſio, eo pleniorem pro peccato eſſe ſatiſſactionem; 3) quoad *ſatiſſactionem*, operum a ſacerdote impoſitorum obſeruantia, pro peccatorum poenis ſatiſfieri, ſatiſfactio autem iſta vbi non ſit perfecta, in purgatorio eam eſſe perficiendam. Confictarum hanc ob rem in Papatu indulgentiarum, miſſarum item, vigiliarumque narrationem ſubiungit LVTHERVS; tum notabilem addit animaduerſionem, qua monachorum, quorum ſe ipſum partem olim fuiſſe, ait, hypocriſin caſtigat, eo quod eam ſibi in-
„duerint perſuaſionem, ſine peccato, et bonorum ope-
„rum plenos ſe eſſe, vſque adeo, vt bona ſua opera etiam

„aliis, quaſi ſuperflua in ipſis ad ſalutem conſequendam, „communicauerint, vendiderintque. Hinc, quanto in errore verſentur cum illi, qui falſam iſtam, in Papatu receptam, poenitentiam agant, tum ii, qui poenitentia ſeſe non indigere, opinentur, grauiter docet; tandemque in fine erroneam ſectariorum quorundam, *Anabaptiſtarum* videlicet, et caeterorum, fidem et Spiritum ſanctum per peccata amitti negantium, ſententiam refellit.

Duo in hoc articulo ſunt, quae ad δυσνόητα a nonnullis referuntur. Alterum eſt, cum, *p. 320*, de lege, in poenitentia officium ſuum peragente, dicitur, quod „omnes ad terrorem et *deſperationem* adigat." Sed qualis deſperatio hic intelligenda ſit, nempe non de gratia et miſericordia Dei, ſed *de ſe ipſo*, cum per ſe pateat, tum ex eo, quod in praecedente de lege articulo, *p. 319*, ad verbum *deſperare*, *de ſe ipſo*, expreſſe additur, cognoſci poteſt. Alterum δυσνόητον his, *p. 327*, continetur verbis, quibus affirmatur: „nihil eſſe in nobis, quod non „ſit peccatum, ſiue reum; et, totum in nobis eſſe me„rum peccatum." Flacianiſmum ſcilicet phraſis haec inferre, et, quod inter naturam humanam et corruptionem ei inhaerentem eſt, diſcrimen tollere, videtur; quo etiam illam Flaciani quidam, praeſertim CHRISTOPH. IRENAEVS, rapuerunt. At enimuero a Flacianiſmo verba illa prorſus abeſſe, ex contextu clariſſime apparet, ſiquidem LVTHRRVS, contra pontificios diſputans, inanem, quam, ratione poenitentiae, illi ſtatuunt, quaque hanc ipſam mancam et imperfectam pariter, atque incertam reddunt, peccatorum diſtinctionem refellit, eamque in ſententiam dictis vtitur verbis: *es ſey alles und eitel Sünde mit uns*. Vid. *Apologia libri Conc. c. II, p. 13*. Conf. CARPZOVIVS, *l. c. p. 855*.

IIII

Ad poenitentiam cum confeſſio peccatorum, quae verbi diuini fit miniſtro, alio

quidem

quidem prorſus, quam pontificii ſtatuunt, modo, ſpectet, ea, quae in libris noſtris ſymbolicis de illa traduntur, hoc etiam capite a nobis ſunt enarranda. Enimuero eccleſiarum noſtrarum de confeſſione ſententia in *Auguſtanae Confeſſionis articulo vndecimo*, (*) et *partis II*, in qua mutati recenſentur abuſus, *articulo quarto*, (**) in *Apologiae capite quarto, et ſexto*, (***) et in *Articulorum Smalcaldicorum partis III articulo octauo*, (****) proponitur, atque confirmatur; tum vero etiam huc pertinet in *Catechiſmo minore, p. 378. ſeqq.* praeſcripta ratio, quo modo ſimpliciores de confeſſione ſint erudiendi (†).

(*) *Articulus XI Aug. Conf.* de *confeſſione*, peccatorum videlicet, articulo de S. Coena ſubiunctus, cuius rei ratio in principio *articuli IV partis ſecundae* indicari videtur, et ex articulo XI Torgauienſi deſumtus, duas continet aſſertiones. Altera eſt: abſolutionem priuatam; et, quae hoc nomine comprehenditur, confeſſionem priuatam in eccleſiis eſſe retinendam. Altera: in confeſſione non neceſſariam eſſe omnium delictorum enumerationem: cui etiam additur teſtimonium Dauidis, qui, *Pſ. XIX, 13*, enumerationem iſtam impoſſibilem eſſe, affirmat. Exempla Confeſſionis Auguſtanae Germanicum et Latinum prorſus inter ſe conueniunt. In confeſſione variata Philippus ordinem articulorum, XI et XII, vt ſupra notauimus, immutauit, ipſum vero articuli huius textum fere intactum reliquit. Theologi Pontificii, qui, Caeſaris et Romano Catholicorum Imperii Ordinum nomine, Aug. Conf. confutationem compoſuerunt, primam articuli huius de abſolutione priuata, cum confeſſione, in eccleſia retinenda, aſſertionem, tanquam catholicam, et fidei ipſorum conuenientem, acceptarunt.

 Duo

Duo tamen exigenda hic a Confeſſoribus noſtris eſſe, addiderunt: „*vnum*, vt confeſſionem obſeruari faciant a „ſubditis annuam, iuxta conſtitutionem, *omnis vtriuſque*, „(*Decretal.* GREGORII *lib 5, tit. 38 de poenitentiis et re-* „*miſſionibus*, *c. 12, p. 269, ed. Lipſ. a. 1695*,) et communis „eccleſiae conſuetudinem: *alterum*, vt per concionatores „admoneri faciant ſubditos ſuos, quatenus confeſſuri, „licet omnia peccata ſua ſigillatim enuntiare non poſſint, „diligenti tamen examine conſcientiae ſuae facto, deli„ctorum ſuorum confeſſionem faciant integram, omnium „ſcilicet, quae ſibi, in eiuſmodi diſcuſſione, in memo„riam venerint: ſuper aliis vero oblitis, et quae mentem „noſtram ſubterfugiant, licere, aiunt, in genere confeſ„ſiones facere, et dicere cum Pſ. 18, ab occultis meis „munda me, Domine.“ Haec illa ſunt, quae confutationis, in comitiis Auguſtanis publicatae, auctores, quoad hunc articulum noſtrum, monuerunt; ad quorum vero poſtulata ſufficiens in Apologia, vt deinde oſtendemus, datum eſt reſponſum. Iniquiſſima ANDR. FABRICII et IOH. COCHLAEI iudicia, ſeu potius calumniae et probra, in articulum hunc, ipſosque confeſſores coniecta, indigna ſunt, quae referantur.

(**) Quanquam pii confeſſores noſtri in eo, de quo hactenus diximus, articulo, euangelicam de confeſſione priuata ſententiam expoſuerunt, placuit tamen iisdem, in articulis, in quibus abuſus mutati recenſentur, horumque *articulo IV*, illam repetere, eumque declarare in modum, vt ratio pateat, quare priuata confeſſio in eccleſiis noſtris retineatur, omnium autem peccatorum enumeratio in ea non exigatur. Praecipua igitur, ob quam confeſſio apud nos retinetur, cauſa eſſe dicitur abſolutio; eaque occaſione, quanti ea fieri debeat, cum ſit vox Dei, et mandato Dei pronuntietur, tum vero etiam quo modo, reiectis ſatiſfactionibus, fidem illa ipſa poſtulet, indicatur. Rationes inde afferuntur, quare enumerationem delictorum in confeſſione non neceſſariam, nec conſcientias cura enumerandi omnia delicta onerandas eſſe, ſtatuamus;

ſtuamus; ac veterum, nominatim CHRYSOSTOMI, eandem in ſententiam teſtimonia adducuntur. *Confutationis Pontificiae* auctores, quoad hunc articulum, ad ea prouocant, quae in articulo XI notarunt, et CHRYSOSTOMVM eo in loco, qui a Confeſſoribus ex *Decretis* adducitur, quique in illius *homilia XXXI in ep. ad Hebr. Opp. t. XII, p. 259,* extat, de publica, non de ſacramentali et ſacerdotali confeſſione loqui, dictis cauſa, aiunt, aliiſque eiuſdem et HIERONYMI dictis, confeſſionem *integram* ad ſalutem neceſſariam eſſe, probare fruſtra conantur. Quod in articulo noſtro dicitur: „antea immodice extollebantur ſatiſſactiones, fidei vero „et meriti Chriſti, ac iuſtitiae fidei nulla (in confeſſione „videlicet, vel abſolutione,) fiebat mentio,“ veriſſime dictum eſſe, contra quam BELLARMINVS et TH. HEINRICI calumniantur, demonſtrat CAPZOVIVS, in *iſag. p. 364, ſq.*

(***) In *Apologiae Aug. Conf. capite IV, p. 158, ſqq.* ea, quae theologi pontificii in confutatione ſua ad articulum A. C. vndecimum monuerunt, expenduntur, praemiſſaque de abſolutionis beneficio, per doctrinam noſtram, eximium in modum, egregioque piarum mentium commodo, illuſtrata, praefatione, ad ſupra dicta illorum reſpondetur poſtulata. Ad prius igitur Apologia reſpondet, in eccleſiis noſtris plurimos ſaepe vti ſacramentis, abſolutione, (quae, quo ſenſu hic et alias in Apologia ſacramentum dicatur, in capite de ſacramentis exponemus,) et coena Domini; a doctoribus etiam populum inuitari, vt ſaepe iiſdem vtantur; horumque contemtoribus excommunicationem denuntiari; non autem certum, quod nec veteres conſtituant canones et patres, praeſcribi tempus, quia non omnes pariter eodem tempore ſint idonei, nec omnes, vno eodemque tempore, ordine audiri, et inſtitui poſſint. Ad alterum, quod ad enumerationem peccatorum in confeſſione ſpectat, poſtulatum Apologia reſpondet, ſic doceri in eccleſiis noſtris homines, vt ne laquei iniiciantur conſcientiis, et id qui-

dem largitur, prodeſſe, rudes aſſueſacere, vt quaedam enumerent, quo facilius doceri queant; enumerationem autem peccatorum ad conſequendam remiſſionem, iure diuino, de quo quaeſtio eſt, neceſſariam eſſe, negat, et, quo modo carnificinam conſcientiarum eam reddiderint *ſummiſtae* in Papatu, oſtendit. Atque id ipſum, enumerationem nimirum delictorum non eſſe iure diuino neceſſariam, in *Apologiae capite VI, p. 181, ſqq.* confirmatur; ſimulque rationes, quibus neceſſitatem illius aduerſarii propugnant, refelluntur.

(****) In *Articulorum Smalcaldicorum parte tertia* ſingularis quoque *de confeſſione* extat articulus, qui ordine eſt *octauus* Comparatus is ipſe eſt ad ſententiam, in Aug. Confeſſione propoſitam, et in eo adeo docetur, primo, confeſſionem et abſolutionem in eccleſia non eſſe abolendam, addita rei cauſa; ſecundo, enumerationem peccatorum vnicuique debere eſſe liberam, quid enumerare, aut non enumerare velit. Poſt ea, digreſſione quadam LVTHERVS, contra TH. MVNZERVM, quem *Monetarii* nomine deſignat, et *enthuſiaſtas* quoſuis, Deum nemini Spiritum vel gratiam ſuam, niſi per verbum, et cum verbo externo et praecedente, largiri, demonſtrat, deteſtabilemque enthuſiaſmi indolem graphice depingit. Ἀνσγὐητον quoddam in tractationis huius ſine, *p. 333*, occurrit, vbi LVTHERVS dicit: „Et nullus propheta, ſiue „Elias, ſiue Eliſaeus, Spiritum *ſine decalogo*, ſiue verbo „vocali, accepit." Manifeſte nimirum dictum hocce ſacrarum litterarum aduerſari videtur effatis, quae Spiritum ſanctum non per legis, ſed per euangelii praedicationem dari et accipi, affirmant. Vid. *Form. Conc. art. VI, p. 720.* Diuerſis modis verborum LVTHERI ſententiam ad analogiam fidei componere inſtituerunt interpretes; et alii quidem vocem *decalogi*, improprie et ſynecdochice, de verbo Dei in V. T. reuelato accipiendam eſſe, putant, quam in ſententiam in verſioue Latina *decalogus* explicatur per *verbum vocale*; alii vero, decalogum hic ſpectari, cenſent, quatenus is una cum lege euange-

lium

lium quoque in ſe complectitur. Rurſus alii id attendi volunt, quod prophetae non dicantur ſpiritum accepiſſe, per decalogum, ſed *cum*, ſeu *non ſine* decalogo; alii, reſpectum haberi, arbitrantur, ad eum Spiritus S. effectum, quo renatos, per legem, ad ſanctitatis ſtudium informat. IOH. FRID. WALLISERVS, in *vindiciis librorum ſymbol. p.* 273, *ſqq.* ex his, aliiſque expoſitionibus congeſtis, more ſuo, verba LVTHERI ſic enodauit, vt difficilem magis, quam explicatum eorum reddiderit ſenſum. Ex diſputatione LVTHERI contra enthuſiaſtas, et orationis ſerie, apparere, exiſtimamus, decalogum tantum vt exemplum verbi externi, cuius neceſſitatem LVTHERVS demonſtrat, ab ipſo proponi, et, prophetas non ſine illo Spiritum accepiſſe, dici, quia, vt *Formula Conc. l. c.* ait, „Spiritus „ſanctus miniſterio legis vtitur, vt per eam renatos do„ceat, atque in *decalogo* ipſis monſtret, quae ſit volun„tas Dei bona, et ipſi placens, et rel.

(†) B. LVTHERVS, in *Catechiſmo minore*, quintae illius parti, quae eſt de Sacramento altaris, breuem *de confeſſione* praemiſit inſtitutionem, eo ſpectantem, vt ad ſacramentum digne percipiendum praeparandi ſimpliciores de vera abſolutionis, quae fit a miniſtro eccleſiae, edendaeque coram illo peccatorum confeſſionis ratione erudiantur. Cum miniſtro eccleſiae ea tantum confitenda eſſe, dicit, peccata, quae nobis cognita ſunt, et quae in corde ſentimus, horum peccatorum confeſſionem, vtilem quidem, nequaquam vero neceſſariam eſſe, ſtatuit; id quod cum ex verbis eius, *Art. Smalc. p.* 331, paullo ante allatis, vbi liberum vnicuique eſſe debere, dicit, quid enumerare, aut non enumerare velit, tum ex iis, quae in fine inſtitutionis huius, *p.* 380, addit, clariſſime apparet. Peccatorum, quam LVTHERVS commendat, confeſſio nihil prorſus commune habet cum peccatorum, quam in confeſſione auriculari pontificii exigunt, enumeratione. Conf. CARPZOVIVS, in *iſag. p.* 1101.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

Poenitentia proprie his duabus conſtat partibus: altera eſt *contritio*, ſeu terrores incuſſi conſcientiae, agnito peccato; altera eſt *fides*, quae concipitur ex euangelio, quaque homo credit, propter Chriſtum gratis ſibi remitti peccata.

Vid. *Aug. Conf. art. XII; Apolog. Conf. cap. V, p. 165, ſqq Art. Smalc. P. III, art. III, p. 320.*

Expoſitio.

Poenitentiae nomine, ſenſu eccleſiaſtico, hominis peccatoris ad Deum deſignatur conuerſio; quae in ſacro Vet. Teſt. codice per τὸ שׁוּב אֶל יְהוָה, et in Noui Teſtamenti libris per τὸ μετανοεῖν et ἐπιςρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, enuntiatur. Vox quidem iſta Latina, ſi ad originem eius, vſumque ſpectes vulgarem, aeque ac Germanicum vocabulum *Buſſe*, dictis phraſibus, vocibuſque biblicis minus apte, reſpondet, nec conuerſionis, ad quam ſignificandam adhibetur, congruit rationi. Poenitentia enim proprie dolorem notat, ex male-

male facto conceptum, deduciturque a *poe-na*, eo quod, notante ISIDORO, *originum l. VI, c. 19, edit.* GOTHOFREDI, *p. 975*, ipſe homo in ſe puniat, poenitendo, quod male admiſit. Vſu vero in eccleſia recepto, poenitentiae vocabulum *συνώνυμον* eſt vocum biblicarum, תשובה, *ἐπιστροφῆς*, et *μετανοίας reſipiſcentiae*, eoque adeo nomine immediatus conuerſionis tranſitiuae, a Deo videlicet in hominem tranſeuntis, effectus, conuerſio, quae dicitur, intranſitiua denotatur. Proprio et adaequato poenitentia accepta ſenſu, duabus conſtat partibus, contritione et fide. Prima pars eſt *contritio*, quae in *Aug.* „*Confeſſione* deſcribitur per terrores, incuſſos „conſcientiae, agnito peccato; et in *Apolo-* „*gia*, per veros terrores conſcientiae, quae „Deum ſentit iraſci, et dolet, ſe peccaſſe. Ex quo intelligitur, contritionem ea omnia, quae cum terroribus, ſeu angoribus conſcientiae, cum antecedenter, tum conſequenter, coniuncta ſunt, in ſe complecti. Itaque ad contritionem pertinet cum *agnitio peccati*, ſiquidem homo poenitens ante omnia peccata ſua ex lege agnoſcere debet, tum *ſenſus irae* Dei aduerſus peccata, in lege reuelatae; vnde adeo terrores, angoreſque conſcientiae, in quibus contritionis ratio proprie conſiſtit, ſummique animi oriuntur dolores. Hos iam immediate conſequuntur *humiliatio coram* Deo, et *peccati confeſſio*, itemque ſeria

peccati

peccati deteſtatio. Altera pars verae poenitentiae eſt *fides*, quae ex euangelio concipitur, et in fiduciali apprehenſione meriti Chriſti conſiſtit, quippe cuius intuitu homo vnice iuſtificatur, ſeu peccatorum ſuorum conſequitur remiſſionem.

Confirmatio.

Verae poenitentiae duas has partes eſſe eſſentiales, contritionem et fidem, primum generatim probatur ex ipſius poenitentiae natura, vtpote quae eſt a peccato ad Deum conuerſio, *Act. XIV, 15; XXVI, 18;* ac proinde, quoad diſceſſum a peccato, contritionem, et, quoad acceſſum ad Deum, ipſiuſque gratiam, fidem neceſſario poſtulat. *Ioel. II, 12, 13; Rom. V, 2; Hebr. XI, 6.* Probatur item ex cauſis inſtrumentalibus, quibus Deus in conuertendis hominibus vtitur, lege videlicet, et euangelio. Illa peccata arguit, contritionemque operatur; hoc fidem in corde contrito excitat iuſtificantem. Sed et ipſa Scriptura ſacra in poenitentia, ſeu conuerſione impii, has duas ponit partes. Complura illius eam in rem dicta in *Apologia, p. 168, et ſeqq.* adducuntur. Primas in his tenent Seruatoris noſtri effata, *Matth. XI, 28,* et *Marc. I, 15,* quo in loco, *poenitentiam agere, et euangelio credere,* id eſt, meritum Chriſti, per quod iuſtificamur, quodque in euangelio reuelatur, vera fide amplecti, iubemur. Nempe hic

hic et alias, vbi poenitentia, et fides in Chriſtum diſtincte ponuntur, e. c. *Act. XX, 21*, poenitentiae vocabulum *μερικῶς* et ſynecdochice, de prima eius parte, quae eſt contritio, accipiendum eſſe, *Formula Concordiae, p. 711*, docet. Quod ſi vero etiam *μετάνοια*, his ipſis in locis, proprio ſuo in N. F. ſignificatu, nempe *ὁλικῶς*, de tota hominis poenitentia accipiatur, nequaquam tamen fides. vt diſtinctum quid ab illa in iiſdem proponitur, ſiquidem particula *καὶ* hic, vt ſaepe alias, eſt *ἐπεξηγητικὴ*, reddique debet, *praeſertim, cum maxime*; eaque adeo id, quod in poenitentia praecipuum eſt, indicatur. Ad comprobandas dictas poenitentiae partes etiam faciunt exempla, quae in ſacris litteris commemorantur, eorum, qui veram poenitentiam egerunt, Dauidis, publicani, *Luc. XIIX, 13*, Petri, aliorumque. Ad contritionem ſpeciatim quod attinet, quae in terroribus, conſcientiae incuſſis, conſiſtit, et cum praecedentem habet agnitionem peccatorum, iraeque diuinae aduerſus ea ſenſum, tum inſequentem coram Deo humiliationem, et confeſſionem peccati, huiuſque deteſtationem, illam in vere poenitentibus requiri, Scriptura quamplurimis in locis teſtatur. Vid. *Pſ. VI, 3. ſq. LI, 5; Ier. III, 13; Ieſ. LVII, 15; Pſ. XXXII, 5; Prou. XXVIII, 13*, et caet. Quandoquidem autem contritio, cum ex lege oritur, nequaquam medium eſt conſequendae remiſſio-

remiſſionis peccatorum, et in poenitentiae adeo partibus ordinis tantum rationem habet, facile hinc intelligitur, praecipuam illius partem eſſe fidem, quippe qua remiſſio obtinetur peccatorum, *Act. X, 43*, quaeque μετάνοιαν εἰς ζωὴν, poenitentiam efficit ſalutarem, *Act. XI, 18*.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Propoſitam in *articulo XII A. C.*, declaratamque hactenus et confirmatam, de duabus poenitentiae partibus, contritione et fide, doctrinam ſummopere auerſantur *pontificii*, vtpote qui pro tribus, quas ſcholaſtici confinxerunt, partibus, *contritione cordis*, *confeſſione oris*, et *ſatiſfactione operis* acriter pugnant, ac nullum prorſus inter poenitentiae partes fidei locum concedunt. Hinc orthodoxam noſtram doctrinam non ſolum confutationis in comitiis Auguſtanis fabricatores improbarunt, ſed etiam patres Tridentini, *ſeſſione XIV*, *capite III*, *de partibus et fructu ſacramenti poenitentiae*, formatoque inde *canone IIII*, damnarunt, oppoſitumque ei errorem lege, in eccleſia Romana perpetuo valitura, ſanxerunt. Quo iure poenitentiam illi, *cap. I*, et *can. I*, *ſacramentum*, et quidem *vere et proprie* tale, eſſe ſtatuant, in capite de ſacramentis exponemus. Nunc, quam perperam, duabus partibus, contritione videlicet et fide, poenitentiam conſtare, negent, treſque

que illas ſuas ei aſſerant partes, eſt demonſtrandum. Verba *canonis IV* concilii Tridentini haec ſunt: „Si quis negauerit, ad integram et perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in poenitente, quaſi „materiam ſacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confeſſionem, et ſatiſſactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum eſſe poenitentiae partes, terrores ſcilicet incuſſos „conſcientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex euangelio, vel abſolutione, qua „credit quis, ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, anathema ſit.“

Ne Confeſſionis Auguſtanae, ſeu eccleſiarum euangelicarum de duabus poenitentiae partibus doctrinam, canone iſto damnatam, temere reieciſſe videantur Tridentini, has eam in rem BELLARMINVS, *de ſacram. poenitentiae lib. I, c. 19, Controuerſ. t. III, p. 539, ſq.* affert rationes. Primo, terrorem animi, incuſſum a lege, quem Lutherani contritionem, ſiue mortificationem appellent, non recte inter partes poenitentiae numerari, dicit, cum terrores incuſſi ad conuerſionem quidem, vt praeparatio ad eam, requirantur, non vero poenitentiae conſtituant partem. Ad id probandum, ex ſacris litteris nequicquam adducit locum, *2 Cor. VII, 10.* Nec enim, quod ille vult, contritionem, prout ea a nobis explicatur, a poenitentia PAVLVS diſtin-

diſtinguit, hancque illius facit effectam, quin potius triſtitiam, ſeu dolorem de peccatis, quem lex operatur, ad poenitentiae eſſentiam pertinere, clariſſime docet. Ἡ κατὰ Θεὸν λύπη, *triſtitia ſecundum Deum*, contritio eſt cum viuifica Spiritus S. coniuncta conſolatione, ac de illa dicitur, eam, diuinae huius conſolationis, cuius per fidem participes reddimur, ratione, μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεσθαι, poenitentiam conſtituere ſalutarem. Definitiones poenitentiae, a LOMBARDO et GRATIANO collectae, ad quas BELLARMINVS inde prouocat, perperam Scripturae ſacrae, quae vere poenitentibus conſcientiae attribuit terrores, angoreſque, opponuntur auctoritati. Ineptiſſime, impieque ab eodem terror, qui ex agnitione peccatorum, et irae diuinae aduerſus ea oritur ſenſu, quemque Spiritus ſanctus, legis miniſterio, efficit, cum puerorum, beſtiarum, daemonumque confertur tremore. Pari modo, irritoque adeo ſtudio, Tridentinam euangelicae, quoad alteram poenitentiae partem, quae fides eſt, doctrinae condemnationem BELLARMINVS defendit. Nam et fidem poenitentiam antecedere, et ad hanc efficiendam neceſſario quidem requiri, prout etiam in *catechiſmo Rom.* P. II, p. 220, docetur, haudquaquam vero partem illius eſſe, ait. Per fidem autem, ſine qua poenitentia haberi nequeat, non eam, quam euangelici iuſtifi-

cantem

cantem eſſe, ſtatuant, ſed catholicam (Romanenſem ſcilicet, in generali, qui verbo Dei praebetur, conſiſtentem aſſenſu,) ſeſe intelligere, monet. Fidem poenitentiae partem non eſſe, probaturus, iis ſacrarum litterarum abutitur dictis, in quibus poenitentia et fides in Chriſtum diſtincte memorantur, *Marc. I, 15*, et *Act. XX, 21.* His ipſis autem dictis, fidem, quae promiſſiones euangelii de gratia Dei, et remiſſione peccatorum, per meritum Chriſti obtinenda, amplectitur, alteram verae poenitentiae conſtitui partem, in confirmatione theſis noſtrae, demonſtrauimus. Exemplum, quod ſecundo affert, *Niniuitarum*, de quibus, *Ion. III, 5*, relatum legitur, illos credidiſſe, indeque ſolemnem poenitentiam egiſſe, id quidem docet, hiſtoricam illorum poenitentiam praeceſſiſſe fidem; ſed de hac non eſt quaeſtio. Inanes, et reſponſione indignae ſunt, quas addit, rationes.

Videamus iam, quantopere verbi diuini de poenitentia doctrinae contrariae ſint tres illae, quas pontificii ei adiudicant, partes. Ante vero, quam ſigillatim id oſtendamus, generatim notamus, tripartitam pontificiorum poenitentiam, eo maxime nomine improbandam eſſe, quod ex partibus eius exulet fides, cuius tamen ſolius intuitu conſequimur remiſſionem peccatorum, quamquo adeo ad veram et ſalutarem poenitentiam Scriptura ſacra diſertis verbis requirit. Fidem

quidem ad poenitentiam neceſſariam eſſe, pontificii aiunt, ſed, vt ſupra oſtendimus, non niſi praeparationis ad illam loco eam habent, nec aliam, quam hiſtoricam intelligunt fidem; vera autem, quae ad poenitentiae eſſentiam, docente Scriptura, pertinet, fides, Tridentino reiicitur, damnaturque decreto. Hinc CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid. P. II, l. 7, p. 525*, „ad perpetuam, inquit, „rei memoriam notum ſit verae eccleſiae „Dei, concilium Tridentinum promittere „poenitentiae reconciliationem cum Deo, et „remiſſionem peccatorum, ſine fide, quae „quidem ex euangelio concepta ſit, et qua „quis credat, per Chriſtum ſibi remiſſa pec„cata.“ Ita vero tripartita pontificiorum poenitentia, ea, quam ad conſequendam remiſſionem peccatorum verbum Dei vnice requirit, carens parte, pro vera et ſalutari poenitentia minime omnium haberi poteſt; quin potius tres, quibus illa deſcribitur, partes poenitentiae conueniunt exitiali; id quod *Iudae*, τοῦ προδότου, exemplo patet, qui, cum poenitentia eius iſtas haberet partes, contritionem videlicet, confeſſionem, ſatiſfactionem, tamen ſaluti ſuae deſperauit, ſeque laqueo ſuſpendit. Originem earundem a poenitentiae publicae, in eccleſia olim vſitatis, ritibus externis repetendam eſſe, *Apologia Aug. Conf. p. 183*, docet. Ex his nimirum tres poenitentiae coram Deo pontificii conſtitue-

ſtituerunt partes, illasque ipſas ad confiċti poenitentiae ſacramenti materiam accommodarunt. Vid. CHEMNITIVS, *l. c.* Speciatim nunc, qua ratione ſingulae iſtae pontificiae poenitentiae partes ſanae aduerſentur doctrinae, eſt demonſtrandum. Ad *contritionem* igitur quod attinet, nomen quidem illius commune nobiſcum habent pontificii, quoad rem ipſam autem *δὶς διὰ πασῶν* a noſtra diſcrepant ſententia, veritatique abſona ſunt, quae de illa tradunt. Etenim contritionem non paſſionem, ſed actionem, eamque liberam ac voluntariam eſſe, ſtatuunt. Vid. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XIV, cap. 4*, et *can. 5*; et BELLARMINVS, *de poenit. l. II, c. 2, p. 548*, a quo etiam, *p. ſq.*, ad euangelium contritio refertur. Contra ea Scriptura, contritionem opus Dei eſſe, docet, quo is per verbum legis cor hominis peccatoris conterit, *Ierem. XXIII, 29*; *Ezech. XI, 19*, et caet. eandemque compluribus vocibus, quae cunctae veram paſſionem ſignificant, enuntiat. Vid. *Apolog. p. 165 ſq.* Perperam igitur per actionem liberam, quae ex libero arbitrio, quocum BELLARMINVS quidem, *l. c. cap. 3*, diuinum axilium coniungit, proficiſcatur, doloremue voluntarie aſſumtum, contritio definitur, euangelioque, quod legis eſt, tribuitur officium. Contra Scripturam item, fidei effectus adiudicatur contritioni, vitae nimirum nouae propoſitum et inchoatio, quippe quam in illa contineri,

Concilium Tridentinum, *l. c. cap. 4*, pronuntiat. Conf. BELLARMINVS, *l. c. cap. 6, et 7, p. 554, ſqq.* Inania porro, et a verbi diuini doctrina aliena prorſus ſunt, quae de contritionis, ad iuſtificationem ſufficientis, quantitate, de dolore, vel intenſiue, vel appretiatiue ſummo, de contritione imperfecta, ſiue attritione, ex timore poenae orta, eiuſque vtilitate, pro tuenda Concilii Tridentini ſententia idem ille diſputat, *cap. 10, 11, 17, et 18*. Id denique grauiſſimam meretur animaduerſionem, quod Tridentini patres, ſcholaſticorum de merito ex congruo inhaerentes ſcitis, remiſſionis peccatorum, quae per et propter meritum Chriſti, ſola obtinetur fide, cauſam fecerint contritionem, eaque hominem Deo, ſtatuerint, reconciliari. Ineptum exitioſi etiam erroris huius defenſorem ſe oſtendit BELLARMINVS, *cap. 12, p. 563, ſqq.*

De *confeſſione*, altera poenitentiae pontificiae parte, ſingulari exponemus theſi. *Satiſfactionis*, quam tertiam pontificii venditant poenitentiae partem, prout ea in CONC. TRID. *ſeſſ. VI, cap. 14*, et *ſeſſ. XIV, cap. 8, 9*, et in CATECHISMO ROMANO, *P. II, § 84, ſqq.* deſcribitur, et a BELLARMINO, *de poenit. lib. IV, p. 6[illegible], ſeqq.* explicatur, ratio haec eſt. Docent: hominibus, poſt baptiſmum peccantibus, remitti quidem culpam, remanere vero ſaepe, culpa remiſſa, debitum poenae temporalis, tum in praeſenti, tum in futura vita

in

in purgatorio, luendae: remanentem interdum poenae temporalis reatum bonis operibus redimi, ſiue, pro illo ſatiſfieri poſſe: opera laborioſa, quibus is expietur, tum ſponte aſſumenda, tum etiam a ſacerdotibus in ſacramento poenitentiae eſſe iniungenda: opera haec ſatiſfactoria eſſe, orationem, ieiunium, ad quod cineres, cilicia, flagellationes, etc. referuntur, et eleemoſynam: per haec opera hominem iuſtificatum vere Deo ſatiſfacere pro reatu poenae temporalis. Haec igitur eſt pontificiorum de ſatiſfactione doctrina, quae falſa de poenae temporalis debito, a iuſtificatis perſoluendo, nititur ὑποθέσει. Deſtructo igitur illius fundamento, ſponte ſua corruunt omnia, quae in id mira arte ſunt congeſta. Enimuero falſum omnino eſt, quod dicitur, vere poenitentibus, cum reatu culpae, non ſimul etiam poenae temporalis aeque, ac aeternae ſemper remitti reatum, ſed pro temporali iuſtificatis eſſe ſatiſfaciendum. Scriptura certe eum in modum deſcribit remiſſionem peccatorum, vt omne malum peccato promeritum, per eam prorſus auferri, nec quidquam adeo, quod vllius poenae rationem habeat, remanere intelligatur. Vid. *Pſ. XXXII, 1, 2; Ieſ. XXXIIX, 17; XLIV, 22; Ierem. XXXI, 34; Ezech. XVIII, 22; Mich. VII, 19;* et caet. Ipſa id condocet remiſſionis culpae natura, ſi quidem remittere culpam nihil aliud eſt, quam

eam non imputare ad poenam, ſeu ita condonare, vt reus poenam luere non teneatur. „Exemto reatu, inquit TERTVLLIANVS, „*lib de baptiſmo, c. 3, p. 226, ed. Pariſ. a. 1675*, „eximitur et poena.“ Conf. GERHARDVS, *conf cath. l. II, part. 3, art. 16, c. 5, p. 1279.* Praeter ea vero etiam aſſertio illa, qua, remiſſa culpa, poenam, pro qua iuſtificatis ſatiſfaciendum ſit, remanere, affirmatur, ſumme iniuria eſt in ſanctiſſimi Seruatoris noſtri ſatiſſactionem, vtpote qui omnes peccatorum noſtrorum poenas in ſe ſuſcepit, ac pro illis pleniſſime ſatiſfecit, *Ieſ. LIII, 4, 5;* et cuius adeo perfectiſſimae ſatiſſactionis intuitu, credentes in illum culpae pariter, atque poenae omnis conſequuntur remiſſionem. Satiſfactionem quidem Chriſti huc etiam refert Concilium Tridentinum, ſed ita, vt, indigniſſimo modo, noſtras cum illa componat ſatiſfactiones. Vid. CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid. part. II, loc. 11, p. 553, et p. 559.* Nequicquam aduerſarii, Dauidis exemplo, *2 Sam. XII, 14; XXIV, 10, ſqq.* probare conantur, Deum iis, quibus culpam remiſit, poenas infligere temporales. Etenim Dauidi quod contigit, non poenae, proprie ſic dictae, ſed correptionis, caſtigationiſque paternae habendum eſt loco. Poena, proprie ſic dicta, a iuſto iudice, irrogante poenam, delicto promeritam, non a patre proficiſcitur benigno, qualis, iuſtificatorum, reſpectu, Deus eſt, per

Chri-

Chriſtum eis reconciliatus. Varii quidem generis afflictiones, calamitateſque piis ac fidelibus hac in vita immittere ſolet Deus. Tantum vero abeſt, vt illae ipſae proprie ſic dictae ſint poenae temporales, vt potius ſint caſtigationes, paterni Dei erga ipſos affectus praebentes documentum, *Prouerb. III, 11, 12; 1 Cor. XI, 32; Hebr. XII, 5, ſqq.* et ad ſalutares illarum vſus, euentuſque comparatae, *Rom. V, 3, ſqq. VIII, 28; 2 Cor. IV, 16; 1 Petr. IV, 1, 2.* Quem ad modum autem id, quod ſatiſſactioni, tertiae poenitentiae ſuae parti, Pontificii fundamenti loco ſubſternunt, remanere ſcilicet, poſt culpam remiſſam, poenae temporalis, eiuſque non in hac vita ſolum, ſed etiam poſt mortem, in conficto nimirum ab ipſis, lucri cauſa, purgatorio, luendae debitum, coeleſti aduerſatur veritati; ita, quae ad praecipuum hunc errorem compoſita ſunt, pronuntiata omnia aeque abſona ſunt et falſa. Poenae temporalis reatum redimi, et expiari, ſiue, pro illo ſatiſfieri, pontificii aiunt, operibus laborioſis, tum ſponte aſſumtis, tum a ſacerdotibus in ſacramento poenitentiae iniunctis. Nihil quidquam hominem operibus ſuis mereri, nedum iiſdem Deo ſatiſfacere poſſe, ex inſtituto, *capite IX, de bonis operibus*, oſtendemus. Opera illa laborioſa, quae pro ſatiſfactoriis venditantur, ſi pontificiam de iis doctrinam, praxinque ſpectes, ne bona quidem ſunt opera,

ſed cultus electitius, qui a Deo grauiter reiicitur et damnatur. Commentitiam eſſe, quam ſacerdotes ſibi arrogant, opera ſatiſſactoria in ſacramento poenitentiae iniungendi, poteſtatem, ex hactenus dictis patet.

Paucis nunc videamus, quibus argumentis, Deo pro poena temporali, culpa ſcilicet dimiſſa quae remaneat, vere ſatiſfieri, BELLARMINVS probet. Απροσδιόνυσα ſunt, quae *l. c. cap. VIII, p. 624, ſq.* eam in rem ex ſacris litteris profert, argumenta. In primo enim, quem ex *Ieſa. cap. I, v. 16, et ſeqq.* adducit, loco, nulla prorſus nec poenae temporalis, nec ſatiſſactionis, pro illa praeſtandae, fit mentio; non ſatiſſactionibus, ſed verae poenitentiae, ex fructibus cognoſcendae, remiſſio promittitur peccatorum. Pari modo nequicquam errori ſuo praeſidium petit ex locis, *Dan. IV*, 24, et *Prou. XVI*, 6. In his ſcilicet, verſioni inhaerens Vulgatae, hoc dici, ait, peccata operibus noſtris redimi, idque idem eſſe vult, ac, noſtris operibus ſatiſfieri pro peccatis. Perperam autem DANIELIS ad Regem Nabuchodonoſorem verba Vulgatus interpres reddidit: *peccata tua eleemoſynis redime, et iniquitates tuas miſericordiis pauperum;* quippe quae in fontibus ſonant: חטיך בצדקה פרק ועויתך במחן ענין id eſt: *peccata tua per iuſtitiam abrumpe, et iniquitates tuas, miſerendo afflictorum.* Etenim verbum פרק *abrumpendi* hic accipiendum eſſe

eſſe ſignificatu, ſolide demonſtrat B. GEIERVS, in *commentario ad h. l. p. 356.* Hiſque adeo verbis DANIEL regem, qui tyrannice adhuc regnauerat, vt a peccatis et iniquitatibus ſuis, iniuſtitia videlicet ac ſaeuitia, deſiſtat, et ad iuſtitiam, benignitatemque ac miſericordiam animum conuertat, adhortatur. Ex quo apparet, quam inepte verba haec, quibus infideli et impio regi vitae in melius mutationem propheta ſuadet, ad probandam ſatiſſfactionem, quae pro poena temporali, a iuſtificato, per opera poenalia, praeſtari debeat, a BELLARMINO, idque, contra quam ipſe, *lib. II, de poenit. c. 12, p. 563,* aeque tamen falſo, de his ſtatuit verbis, adhibeantur. Haud magis ad rem alter eſt locus, vbi SALOMO dicit: בחסד ואמת יכפר עון *per benignitatem et veritatem delebitur iniquitas.* Quemadmodum enim עון *iniquitas,* non poena eſt peccati, et *benignitas ac veritas* non opera ſunt poenalia, in quibus ſatiſſfactiones ſuas poſitas eſſe volunt pontificii, verbum denique כפר, quod Latinus interpres *redimere* reddidit, proprie *tegere,* indeque etiam tollere, *abolere,* ſignificat: ita vera dicti huius ſententia ex ſequentibus *commatis ſexti* cognoſcitur verbis: וביראת יהוה סור מרע *et per timorem Domini diſceditur a malo;* quippe quibus priora illa, more ſuo, diuinus prouerbiorum ſcriptor explicat, dilucidatque; vt adeo totius dicti ſenſus ſit: virtutum a

Deo mandatarum ſtudio et obſeruatione, ex animis hominum deleri iniquitatem, ſeu ab eo, quod iniquum, impiumue eſt, recedi. Non iuuat, immorari manifeſtis BELLARMINI ψευδερμηνείαις, quibus *dignos poenitentia fructus*, *Matth. III, 8*, de ſatiſfactionibus pro poena temporali exponit, et ad illas Corinthiorum ἐκδίκησιν. qua voce animaduerſio eorum in inceſtuoſum, *2 Cor. VII, 11*, ſignificatur, detorquet.

Ita poſtquam Scripturae ſententiis luſit, alio praeſtigiarum genere, *cap IX, p. 626, ſqq.* vtitur BELLARMINVS, veteris ſcilicet eccleſiae traditione pontificiam fucans ſatiſfactionem. Sed ab hac omni modo diuerſa eſt eccleſiae veteris ſatiſfactio. Nempe in orbe chriſtiano vſu olim receptum fuit, vt qui atrocia commiſerant delicta, iiſdemque coetum ſacrum grauiter offenderant, ante, quam in eccleſiae reciperentur communionem, ſerium de peccatis admiſſis dolorem externis ritibus, operibuſue laborioſis, quae Graeci ἐπιτίμια et τιμωρίας, Latini *ſatiſſactiones* dixerunt, declarare tenerentur. Itaque pontificia ſatiſſactio cum priſcis illis ſatiſſactionibus, praeter nomen, nihil habet commune. Vid. *Apologia A. C. art. VI, p. 183* Conf. CHEMNITIVS, *exam. Conc Trid. P. II. loc. 4, p. 553.* et *P. IV, ſect. 2, c. 1, p 88, ſqq.* Patrum de ſatiſſactionibus dicta vel ad vſitatos illos publicae poenitentiae ſpectant ritus, quos praeter

praeter modum quandoque commendarunt, vel eo, quo Latinae ſatiſfaciendi et ſatiſfactionis voces, ex vſu vulgari, poenitentiae conueniunt, accipienda ſunt ſenſu. Id vtique conſtat, Patres nequaquam ſtatuiſſe, remiſſa culpa, remanere debitum luendae poenae temporalis, proprie ſic dictae; ac pro illo hominem iuſtificatum ex condigno ſatiſfacere poſſe. Ἀπροσδιόνυσα adeo etiam ſunt omnia ac ſingula, quae BELLARMINVS, *l. c.* excitauit, Patrum teſtimonia; quem ad modum, praeter HENR. HOEPFNERVM, in *diſp. de ſatiſfactionibus pontificiis, c. II, th. 32, et ſeqq.* egregie oſtendit IOH. DALLAEVS, in praeſtantiſſimo *de poenis et ſatiſfactionibus humanis*, Amſtelaedami, anno MDCXXXXIX edito, opere, in quo, pontificiorum de fidelium poenis et ſatiſfactionibus dogma, neque in diuinis Scripturis, neque in primitiuae eccleſiae monumentis, vllum habere firmum, ac ſolidum fundamentum; idque adeo ex humani ingenii partim errore, partim etiam fraude exortum, multiplicique ſcholaſticorum induſtria elucubratum, in eam tandem formam, quae hodie in Romanae eccleſiae vſu, atque praxi conſpicitur, coaluiſſe, demonſtrauit. Vid. in primis *lib VII, p. 632, ſqq.*

Falſae pontificiorum de ſatiſfactione doctrinae adhaeret, et ad illam ipſam, notante LVTHERO, in *artic. Smalc. p. 324*, comparatum eſt commentum *indulgentiarum*, quarum nun-

nundinatio ad ſalutarem coeleſtis doctrinae repurgationem, Dei auſpicio, a b. LVTHERO ſuſceptam, praebuit anſam. Commentum hoc eſt: epiſcopos Romano catholicos, praeſertim ſummum pontificem, poteſtatem habere concedendi indulgentias, quibus poenae temporalis, remiſſa culpa, vel in hac vita, vel in purgatorio, luendae, debitum tollatur; haſque indulgentias ex ſatiſfactionum diſtribui theſauro, ex ſuperabundantibus Chriſti et ſanctorum paſſionibus conflato, eccleſiaeque Romanae commiſſo et credito diſpenſationi. Patres Tridentini non e re ſua, vt videtur, eſſe iudicarunt, indulgentiarum exponere rationem. Nam in *XXV*, eaque vltima, *ſeſſione*, generali tantum decreto, indulgentiarum, quarum conferendarum poteſtas eccleſiae a Chriſto conceſſa ſit, vſum in eccleſia retinendum, abuſus vero earundem emendandos et corrigendos eſſe, ſtatuunt. Sed defectum illum abunde ſuppleuit praecipuus ille errorum pontificiorum propugnator, BELLARMINVS, quippe qui, duobus *de indulgentiis* libris, *controuerſ. t. III, p. 646, ſqq.* eas non ſolum copioſe deſcripſit, ſed etiam more ſuo, id eſt, ineptis rationibus probauit, atque defendit. Non opus eſſe, arbitramur, vt iiſdem confutandis operam impendamus, poſteaquam πρῶτον, cui innituntur, de poenis videlicet et ſatiſfactionibus iuſtificatorum, modo profligauimus ψεῦδος; et quiuis facile intel-

intelligit, ὑποθέσεως χάριν confictum, nec ἄγραφον ſolum, ſed etiam ἀντίγραφον eſſe illum, qui Romanae eccleſiae vindicatur, et ex quo indulgentiae diſtribui dicuntur, ſatiſfactionum theſaurum. Legendus in primis eſt MART. CHEMNITIVS, in *exam Conc. Trid. P. IIII, loc. 3, de ingaldentiis, p. 69, ſqq.* vbi, *ſect. I*, pontificiae de indulgentiis doctrinae falſitatem demonſtrat; *ſectione* autem *II*, indulgentiarum hiſtoriam enarrat, et, quo modo ex ritibus publicae poenitentiae in veteri eccleſia, ex mulctarum canonicarum relaxatione, commutatione, ſeu redemtione, poſteris temporibus, nouum iſtud indulgentiarum papalium extructum fuerit genus, exponit. Addi merentur HENR. HOEPFNERI et IOH. MVSAEI, *de indulgentiis diſputationes*, quibus BELLARMINI et GREGORII DE VALENTIA pro iiſdem argumenta refelluntur.

Hactenus contra Pontificios theſin noſtram defendimus, et illorum de poenitentiae partibus confutauimus errores. Neque vero iſti ſolum, fidem poenitentiae partem eſſe, negant, ſed idem etiam facit CALVINVS, quippe qui, *inſtitut. lib. III, c. 3*, poenitentiam et fidem diuerſa eſſe, et ex hac illam naſci, docet; fidemque adeo poenitentiae partibus excludens, *mortificationem carnis*, et *viuificationem ſpiritus*, eſſentiales illius conſtituit partes. CALVINO ſuffragantur *Reformati* pleri-

plerique omnes. Duae autem illae, quibus conuerſionem hominis ad Deum conſtare dicunt, partes in CATECHESI PALATINA, *qu. 89, et 90,* ita explicantur, vt ad mortificationem veteris hominis, dolor propter peccatum patratum, odium peccati, et fuga eiuſdem; ad viuificationem noui hominis, vera laetitia in Deo per Chriſtum, et ſerium ac promtum ſtudium inſtituendi vitam ex voluntate Dei, omniaque bona opera exercendi, referantur. Vid. I. R. RODOLHVS, in *expoſ. catech. Palat. p. 460, ſqq.* DAN. CHAMIER, *Panſtrat. Cath. l. III, c. 23, p. 490:* „veram, inquit, poenitentiam dicimus conſiſtere tum in dolore concepto ex ſenſu peccatorum, tum in ſerio propoſito vitae in melius commutandae.“ Dolorem de peccatis admiſſis ad poenitentiam pertinere, extra controuerſiam poſitum eſt, quatenus autem fuga peccati ad mortificationem veteris hominis refertur, haec aeque, ac noui hominis viuificatio, prout a Reformatis exponitur, ad renouationem ſpectat; ac perperam adeo fructus poenitentiae, eſſentiales huius conſtituuntur partes. Fidem vere, praecipuaque ratione, poenitentiae eſſe partem; tum vero iis, quae in contrariam ſententiam BELLARMINVS affert, ſacrarum litterarum dictis, fidem a poenitentia nequaquam diſtingui, ſupra oſtendimus; indeque adeo intelligitur, a CALVINO etiam, BVCANO, cae-

teriſque falſo dici, poenitentiam et fidem, tanquam duo diuerſa, Scripturam enumerare. Fidem ex partibus poenitentiae extrudentibus annumerandi ſunt, praeter *Arminianos*, *Weigelianos*, et caet. *Sociniani*, qui, interprete SMALZIO, *diſp. 2, de poenit. contra* FRANZIVM, *p. 354*, fidem ad naturam poenitentiae haud pertinere, ſed conſequens eius eſſe, contra ea nouam obedientiam ſolam fere poenitentiae, quippe quae integra hominis ſit reformatio, eſſentiam conſtituere aiunt, errorique iſti ſuo conuenientem voci μετάνοια attribuunt ſignificatum. Socinianum hunc errorem ſolide refellit b. SCHERZERVS, *coll. anti-Socin. diſp. XCI, p. 742, ſ.*

THESIS II

Poenitentia omnes ſine exceptione opus habent homines.

Vid. *Aug. Conf. art. XII; Artic. Smalc. P. III, a. III.*

Expoſitio, et confirmatio.

Poenitentiam hominibus peccatoribus omnibus neceſſariam eſſe, de eo nulla eſt dubitatio. Eo vero numero ipſos etiam eſſe renatos, in theſi noſtra affirmatur. Quanquam enim renati, qua tales, proaeretice non peccant, *1 Ioh III. 9;* tamen, ob inhaerens eis peccatum, infirmitatiſque et ignorantiae,

quae

quae ab iiſdem committuntur, peccata, quotidiana opus habent poenitentia, quae *ſtantium* appellatur, et a *lapſorum* poenitentia non eſſentialiter, ſed gradibus tantum differt. Quin etiam a proaereticis peccatis renatorum nemo liber eſt atque immunis. Egregie LVTHERVS, in principio theſium ſuarum, contra indulgentias, ſub reformationis initium propoſitarum: „Dominus et Magiſter „noſter, IESVS Chriſtus, dicendo: poeniten„tiam agite, etc. omnem vitam fidelium „poenitentiam eſſe voluit.“ Clariſſimis theſis noſtra ſacrarum litterarum confirmatur dictis, quae, omnes ſine exceptione homines, ipſoſque adeo renatos etiam et ſanctos, peccatores eſſe, et remiſſionem peccatorum expetere, neceſſe habere, teſtantur. Vid. *Pſ. XXXII, 6; CXLIII, 2; Matth. VI, 12; Gal. V, 17; 1 Ioh. I, 8, ſqq. Iac. III, 2, et caet.*

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

In *Aug. Conf. art. XII parte ſecunda* damnantur, „qui tantam quibuſdam in hac vita „perfectionem contingere poſſe, conten„dunt, vt peccare non poſſint.“ Perfectiſſimum hunc, a confeſſoribus damnatum, *Schwenckfeldianorum* fuiſſe errorem, eundem vero non fanaticos ſolum pleroſque omnes adoptaſſe, ſed *pontificios* etiam, *Socinianos*, *Arminianos*, et alios profiteri, ſupra *p. 365*, notauimus. Pontificii certe, a LVTHERO, *artic.*

Smalc.

Smalc. part. III, articulo III, grauiter eo nomine reprehenſi, non omnes homines poenitentia opus habere, ſtatuunt: quae ipſorum aſſertio falſis his nititur hypotheſibus: peccatum originis per baptiſmum aboleri, remanentemque in regenitis concupiſcentiam non eſſe vere peccatum; peccata quaedam actualia natura ſua eſſe venialia; regenitos legem Dei perfecte implere poſſe. Ita, praeter caeteros, BELLARMINVS ab vniuerſali poenitentiae neceſſitate iuſtos diſertis excipit verbis, *de ſacram. poenit. lib. I, c. IV, prop. 4, t. III, p. 541.* Poenitentiam non omnibus hominibus eſſe neceſſariam, ſpeciatimque iuſtos illa non opus habere, hoc maxime argumento BELLARMINVS, itemque ex Socinianis SMALZIVS, et caeteri probare conantur, quod ex dicto *Luc. XV. 7*, deſumunt, vbi Saluator, *iuſtos* dari, ait, *qui poenitentia non indigeant.* At enimuero dictum hoc contra ſcopum mentemque Chriſti affertur, ὑποθετικῶς videlicet accipiendum. Ad parabolam id pertinet, quae phariſaeis opponitur, *v. 3*, qui ſibi perſuadebant, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, *ſe eſſe iuſtos*, et, propriae iuſtitiae perſuaſione tumidi, caeteros prae ſe contemnebant. *Luc. XIIX. 9.* Itaque iuſtorum nomine, non vere tales, ſed vani iuſtitiae oſtentatores intelliguntur, qui, ſua ſcilicet opinione, poenitentia non egebant.

THESIS III

Confeſſio peccatorum priuata, quae fit coram verbi diuini miniſtro, in eccleſiis euangelicis merito retinetur; nequaquam autem omnia ac ſingula enumeranda ſunt peccata, nedum delictorum omnium enumeratio, iure diuino, eſt neceſſaria.

Vid. *Aug. Conf. art. XI, et de abuſ. mutat. art. IV; Apolog. A. C. cap. IV, p. 158, et VI, p. 181; Artic. Smalcald. part. III, art. IIX, p. 331; Catech. min. p. 378, ſeqq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Confeſſio peccatorum vel publica eſt, vel priuata. Ad priuatam primo loco pertinet ea, qua homo poenitens *Deo*, eique ſoli, corde contrito, peccata ſua confitetur, ac remiſſionem illorum propter Chriſtum ab ipſo petit. Et haec quidem confeſſio lapſo cuiuis, poenitentiam agenti, quin etiam ipſis piis ac credentibus, vtpote qui poenitentia opus habent quotidiana, ſimpliciter eſt neceſſaria; ſiquidem illius neceſſitas in ſacris litteris multis modis declaratur. Vid. *Pſalm. XXXII, 5; Prou. XXVIII, 13; Matth. VI, 12; 1 Ioh. I, 9; Luc. XVIII, 13.* Comprehenditur

illa

illa ipſa ſub prima poenitentiae parte, quacum nimirum arctiſſimo coniuncta eſt nexu. Ad confeſſionis priuatae ſpecies, ſecundo, referenda eſt ea, quae coram *miniſtro eccleſiae* ab iis maxime fieri ſolet, qui ad ſacram coenam accedunt, vt ab illo a peccatis ſuis abſoluantur, quaeque vulgo confeſſio dicitur *auricularis*. Tertio, peccatorum, coram *proximo* edenda, *Iac. V, 16*, praecipitur confeſſio, quae ad fraternam, a Seruatore noſtro, *Matth V, 23, 24*, mandatam, ſpectat reconciliationem. De hac enim dictum IACOBI omnino intelligendum eſſe, in *Apologia A. C. p. 182*, monetur. Theſis noſtra de illa ſpeciatim loquitur confeſſione peccatorum priuata, quae fit coram miniſtro eccleſiae, hancque in eccleſiis euangelicis merito retineri, primum affirmat. Quanquam enim ſpeciali ea caret praecepto diuino, nec adeo ſimpliciter et abſolute eſt neceſſaria; tamen a generali peccata confitendi mandato non alienum eſt, vt etiam coram miniſtro verbi diuini, quippe cui a peccatis abſoluendi Seruator noſter dedit poteſtatem, *Ioh XX, 23*, eorundem edamus confeſſionem. Atque hanc ipſam abſolutionem, quae verbum Dei eſt, quod de ſingulis, auctoritate diuina, pronuntiat poteſtas clauium, quaeque adeo maximum eſt beneficium, Confeſſores noſtri praecipuam cauſam eſſe docent, quare confeſſio et abſolutio priuata in eccleſiis noſtris

retineatur. Vid. *Aug. Conf. art. IV, de abuſ. mutatis*, *p. 27 et 28*, et *Apolog. p. 181.* Conf. *Art. Smalc. p. 331.* Sed et aliae complures, quas priuata haec confeſſio praeſtat, *locis citatis*, commemorantur vtilitates; ſiquidem illa ipſa miniſtris eccleſiae occaſionem praebet, eos, qui ad euchariſtiam admittendi ſunt, explorandi, et vnumquemque, prout conuenit, vel inſtituendo, vel arguendo, vel adhortando, conſolandoue, ad ſalutarem illius praeparandi vſum. Neque vero etiam in ſacris litteris exempla deſunt eorum, qui coram miniſtris Dei ſua confeſſi ſunt peccata. Vid. *2 Sam. XII, 13; Matth. III 6.* Ex quo adeo patet, in theſi noſtra vere affirmari, confeſſionem cum abſolutione priuata in eccleſiis euangelicis omnino eſſe retinendam, ſalua tamen, vſitati quoad eam moris ratione, eccleſiae cuiuſuis libertate. Sed et, ſecundo, veriſſime negatur, in confeſſione illa, omnia et ſingula neceſſario enumeranda eſſe peccata. De confeſſione ἰδίως, ſeu ſpeciali quorundam peccatorum, eorum in primis, quibus poenitentis conſcientia cum maxime angitur, non eſt quaeſtio. Huiuſmodi enim confeſſionem coram miniſtro eccleſiae edere, cuique non liberum ſolum, ſed vtile etiam eſt, et ſalutare. Vid. *Apol. A. C. p. 159*; *Art. Smalc. p. 331*, et *Catech. min. p. 378, et 380.* Id quaeritur, num in confeſſione omnium et ſingulorum peccatorum enumeratio ſit neceſſaria.

Atque

Atque hoc eſt, quod negatur, quia enumeratio iſta non vllum habet ἐν ταῖς γραφαῖς mandatum, promiſſumue, quin potius neceſſitas illius eorum, quibus, abſque illa, peccata remiſſa fuerunt, conuellitur exemplis. *Matth. IX, 2; Luc. VII. 47; XVIII, 13; Act. II, 37, 38,* et caet. Alia ratio in *Aug. Conf. art. XI*, itemque *partis poſter. art. IV*, affertur, ducta ab impoſſibili, eaque comprobatur verbis Dauidis, *Pſalm. XIX, 13: delicta quis intelligit?* Nec enim vocabulum שגיאות, quod eſt in textu Hebraeo, ignorantiae tantum peccata, ſed quicquid aberrationis a lege diuina rationem habet, ac generatim adeo omnia ſignificat peccata.[t] Plura hic non addimus, ea, quae, ad profligandam peccatorum in confeſſione enumerationis neceſſitatem, dicenda ſuperſunt, in ſequenti pontificiae ἀντιθέσεως confutatione, expoſituri.

Ἀντιθέσεως confutatio.

Theſi noſtrae, quoad partem primam, aduerſantur *Caluiniani, Sociniani, Anabaptiſtae*, itemque *fanatici* omnes, quippe qui confeſſionem priuatam maximopere improbant, eccleſiaſque, in quibus illa retinetur, euangelicas eo nomine inſectantur. Quam iniurioſi autem in priuatam, quae in eccleſiis noſtris locum habet, confeſſionem, non externi tantum illi, ſed etiam domeſtici eius ſint hoſtes, cum ex conuitiis, quibus illam ipſam

proſcindere ſolent, tum ex rationibus, quibus eandem impugnant, apparet. Nempe ex Papiſmo originem trahere, et ad Papiſmi adeo reliquias vſitatam apud nos confeſſionem pertinere, aiunt. Vetus id eſt ἔγκλημα, quo emendatam LVTHERI miniſterio religionem complurium, quae in ea remanſerint; corruptelarum pontificiarum inſimularunt THOMAS MVNZERVS cum ſodalibus, itemque ZWINGLIVS et CALVINVS; eaque criminatione, opinionibus illorum imbuti pariter, atque in ipſa eccleſia noſtra praui quidam cenſores aduerſus omnia, quae ipſis minus placent, eiuſdem inſtituta, vtuntur. Singulari opera illam repulit IOH. HERM. AB ELSWICH, in commentatione *de reliquiis Papatus eccleſiae Lutheranae temere affictis*, edita Hamburgi, a. MDCCXXI. Iniquiſſime omnino Papiſmi incuſatur priuata peccatorum, quae coram verbi diuini miniſtro editur, in eccleſiis euangelicis vſu recepta, confeſſio, vtpote quae ſolidis, in expoſitione Θέσεως adductis, nititur fundamentis, et ab auriculari, quam INNOCENTIVS III, ſeculo XIII, in eccleſiam Romanam inuexit, omni modo differt confeſſione. Diuerſiſſimam a pontificia euangelicorum eſſe confeſſionem, cum res ipſa loquitur, tum vel ex Concilii Tridentini cognoſci poteſt decretis, damnationibuſque. Eodem loco caeterae habendae ſunt rationes, quibus priuatae confeſſionis

nis hoſtes eam inſectantur. Nam vel in manifeſto falſis illae conſiſtunt imputationibus, vel ad confeſſionis huius ſpectant abuſus. Variis vtique abuſibus obnoxiam eam eſſe, fatemur, hoſque nimis frequentes eſſe, maximopere dolemus. Quandoquidem autem iidem confeſſioni priuatae, non ex ipſius indole et natura, ſed ex vitio abutentium, adhaerent, facile patet, ob abuſum, cui ſanctiſſima quaeuis expoſita ſunt inſtituta, perperam illius reiici vſum.

Veniendum iam eſt ad *pontificios*, quibuſcum, quoad alteram θέσεως partem, longe maxima controuerſia nobis intercedit. Etenim Romanenſes ad auricularem confeſſionem, quam poenitentiae, ſacramenti nomine inſignitae, alteram perperam conſtituunt partem, coram ſacerdote, vt ſpirituali iudice, edendam, omnium ac ſingulorum peccatorum requirunt enumerationem, hancque, iure diuino, neceſſariam eſſe, ſtatuunt, ad conſequendam remiſſionem peccatorum. Pontificia de confeſſionis priuatae ratione ac neceſſitate doctrina ex inſtituto traditur, *Concilii Tridentini ſeſſ. XIV, capite 5;* et diſſentientes ab ea, *can. 6, 7, 8, 9,* damnantur. Videamus iam, quibus rationibus pontificii, confeſſionem priuatam, quam in peccatorum omnium enumeratione conſtituunt, iure diuino neceſſariam eſſe, probare contendant. Potiſſimum eſt, quod a iudiciaria,

ſacerdotibus, vt aiunt, data a Chriſto poteſtate deſumunt, argumentum. Eo ſolo vtuntur Tridentini: vberius autem id ediſſerit BELLARMINVS, *de ſacram. poenit. libro III*, quo de peccatorum omnium confeſſione agit, et in neceſſitate illius pluribus adſtruenda, defendendaque, operam ludit, *cap. 2, p. 581.* Sic ratiocinatur: „Chriſtus inſtituit ſacerdotes iudices ſuper terram, cum „ea poteſtate, vt, ſine ipſorum ſententia, „nemo poſt baptiſmum lapſus reconciliari „poſſit: Sed nequeunt ſacerdotes recte iudi„care, niſi peccata cognoſcant: Ergo iure „diuino tenentur, qui poſt baptiſinum lapſi „ſunt, peccata ſua aperire.“ Ratiocinii huius ſui fundamentum ponit in dictis: *Matth. XVI. 19; XVIII. 18; Ioh XX, 23*, quibus Seruator apoſtolis ſuis claves ligandi et ſoluendi, dimittendi ac retinendi peccata dedit poteſtatem. Perperam autem apoſtolis verbique diuini miniſtris peccata remittendi a Chriſto data poteſtas, quae eſt διακονικὴ, et in eo conſiſtit, vt remiſſionis peccatorum beneficium, Chriſti merito partum, vere poenitentibus abſolutione ſua confirment, in iudiciariam, eamque αὐτεξούσιον transformatur poteſtatem: Vid. *Apol. A. C. p. 181.* Falſiſſimum eſt, Seruatorem noſtrum, dictis allatis, miniſtros eccleſiae eiuſmodi conſtituiſſe iudices, a quorum arbitrio poenitentiam agentium pendeat reconciliatio, et quibus

quibus adeo omnia detegenda ſint peccata, vt remiſſionis, retentioniſue peccatorum ſententiam pronuntiare, ſeu, ex ipſius Concilii Tridentini, *ſeſſ. XIV, cap. 5*, interpretatione, pro qualitate peccatorum, ſatiſfactiones poenitentibus imponere poſſint. Certe, nec Seruator ipſe, vbi ſuo his in terris functus eſt miniſterio, nec miſſi ab eo, prout ipſe miſſus erat a Patre, *Ioh. XX, 21*, apoſtoli, vllum tale exercuerunt iudicium, delictorumque omnium exegerunt enumerationem. Tam belle, ſcilicet, BELLARMINVS, praecipuo illo argumento ſuo, probat, iure diuino eos, qui poſt baptiſmum lapſi ſunt, peccata ſua omnia ſacerdotibus aperire, teneri. Non ius diuinum, ſed lex papalis, conſtitutio videlicet INNOCENTII III, R. P. in Concilio Lateranenſi, anno MCCXV, celebrato, *can. XXI: omnis vtriuſque ſexus*, (*Concilior. edit.* LABBEI, *tom XI, p 171, ſq. ed.* HARDVINI, *tom. VII, p 35*,) facta, et Tridentinis decretis fuſius expoſita, atque confirmata, ſpecialis illius, quam Romanenſes propugnant, quamque *ſacramentalem* vocant, peccatorum confeſſionis eſt fundamentum. Vere IO. DALLAEVS, in epiſtola, quam diſputationi *de ſacramentali, ſiue auriculari Latinorum confeſſione*, Geneuae, anno MDCLXI, editae, praemiſit, inter omnia dominationis pontificiae, mira conſtitutae, infucataeque arte, inſtrumenta, nullum ſibi videri, dicit, vel excogi-

tatum fuiſſe ſolertius, vel vſurpari vtilius, quam *Innocentianum* confeſſionis ſacramentalis inſtitutum: eo nimirum comparatum, vt Papam, eiuſque miniſtros demiſſiſſime reuereantur, et colant homines, iſta imbuti opinione, non, niſi ſacerdotum opera et auctoritate, remiſſionem obtineri peccatorum; tum, vt pontificis miniſtri rerum, quae aguntur, conſiliorumque cuiuſuis, et arcanorum maxime conſcii reddantur. Accedit, praeter alia, quod ex ſatiſfactionibus, quarum cauſa omnia enumerari debent peccata, conſequentibuſque indulgentiis, clerus Romanus capit, commodum, atque emolumentum.

Cumque adeo auricularis, quae delictorum omnium enumerationem complectitur, confeſſio Papale re vera ſit inuentum, fucum faciunt pontificii doctores, iuris diuini praetextu eam commendantes. Quam abſone ad id probandum clauium poteſtatem adduxerit BELLARMINVS, ſatis ſuperque iam oſtendimus. Exploſo autem primario illo, in quo patres Tridentini omne praeſidium collocant, argumento, facile hinc colligi poteſt, quales caeterae ſint, quas BELLARMINVS affert, rationes. Ineptiſſime nimirum, *l. c. cap 3 p. 587, ſqq.* ſacramentalis confeſſionis neceſſitatem probat ex figuris, contra id, quod ex ſolo ſenſu litterali firma argumenta duci poſſe, *de Verbo Dei l. III. c. 3,* ipſe pronunciat; et, *cap. 4, p. 590, ſqq.* ex quatuor locis

N.T.

N. T. qui ſententiae ipſius nullo prorſus congruunt modo. Nam quod *Act. XIX, 18*, relatum legitur, eorum, qui crediderant, ſeu fidem in Chriſtum admiſerant, multos confeſſos eſſe, et renuntiaſſe actus ſuos, eos videlicet, qui, v. 19, indicantur, id ad probandam auricularem pontificiorum confeſſionem ἀπροσδιόνυσον eſt, cum nihil quidquam eorum, quae ad hanc requiruntur, nempe vt lapſi poſt baptiſmum, omnia et ſingula peccata ſua coram ſacerdote, medii ad obtinendam peccatorum remiſſionem neceſſitate, enumerent, in Epheſios iſtos conueniat; horumque confeſſionem, ex ipſis pontificiis interpretibus complures, ac, praeter caeteros, CAIETANVS, ESTIVS et LORINVS, in *commentar. ad* h. l. *ſacramentalem* fuiſſe, diſerte negent. In altero loco, *2 Cor. V, 20*, PAVLVS de miniſterio et praedicatione euangelii loquitur, eo comparata, vt homines peccatores cum Deo reconcilientur. Iam quid hoc ad auricularis confeſſionis neceſſitatem? Miniſtri eccleſiae Chriſti ſunt *legati*, quorum officium non eſt, peccatorum exigere enumerationem, ſed ad veram poenitentiam homines adhortari, et vere poenitentibus gratiam Dei, per Chriſtum partam, annuntiare. Locus *Iac. V, 16*, de mutua peccatorum confeſſione agit. Ἐξομολογεῖσθε, Apoſtolus ait, ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, *confitemini* ALII ALIIS, (Vulgatus barbare vertit: *alterutrum*) *offen-*

offenſas, et rel. hiſque adeo verbis eam, quae proximo fieri debet, delictorum offenſarumque praecipit confeſſinem, eam videlicet, quae, ſecundum *Apolog. A. C. p. 182.* ad fratrum inter ſe ſpectat reconciliationem, vel etiam, ſecundum interpretes quoſdam, ea fit fini, vt pii atque fideles intercesſione ſua apud Deum nobis ſubueniant. Id vtique manifeſtum eſt, de mutua peccatorum confeſſione dictum loqui IACOBI; et proinde illud aeque inepte, ac dictum IOHANNIS, *primae* illius *epiſtolae cap. I, v. 9*, in quo de confeſſione peccatorum coram Deo ſermo eſt, ad probandam pontificiorum confeſſionem ſacramentalem adhiberi. Pluribus probationes BELLARMINI, ex ſacris litteris petitas, redarguerunt, eiuſque φλυαρίας profligarunt noſtrates theologi, praeſertim GERHARDVS, in *loco de poenitentia*, *cap. XI*, *ſect. 2*, *§ III*, *et ſeqq.* et SCHERZERVS, in *Anti-Bellarmino*, *diſp. XII*, *p. 598*, *ſqq.* ex Reformatis cum maxime IO. DALLAEVS, *diſp. de ſacram. Latin. confeſſione*, *toto libro I*, *p. 25*, *ſqq.*

Idem DALLAEVS, laudati operis *libro III*, *p. 198*, *ſqq.* Conciliorum et Patrum teſtimonia, quae BELLARMINVS, *cap 3*, *et ſqq.* adduxit, ſingulari ſtudio examinauit. Id nimirum BELLARMINI, caeterorumque doctorum Romanenſium moris eſt, vt, vbi omni ſacrarum litterarum praeſidio deſtitutos ſe ſentiunt, ad concilia, patrumque ſcripta confugiant,

fugiant, quaſi vero horum aſſertiones de diuinae Scripturae auctoritate derogare poſſint. Attamen allata pro confeſſione pontificiorum ſacramentali a BELLARMINO conciliorum, patrumque teſtimonia nihil prorſus ad ſtabiliendum eam facere, in diſcuſſione illorum. DALLAEVS, *l. c.* oſtendit; tum vero, confeſſionem *Innocentianam* in veteri chriſtianorum eccleſia ignotam fuiſſe, idem ille, *libro IIII, p 288 ſqq* demonſtrauit. DALLAEO quidem *hiſtoriam confeſſionis auricularis, ex antiquis*, ſcilicet, vt titulus habet, *Scripturae, Patrum, Pontificum, Conciliorum monumentis expreſſam,* et Lutetiae Pariſiorum, anno MDCLXXXIII, editam, oppoſuit IAC. BOILEAV, Theologus Pariſienſis, inani vero irritoque conatu, illum oppugnauit. Veterum de confeſſione doctrinam perperam omnino pontificios ad ſuam detorquere enumerationem, egregie quoque docuit CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid. part. II, p. 533, ſqq.* Quam futilia denique ſint, quibus BELLARMINVS, *cap. 12, p. 602, ſqq.* confeſſionem pontificiam iuris diuini eſſe, confirmat, argumenta, ab illius nimirum antiquitate, difficultate, vtilitate, miraculis, ſeu, (SCHERZERO interprete,) mirabilitate, cum quiuis facile intelligat, non eſt, vt moneamus.

Paucis adhuc defendenda eſt ratio, qua pontificia confeſſio, in enumeratione peccatorum omnium conſiſtens, in Auguſtana Con-

Confeſſione, eiuſque Apologia, et in articulis Smalcaldicis refellitur, nempe, quod *impoſſibilis* ea ſit, et *conſcientiarum carnificina*, Impium ſcilicet eſſe, dicunt patres Tridentini, *l. c. cap. 5*, integram peccatorum confeſſionem ſic appellare. „Conſtare enim, nihil „aliud in eccleſia a poenitentibus exigi, quam „vt, poſtquam diligentius quiſque ſe excuſſerit, et conſcientiae ſuae ſinus omnes et „latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum et Deum ſuum „mortaliter offendiſſe, meminerit; reliqua „autem peccata, quae diligenter cogitanti „non occurrant, in vniuerſum eadem con„feſſione incluſa eſſe, intelligi, etc." Pari modo BELLARMINVS, *l. c. c. 16, p. 609*; „catholicos non iubere, dicit, omnia omnino „peccata enumerare, ſed ea ſolum, quae, poſt „diligentem excuſſionem, memoriae occurrant; id denique ſolum iubere, vt peccata „omnia, quantum in nobis eſt, enumeremus, „dum coram ſacerdote conſcientiam no„ſtram aperimus." Conf. BECANVS, in *manual. controuerſ. praelud. II, § 22*. Tantum vero abeſt, vt, fucata iſtum in modum peccatorum omnium, quae in Papatu a poenitente exigitur, enumeratione, perperam inter ἀδύνατα eam referri, et conſcientiarum carnificinam dici, conficiatur, vt potius veriſſime illam eo nomine notari, ex ipſis Concilii Tridentini decretis, et BELLARMINI,

cacte-

caeterorumque doctorum pontificiorum aſſertionibus clariſſime demonſtrari poſſit. Enumerationis delictorum, quae ſacerdoti fieri debet, fundamentum in iudiciaria illius de peccatis cognoſcendi, eaque remittendi, retinendiue pontificii ponunt poteſtate. Conſequitur inde, ea, quae ſacerdoti non deteguntur, nec ab illo remitti peccata, quem ad modum etiam trito in Papatu dicitur ſermone: *non confeſſum, non remiſſum*; vt adeo, poſito fundamento iſto, omnium omnino, ac ſingulorum delictorum, ad conſequendam remiſſionem peccatorum, confeſſio coram ſacerdote ſit edenda. Dicis igitur cauſa, vbi manifeſta peccatorum omnium enumerationis ἀδυναμία vrgeri ſe, ſentiunt, eorum tantum, quae, poſt diligentem excuſſionem, memoriae occurrunt, confeſſionem in eccleſia ſua exigi, aiunt. Sed et, admiſſa mitiore iſta explicatione, nihilominus tamen auricularis, prout illa ipſa in *Concilii Tridentini capite* 5, deſcribitur, confeſſio impoſſibilis, et vere carnificina eſt conſcientiarum! Etenim, ex decreto illius, ita comparata ea eſſe debet, vt homo poenitens, „poſtquam „diligentius ſe excuſſerit, et *conſcientiae ſuae* „*ſinus omnes et latebras explorauerit*, omnia „peccata mortalia, etiamſi *occultiſſima* illa „ſint, et tantum aduerſus duo vltima deca„logi praecepta commiſſa, ſacerdoti recen„ſeat; ipſaſque adeo *cogitationes* etiam aperte

„et

„et verecunde confiteatur: tum vero eas „quoque explicet *circumſtantias*, quae ſpe„ciem peccati mutent; quod ſine illis pec„cata ipſa, neque a poenitentibus integre ex„ponantur, nec iudicibus (ſacerdotibus ſci„licet,) innoteſcant, et, ſi quidem circum„ſtantiae haud recenſeantur, fieri nequeat, vt „hi de grauitate criminum recte cenſere, et „poenam, quam oporteat, pro illis, poeni„tentibus imponere, poſſint, etc." Sunt haec omnia ipſiſſima decreti Tridentini verba. Iam, quo modo negari poteſt, rem factu impoſſibilem, et conſcientiarum carnificinam eſſe, vbi homines iubentur, conſcientiae ſuae ſinus omnes et latebras explorare, de quo num rite id fecerit, nemo certus eſſe poteſt; indeque omnia, non opere tantum, ſed etiam verbo, affectu, ipſaque mentis cogitatione admiſſa peccata, cum ſint innumera, in confeſſione, quae in Papatu annua eſſe ſolet, enumerare; itemque omnes ſingulorum peccatorum circumſtantias explicare, ſecundum peruulgatum illud:

Quis, quid, vbi, per quos, cur, quomodo, quando
Peccaſti, dices, vt ſit confeſſio vera.

Obiter hic notandus eſt IOH. FABRICIVS, qui, in *conſideratione controuerſiarum cum Pontificiis et Reformatis*, ad horum errores colorandos indignis modis compoſita, *p. 88*, nonnullos quidem doctores pontificios, circum-

ſtantias,

ſtantias, peccatum aggrauantes, in confeſſione exprimendas eſſe, ſiue ſtatuere, ſiue ſuadere, dicit, a Concilio tamen Tridentino id praeſcriptum eſſe, cum ESTIO negat; cum diſertis verbis illud ipſum a Tridentinis praecipiatur. GE. CASSANDER quidem, in *conſultatione de articulis inter catholicos et proteſtantes controuerſis, ad art. II, p. 943*, nimis anxiam inquiſitionem omnium circumſtantiarum, quae in multis conſcientiae carnificinam gignat, neminem moderatum approbare, ſcribit. Attamen, quicquid ſit de priuata vnius alteriuſue doctoris pontificii opinione, circumſtantiarum enarrationis neceſſitas publica eccleſiae Romanae nititur doctrina et praxi. Ita pontificiorum doctorum bene multi, ſpecialem peccatorum enumerationem ex verbo Dei haudquaquam probari poſſe, eamque adeo iure diuino neceſſariam non eſſe, agnoſcunt, et, quoad caetera quoque, diuerſum ſentiunt, quemadmodum teſtimoniis ipſorum comprobat GERHARDVS, in *confeſſ. cathol. lib. II, part. 3, a. 16, c. 4, p. 1267, ſqq.* inepte vero agunt, qui ex his veritatis teſtimoniis publica lege conſtitutam eccleſiae Romanae doctrinam demonſtrare inſtituunt. Ad conſcientiarum carnificinam quoque pertinent variae illae de confeſſione quaeſtiones, quas GERHARDVS, *l. c. p. 1273*, et in *loco de poenitentia, § 107. p. 587*, memorat, quaſque et confitentis, et

 ſacer-

ſacerdotis animum in difficultates inexplicabiles, et dubitationes perpetuas coniicere, docet. Huc etiam referendum eſt, quod poenitentes ea quoque confiteri iubeantur, quae pudor et honeſtas enuntiare vetant. Documento ſunt interrogationes, confeſſariis a caſuiſtis praeſcriptae. Vid. GERH. *l. c.* *§ 108, p 590.* Conf. SCHERZ. in *Anti-Bellarm. diſp. II, p. 127.* et I. H. HEIDEGGERVS, in *tumulo Trid. Conc. t. I, p. 989, ſqq.* Ex his igitur ſatis ſuperque apparet, ſpecialem peccatorum omnium enumerationem, in eccleſia Romana vſitatam, meritiſſimo iure ἀδυναμίας argui, et conſcientiarum carnificinam appellari. Nequicquam BELLARMINVS *l. c* eam, quam Deo fieri debere, ſtatuimus, obiicit confeſſionem, quaſi in hanc quoque noſtra illa, qua auricularis pontificiorum confeſſio notatur, conueniat animaduerſio, cum longe maximum inter hanc et illam intercedat diſcrimen, nec Deus omniſcius eiuſmodi a nobis poſtulet confeſſionem, qua omnia et ſingula peccata, ſecundum omnes circumſtantias, ſint enarranda.

Quandoquidem cum iis, quae de peccatorum omnium coram ſacerdotibus, tanquam iudicibus, ordinariam aut ſubdelegatam in confitentes iuriſdictionem habentibus, edenda confeſſione, pontificii docent, connexa ſunt ea, quae de *caſibus reſeruatis* iidem tradunt, neceſſum eſt, huius etiam

illo-

illorum placiti breuem addere confutationem. Caſuum reſeruationis ratio a TRIDENTINIS, *ſeſſ. 14, cap. 7*, ita explicatur. Nempe grauiores quaſdam criminum, quae in bulla *coenae Domini* enarrantur, cauſas pontifices maximos, pro ſumma, ſcilicet, illa, quae in eccleſiam vniuerſam ipſis competat, poteſtate, et iure adeo meritoque, peculiari iudicio ſuo reſeruaſſe, ac proinde nulli licere ſacerdoti, ab atrocioribus, et ad caſus reſeruatos pertinentibus, delictis, niſi in articulo mortis, abſoluere poenitentes, ſed his in cauſis abſolutionem a ſummis ſacerdotibus unice petendam eſſe, aiunt. Addunt, „conſonum eſſe diuinae auctoritati, iſtam delictorum reſeruationem non tantum in externa „politia, ſed etiam coram Deo, vim habere.“ Conferatur *canon XI*, quo anathemate feriunt eos, qui hoc negant. Non omnibus Concilii patribus probari potuit decretum iſtud, quin potius theologi *Louanienſes* et *Colonienſes*, caſuum reſeruationem haud idoneo niti fundamento, et a magni nominis viris reprehenſam, ac pro pecuniarum aucupio ab ipſo Cardinale CAMPEGIO habitam fuiſſe, dixerunt. Vid. P. SARPIVS, *hiſt. Conc. Trid. lib. IV, edit.* COVRAYERII, *p. 643, ſ.* Non opus certe eſt, vt in illa refellenda multum laboremus, cum quiuis facile intelligat, non aliud eius eſſe fundamentum, quam ementitam Romani pontificis pleni-

tudinem poteſtatis. Notatur eo ipſo nomine in *Aug. Conſ. art. VII de abuſ. p 37.* Non ἄγραφος ſolum eſt iſta caſuum reſeruatio, ſed etiam ἀντίγραφος, ac Seruatoris noſtri aduerſatur conſtitutioni, ſecundum quam eccleſiae miniſtri, aequo et pari iure, omnia ſine exceptione peccata remittendi gaudent poteſtate. *Ioh. XX, 21, ſqq.* Origiginem illius a poenae canonicae reſeruatione, in veteri eccleſia vſitata, repetit, et diſſimilem vtriuſque rationem exponit CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid. part. II, l. 10, ſ. 2, p. 550.* Conf. *Apol. A. C. p. 199.*

THEO-

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT VIII
DE IVSTIFICATIONE
ET
DE FIDE IVSTIFICANTE

SECTIO I
HISTORICA

I

Articulum de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, per fidem in Chriſtum IESVM, in primis praecipuiſque chriſtianae religionis capitibus habendum eſſe, inter omnes recte ſentientes conſtat. Quo magis opera danda eſt, vt integer is ipſe, illibatuſque in eccleſia conſeruetur. Enimuero, primis iam Chriſtianiſmi temporibus, *ἰουδαΐζοντες* doctores, legis Moſaicae praeceptorum obſeruantiae ad ſalutem neceſſitatem tradentes, labem ei intulerunt, grauiter propter ea ab apoſtolo notati, *Gal.* *IV*, *17*; *V*, *1*, et *Philipp.* *III*, *2*. *Pelagiani* deinde, *Semipelagiani*, horumque placitis imbuti doctores *ſcholaſtici* pernicioſiſſimis erroribus eundem coinquinarunt. Ad veram

 igitur

igitur ſacrarum litterarum doctrinam inſtaurandam diuinitus excitatus LVTHERVS, vna cum caeteris, hunc in primis etiam articulum priſtino ſuo reſtituit nitori; ſicque adeo repurgata a pontificiis corruptelis de hominis peccatoris coram Deo, per fidem in Chriſtum, iuſtificatione doctrina in AVGVSTANA CONFESSIONE, pluribus in locis, praeſertim autem in *articulo quarto*, exhibetur. (*)

(*) Cum in tertio Auguſtanae Confeſſionis articulo eccleſiarum euangelicarum de Chriſto expoſita fuerit doctrina, conuenienter ad illam, in eo, qui ſequitur, *articulo quarto*, de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo agitur, quippe quae inter beneficia, per Chriſtum nobis parta, principem tenet locum. Deſumtus is eſt ex quinto articulorum LVTHERI, *Torgauienſes* qui vocantur. In Germanicae confeſſionis editione prima Wittebergenſi, articulus hic, diuerſis quidem a textu authentico verbis, non autem diuerſa ſententia refertur. Vid. IOH. BENED. CARPZOVIVS, in *Iſag. in libros ſymb*. *p*. 202. In confeſſione, quae *variata* dicitur, Latinum articuli huius textum prorſus immutauit PH MELANCHTHON; eaque mutatio meritiſſimo improbatur iure, eo, quod non ſolum illam aeque, ac caeterorum articulorum omnium mutationem audaciſſime PHILIPPVS ſuſcepit, ſed etiam articulum ipſum verboſiorem fecit, quam confeſſionis patitur natura, itemque ambigui ſenſus, de *euangelio, arguente peccata*, in illo adhibuit phraſin. Vid. B. MENZERVS, in *exegeſi A. C. p*. 129, *ſq*. et CARPZOVIVS, *l. c*.

Conſtat autem germanae confeſſionis articulus duabus partibus. In prima, homines coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus iuſtificari non poſſe, docetur,

coque

eoque ipſo Pelagianorum et Pontificiorum de iuſtificatione coarguuntur errores. In altera, iuſtificatio poſitiue deſcribitur, quoad cauſas ſuas, ſiquidem ſpeciatim indicantur: 1) cauſa impulſiua. tam interna, *gratia* Dei, quam externa, eaque meritoria, *ſatiſſactio Chriſti*, his nimirum verbis, quibus dicitur: homines *gratis iuſtificari propter Chriſtum;* 2) cauſa organica, cum additur: *per fidem*, cuius et actus, et obiectum exprimuntur; 3) formalis ratio, quae eſt *imputatio iuſtitiae Chriſti*, et *non imputatio peccatorum*; quo pertinent vltima verba: *hanc fidem imputat Deus pro iuſtitia coram ipſo, Rom. III et IIII.*

Confutationis Auguſtanae Confeſſionis, in comitiis Auguſtanis compoſitae, auctores hoc in articulo, Pelagianos, qui arbitrati ſint, hominem propriis viribus, ſeclusa gratia Dei, vitam aeternam mereri poſſe, recte damnari, aiunt. Merita autem hominum, quae per aſſiſtentiam gratiae diuinae fiant, improbare, pro Manichaeo habent errore; et ſacris litteris aduerſari, dicunt, negare, meritoria eſſe opera noſtra; eamque in rem quamplurima adducunt Scripturae dicta. Contra ea, operibus meritum falſiſſime illos adſcribere, in *Confeſſionis Apologia* demonſtratur.

II

Cum articulo AVGVSTANAE CONFESSIONIS quarto arcto nexu cohaeret *quintus*, in quo de mediis exponitur, per quae fides iuſtificans hominibus confertur, et in eis conſeruatur. (*)

(*) Inſcribitur hic articulus: *de miniſterio eccleſiaſtico, vom Predigamte.* Cum, vt, *prolegom. ſect. III, p. 43*, diximus, in authenticis Aug. Confeſſionis exemplaribus, primiſque editionibus, non tituli, ſed numeri tantum articulis pleriſque omnibus fuerint adſcripti; quae in edi-

editione *libri Concordiae Latina Lipſ. a. MDCLXIX*, et ad eam conformatis editionibus, habentur articulorum inſcriptiones, non accurate omnes illorum deſignant argumentum. Id quod huic etiam accidit articulo; cui rectius GE. MYLIVS, in *explic. A. C.* B. MENZERVS, in *exegeſi A. C.* CARPZOVIVS, *in iſag.* aliique titulum fecerunt: *de miniſterio verbi et ſacramentorum*, quoad fidem videlicet iuſtificantem; quem vero abſone PHIL. MVLLERVS, in ſua libri Concordiae editione, *de lege et euangelio* inſcripſit. Deſumtus is eſt ex ſeptimo articulorum ſeptendecim Torgauienſium LVTHERI. PHILIPPVS in Confeſſione variata eodem, quo praecedentem, modo plane illum immutauit. Conſtat theſi et antitheſi. In theſi agitur de fidei iuſtificantis in hominibus productione; et fidei huius cauſam efficientem principalem, *Spiritum ſanctum*; media, per quae illa efficitur, quaeque *inſtrumenta* dicuntur, vocabulo hoc in latiori ſumto ſenſu, vt medium notet cauſale, *verbum Euangelii, et Sacramenta;* eoſque, in quibus Spiritus S. fidem efficit, illos eſſe, docetur, *qui euangelium*, de gratuita hominis peccatoris per fidem in meritum Chriſti iuſtificatione, *audiunt*, nec Spiritus ſancti operationi reſiſtunt. In antitheſi damnantur *Anabaptiſtae*, quorum praecipui erant THOMAS MVNZERVS, eiuſque aſſeclae, *et alii*, Spiritum ſanctum, ſine verbo externo, hominibus, per ipſorum praeparationes, et opera, dari, ſtatuentes. Non Pontificios ſolum, ſed etiam ZWINGLIVM, CAROLOSTADIVM per *alios* a confeſſoribus indigitari, interpretes quidam opinantur. Eundem vero etiam *Schwenckfeldianorum* errorem fuiſſe, in *Form. Conc. art. XII, n. III, p. 625*, et *p. 828*, notatur.

In confutatione Pontificia id, quod in articulo hoc dicitur, Spiritum ſanctum per verbum et ſacramenta, tamquam per inſtrumenta, dari, comprobatur; de fide autem dicta non admittuntur, ſi ea de fide ſola, nec de fide, quae per dilectionem operatur, intelligantur. Nullam id monendi cauſam habuerunt cenſores iſti, cum communis

munis haec ſit eccleſiarum euangelicarum doctrina, fidem iuſtificantem, quam Spiritus ſanctus, per verbum et ſacramenta, in nobis efficit, non ſolitariam, ſed operoſam eſſe per charitatem. Id vero negamus, fidem, quatenus operoſa eſt, ad iuſtificationem concurrere, hominemque per opera etiam iuſtificari. ANDR. FABRICIVS, in ſua ad articulum V animaduerſione, *Harmon. A. C. p. 61*, more ſuo, maledicum agit conuiciatorem, itemque IOH. a DAVENTRIA, *apud eundem, l. c. p. 62, et ſeqq.* in confeſſores noſtros inuehitur, et pronuntiata eorum peruerſe diiudicat.

Vt, quae articulo huic maxime obiici ſolent, remoueamus, veram dictorum, quae dilucidatione opus habere videntur, ſententiam paucis exponemus. Per verbum euangelii et *ſacramenta, fidem nos conſequi*, dicitur, et ſacramenta adeo fidei etiam media et organa operatiua eſſe, affirmatur. Aſſertioni huic a IOH. a DAVENTRIA nequicquam obuertitur, Sacramenta non niſi credentibus porrigi poſſe, cum, vt in *Aug. Confeſſ. articulo XIII*, et *Apolog. c. VII, p. 203, et caet.* docetur, *in vſu ſacramentorum fides requiratur.* Enimuero per ſacramenta fidem duplici modo homines conſequuntur, altero, vbi haec primum eis confertur, id quod fit in baptiſmo infantum, altero, vbi illa ipſa in iiſdem confirmatur et augetur, id quod fit in baptiſmo adultorum, et ſacramento euchariſtiae. Atque adeo ſacramenta fidei media et inſtrumenta ſunt operatiua, cum quoad primam eius dationem, in infantibus, tum quoad eiuſdem confirmationem, et incrementi collationem, in iis, qui credunt, neceſſarioque hoc ad ſalutarem ſacramentorum vſum praediti ſunt requiſito. Conf. in primis CARPZOVIVS, in *iſag. p. 249*, et GODOFR. WEGNERVS, in *continuatione enantiophaniarum ſymbolic. ſolutarum et conciliatarum, p. 92, ſeqq.* Aliud in hoc articulo ἐναντιοφανὲς occurrit, vbi, *Spiritum ſanctum fidem efficere*, affirmatur. Hoc nimirum pronuntiato Aug. confeſſio cum ſibi ipſi, tum *Apologiae* contradicere videtur, ſiquidem in *articulo XX*,

p. 18, et in *apologia, p. 68, 83, 223.* dicitur: *per fidem accipi Spiritum ſanctum.* Sed nullum has inter propoſitiones: *Spiritus S. efficit fidem*, et, *per fidem accipitur Spiritus ſanctus*, pugnam eſſe, oſtendunt, apparentemque contradictionem, adhibita diſtinctione inter donationem Spiritus ſancti, ratione praeſentiae ad efficiendam fidem, et ratione inhabitationis, ſoluunt MENZERVS, HVLSEMANNVS, HOEPFNERVS, CARPZOVIVS, a WEGNERO, *l. c. p. 102, ſq.* laudati, aliique complures. Nempe *Spiritum S. fidem*, quippe quae Dei opus et donum eſt, *Ioh. VI, 29; Eph. II, 8; Phil. I, 29.* per verbum et ſacramenta in omnibus, qui gratioſae ipſius operationi non malitioſe reſiſtunt, excitat, ſicque adeo in regeneratione et conuerſione illam *efficit. Per fidem* autem *accipitur Spiritus S.*, quatenus cum donis ſuis in regenitorum cordibus habitat, eoſque per gratiam ſuam renouat, et ſanctificat; quam in ſententiam propoſitionem illam in *Aug. Conf. articulo XX, p. 18*, adhiberi, ipſa verba clariſſime docent. Praecipuam difficultatem haec articuli noſtri habent verba. Spiritum ſanctum fidem efficere, *vbi et quando viſum eſt Deo:* vtpote quae verba particularem Dei gratiam inferre videntur, eoque etiam a Caluinianis nonnullis pertrahuntur. De vera autem illorum ſententia ex ſcopo articuli iudicium eſt ferendum. Is nimirum ad reiiciendas falſas, de donatione Spiritus S. et de productione fidei, ſine verbo Dei, opiniones comparatus eſt, eoque adeo, vt articuli Torgauienſis, ex quo hic deſumtus eſt, verba habent, docetur: „*Gott gebe durch das „mündliche Wort, nemlich das Evangelium, als durch „ein Mittel, den Glauben mit ſeinem heiligen Geiſt, wie „und wo Er wolle; ſonſt ſey kein ander Mittel noch Weiſe, „weder Weg noch Steg, den Glauben zu bekommen.*" Nequaquam igitur vniuerſalis Dei voluntas, qua omnium hominum vult ſalutem, omnibuſque offert fidem, dictis negatur verbis, ſed hoc tantum indicatur, Deum non, niſi per verbum praedicatum, vllo loco ac tempore, pro ſapientia ſua conſtitutis, fidem hominibus dare velle. Conf. CARPZOVIVS, *l. c. p. 252 ſq.*

III

Breuiter, ſummatimque in Auguſtanae Confeſſionis articulo IIII et V propoſita eccleſiarum euangelicarum de iuſtificatione et fide iuſtificante, doctrina, amplo commentario, in APOLOGIAE CONFESSIONIS *capite II*, itemque *III*, quod inſcribitur: *de dilectione et impletione legis*, dilucidatur, et cum maxime contra cenſores Pontificios, homines non propter ſua merita, ſed gratis, fide in Chriſtum, iuſtificari, demonſtratur. (*)

(*) In duobus his Apologiae capitibus, ſiue articulis, doctrina de iuſtificatione et fide iuſtificante, cum θετικῶς tum ἀντιθετικῶς, exponitur. Neque vero, certo ſeruato ordine, ſed promiſcue, quae vel ad theſin, vel ad antitheſin ſpectant, traduntur, nec logicam adeo analyſin articuli hi admittunt. Quoad theſin, iuſtificationis nomen explicatur; formalis eius ratio, cauſa meritoria, organica, et quae ad fidei iuſtificantis naturam, originem, iuſtificandi modum, effectum, et caetera pertinent, vberrime declarantur. Quoad antitheſin, Pontificiorum de iuſtificatione per opera, et de fide ac bonis operibus errores refelluntur; tum vero illorum contra euangelicam de iuſtificatione et fide iuſtificante doctrinam, eiuſdemque probationem, obiecta diluuntur. Pluribus, quae his articulis continentur, enarrat SAM. SCHELGVIGIVS, *in manuductione ad Aug. Conf. p. 132, ſeqq.*

Varia in his etiam Apologiae capp. occurrunt δυσνόητα, quaeque a doctrinae euangelicae veritate aliena eſſe videntur; quae vero, adhibitis legitimae interpretationis mediis, enodari facile, et ab omni erroris ſuſpicione vindicari poſſunt. Qua opera cum noſtrates theologi, qui vel libros ſymbolicos explanarunt, vel ſingu-

laribus

laribus ſcriptis ea, quae in illis intellectu ſunt difficiliora, et contradictionis, erroriſue ſpeciem habent, explicarunt, praeclare fuerint perfuncti, nos iam de iiſdem paucis agemus. Verbi *iuſtificare*, *p. 73*, duplex traditur ſignificatus, his verbis: „iuſtificari ſignificat, ex iniuſtis „iuſtos effici, ſeu regenerari, ſignificat et, iuſtos pronun„tiari ſeu reputari.“ Neque vero, quoad rem ipſam, has ſignificationes inter ſe differre, dicitur, quin potius duas haſce, quibus Scriptura vtitur, phraſes aequipollentes eſſe, et ad iuſtificationem hominis peccatoris denotandam vtramque adhiberi, indicatur. Etenim phraſis: *ex iniuſto iuſtum effici*, exponitur per *regenerari*, quod verbum, de iuſtificatione ſtricte ſic dicta in Apologia A. C., vt Formula Conc. *p. 585 et 685*, teſtatur, vſurpari ſolet; et mox diſerte magis illa ipſa phraſis per *accipere remiſſionem peccatorum* explicatur. Phyſico, quem Pontificii verbo *iuſtificare* tribuunt, ſignificatui adeo non patrocinatur Apologiae auctor, vt potius eum, *p. 120, et 121*, ex inſtituto conuellat, contra ea forenſem illius in ſacris litteris acceptionem cum ſaepe alias, tum maxime, *p. 125*, omni tueatur modo. Fides iuſtificans, *p. 68*, deſcribitur, quod „non ſit tantum notitia hiſtoriae, ſed ſit aſſen„tiri promiſſioni Dei, in qua gratis propter Chriſtum „offertur remiſſio peccatorum et iuſtificatio.“ In hac deſcriptione nulla fiduciae, quae ad fidei iuſtificantis naturam cum maxime pertinet, fit mentio, et ad intellectum tantum fides iuſtificans referri videtur. At enimuero fiducia in voluntate his, quae ſtatim ſequuntur, commemoratur verbis: „Et ne quis ſuſpicetur, tantum „notitiam eſſe, addemus amplius, eſt, velle et *accipere* „promiſſionem remiſſionis peccatorum, et iuſtificatio„nis.“ Et, *p. 125*, Apologia diſerte profitetur: „fides eſt „non tantum notitia in intellectu, ſed etiam fiducia in „voluntate.“ Ex quo apparet, quam iniqua ſit C. THOMASII, in *diſſ. an haereſis ſit crimen*, § *V*, criminatio, qua fidem mere intellectualem et cerebrinam in Apologia doceri, dixit, iuſta animaduerſione ob id notatus a

B. WERNS-

B. WERNSDORFIO, in *diſſ. de auctorit. libr. ſymbol.* commentationi *de indifferentiſſimo relig.* ſubiuncta, *p. 436, ſeqq.* Ad δυσνόητα potiori iure referendum eſt, quod de fide, *p. 125*, dicitur: „Fides recte eſt iuſtitia, quia eſt obedien„tia erga Euangelium.“ Id nimirum prope abeſſe videtur ab errore Pontificiorum, qui, non ſola fide, ſed bonis etiam operibus, hominem iuſtificari, ſtatuentes, ipſam fidem, tanquam virtutem et opus legis, caeteris operibus, in decalogo praeceptis, accenſent. Sed orthodoxam omnino Apologiae verba admittunt explicationem. Primo notandum eſt, ex hypotheſi, et mente aduerſariorum magis, quam ſua, auctorem illius hic loqui. Ita nimirum praefatur: „Si propter moroſos quoſdam „τεχνολογικῶς loquendum eſt, fides recte eſt iuſtitia,“ et caet. Hinc fidem vtique virtutem eſſe, largitur, nempe in ſe, et ratione ſui, non autem ratione obiecti et correlati, quatenus eſt iuſtificans, ſpectatam. Certe, quamplurimis aliis in locis, vt *p. 70, 76, 82, 88, et caet.* Apologia fidem virtutum moralium numero excludit, nec alia ratione, quam per modum *organi*, ſeu *inſtrumenti*, ad iuſtificationem concurrere, docet, quia tantum accipit et apprehendit beneficia, quae a Deo offeruntur. Conf. in primis WERNSDORFIVS, *l. c. p. 431, ſqq.* et WEGNERVS, in diſſ. altera *de enantiophaniis libr. ſyno. p. 23, ſqq.* *Bonis operibus, p. 96, 117, 135, 137, ſq.* adſcribitur *meritum*; eoque cum Scripturae ſacrae, tum Auguſtanae Confeſſioni, *art. VI, et art. XX, p. 10*, tum ſibi ipſi, *p. 64*, contradicere videtur Apologia. Quanquam enim, bona opera, non remiſſionis peccatorum, gratiae aut iuſtificationis, ipſiusue vitae aeternae, quippe quae fide tantum conſequamur, ſed aliorum praemiorum corporalium et ſpiritualium, in hac vita et poſt hanc vitam, meritoria eſſe, docet; attamen nec quoad haec, bona opera meriti, proprie et ſtricte dicti, rationem habent. Ad conciliandam igitur enantiophaniam is huc reuocandus eſt verbi *mereri* ſignificatus, quo apud veteres ſcriptores Latinos, TERENTIVM, CICERONEM, CAESAREM, PLI-

NIVM,

NIVM, *accipere*, *conſequi*, notat, et quo Patres de bonis operibus frequenter vſi ſunt, quippe quibus, vt CHEMNICTIVS, in *exam. Conc. Trid. P. I, loc. 10, p. 262*, GERHARDVS, *de B. O.* §*14*, docent, *mereri* idem eſt, ac praeſtare opera Deo grata, eorundemque, vi gratuitae promiſſionis diuinae, conſequi remunerationem. Hocque adeo ſenſu Patriſtico idem illud verbum in Apologia, locis citatis, adhibetur. Pertinet huc, quod *proleg. ſect. IIII*, §*V, p. 60, 61*, de phraſibus, in Apologia nonnunquam adhibitis, obſeruandum eſſe, diximus. Huiuſmodi etiam phraſis eſt, qua *tota nouitas vitae ſaluare* dicitur. *p. 117*. Nam cum tota vitae nouitas et fidem, et fructus eius, ſeu bona opera, ſub ſe complectatur, id, quod de illa praedicatur, de potiori eius parte, fide nimirum iuſtificante vnice eſt accipiendum. Expoſitionem hanc confirmant Apologiae pronuntiata, *p. 79, 96*, et caet. quibus iuſtificatio et vita aeterna, remoto bonorum operum merito, ſoli fidei adiudicatur. Quo ſignificatu vox *euangelii* adhibeatur, cum de illo, *p. 71*, praedicatur, quod *arguat peccata*, praecedenti capite, *p. 370*, ad caput V Apologiae, in quo, *p. 165*, eadem occurrit phraſis, indicauimus. Et haec fere illa ſunt, quae in duobus hiſce articulis a forma ſanorum verborum diſcedere, contradictionemue inuoluere videntur; quae vero, dextre explicata, nihil quidquam in ſe continent, quod ſacrarum litterarum, caeterorumque eccleſiae noſtrae librorum ſymbolicorum doctrinae aduerſetur. Praeter ea vero etiam ab externis pariter, atque domeſticis horum librorum aduerſariis allegationes carpuntur quorundam Scripturae dictorum, quod illa contra verum germanumque ſuum ſenſum, ac proinde ad id, quod probare debent, minus apte, idoneeque adducantur. Cum ſingula, quae hoc nomine notantur, ſingulatim expendere, nimis prolixum foret, generatim monuiſſe, ſufficiat, de nonnullis, quod alieno ſenſu excitata fuerint, perperam pronuntiari; quaedam non directe quidem et immediate, indirecte tamen et mediate id, quod probare debent, probare; alia

demi-

denique, ex aduerſariorum mente, et κατ' ἄνθρωπον, ad errores Pontificiorum, ipſorum armis, oppugnandos, conuellendoſque, a PHILIPPO de induſtria fuiſſe allata. Caetera, quae in his articulis minus recte dicta quidam putant, cum ad fidei doctrinam non ſpectent, ſilentio praetermittimus; illa ipſa tamen ita comparata eſſe, exiſtimamus, vt nihil, quod iure reprehendi poſſit, in iiſdem reperiatur.

IIII

In ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *parte ſecunda*, eiuſque *articulo I*, Scripturae ſacrae exhibentur dicta, quae docent, IESVM Chriſtum ſolum meritoriam ſalutis noſtrae eſſe cauſam, nec vllo opere, ſed ſola fide, quae meritum Chriſti apprehendit, hominem iuſtificari; indeque, allatis rationibus, demonſtratur, „de hoc articulo cedere, aut „aliquid contra illum largiri, aut permittere „neminem piorum poſſe, etiamſi coelum et „terra, et omnia corruant.“ In *parte tertia*, *articulo XIII*, *p. 335 et ſeq.* de ratione iuſtificationis hominis coram Deo, et de bonis operibus agitur, et, quoad illam, docetur, Deum, propter Chriſtum, mediatorem noſtrum, nos, (qui meritum illius fide apprehendimus,) iuſtos et ſanctos reputare, et peccatum nobis non imputare. De bonis operibus, fidem et iuſtificationem illa ſequi, et, vbi non ſequuntur bona opera, ibi fidem falſam, et non veram eſſe, affirmatur.

V.

V

Ad ſymbolicae de iuſtificatione per fidem doctrinae caput cum maxime quoque pertinet FORMVLAE CONCORDIAE *articulus tertius*, qui *de iuſtitia fidei coram Deo* titulum habet, et cui condendo cauſam dederunt ANDREAE OSIANDRI et FRANCISCI STANCARI errores, controuerſiaeque, hinc exortae, magnaque cum eccleſiae euangelicae offenſione agitatae. Vid. *prolegom. ſect. VII, § IIII, p. 86. ſq.* Etenim vniuerſa, quam ſacrae litterae tradunt, de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, et de fide iuſtificante doctrina curatius in illo explicatur, nec OSIANDRI et STANCARI ſolum, ſed *Interimiſtici* etiam et *Pontificii* errores confutantur. (*)

(*) Expoſito controuerſiae ſtatu, praemiſſaque praefatione, qua ſumme neceſſarium eſſe oſtenditur, vt articulus de iuſtitia fidei, tanquam ἀκρόπολις totius religionis chriſtianae, integre, incorrupteque conſeruetur, ſincera doctrina, fides et confeſſio eccleſiarum euangelicarum de iuſtificatione, et fide iuſtificante, *primo* traditur, et quae ad eam pertinent omnia, a *p. 683*, vſque ad *p. 695*, enarrantur, voceſque et phraſes, quae in illa adhiberi ſolent, dextre explicantur. Praeter alia, *p. 687. ſqq.* monetur, „vt ne ea, quae fidem praecedunt, „et quae eam ſequuntur, articulo huic, tanquam ad iu„ſtificationem necceſſarja, et ad eam pertinentia, admi„ſceantur, aut inferantur; ad iuſtificationem enim tan„tum haec requiri, atque neceſſaria eſſe: gratiam Dei, „meritum Chriſti, et fidem, quae beneficia Dei in pro-

„miſſione

„miſſione euangelii amplectatur; eaque ratione nobis „Chriſti iuſtitiam, (obedientiam videlicet tam actiuam, „quam paſſiuam, *p. 684, ſq.*) imputari, vnde remiſſionem „peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in „filios Dei, et haereditatem vitae aeternae conſequamur." Et *p. 692, ſqq.* haec repetitur monitio, „vt ne renouatio et „bona opera, tanquam forma, aut pars, aut cauſa iuſtifica„tionis, aut ſub qualicunque praetextu, titulo, aut nomine, „articulo iuſtificationis immiſceantur, et caet." ſimul vero etiam affirmatur, bona opera, licet nullo ad iuſtificationem pertineant modo, tamen, vt fructus fidei iuſtificantis, nunquam abeſſe a iuſtificatis; eaque ratione *Paulum* inter et *Iacobum* conuenire, oſtenditur, cum hic de iuſtificatis agat, vbi, *fidem ſine operibus mortuam eſſe*, dicit, *c. II, v. 17, 20.* Speciatim inde, *p. 695, ſeqq.*, diſputatio de inhabitatione eſſentialis iuſtitiae Dei in nobis recte declaratur, doceturque: 1) inhabitationem Dei triuniius, „aeterna qui eſt et eſſentialis iuſtitia, per fidem in ele„ctis, non eſſe iuſtitiam illam fidei, propter quam coram „Deo iuſti pronuntiamur, ſed huius conſequens; 2) Chri„ſtum, vt Deum et hominem, in ſola ſua, tota et perfe„ctiſſima obedientia, noſtram eſſe iuſtitiam; 3) neque „diuinam, neque humanam Chriſti naturam *per ſe* ad iu„ſtitiam nobis imputari, ſed ſolam obedientiam illius „perſonae, quae ſimul Deus eſt, et homo."

In antitheſi, *p. 694, et p. 697, ſq. epit. p. 586, ſq.* reiiciuntur et damnantur, expoſitae hactenus declarataeque ſincerae doctrinae aduerſantes, et quidem, quoad primam illius partem, *Pontificiorum*, et noſtratium quorundam, qui de libro Auguſtano, *Interim* dicto, ſententiam tulerant, quoad alteram vero, OSIANDRI, et STANCARI, et cum hoc, de Chriſto ſecundum humanam naturam duntaxat mediatore noſtro, conſentientium Papiſtarum errores. Additur, *p. 598, num. VI, epit. p. 587, n. VI*, error ſtatuentium: „quod non Deus ipſe, ſed dona Dei tan„tum in credentibus habitent:" quam nonnullorum olim ſententiam fuiſſe, LOMBARDVS, *Sentent. lib. I, diſtinct.*

14, refert, quamque ex OSIANDRI aduerſariis quempiam reuocaſſe, opinatur IOH. MVSAEVS, in *praelect. in epit. F. C. p. 179.* In fine declarationis *p. 698*, praeclarum LVTHERI in epiſtolam PAVLI ad Galatas commentarium, quae ad copioſiorem ardui huius et praecipui articuli iuſtificationis coram Deo, in quo noſtra ſalus vertitur, explicationem requiruntur, exhibere, illumque propterea ab vnoquoque conſulendum, et diligenter legendum eſſe, monetur.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

Verbum *iuſtificare*, in articulo de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, ſignificatum habet forenſem, notatque, reum abſoluere, et iuſtum pronuntiare, ſeu reputare.

Vid. Apologia A. C. c. II, p. 73, c. III, p. 125: Form. Conc. art. III, epit. p. 585, declar. p. 685.

Confirmatio, et vindicatio.

Permagni refert, verum, germanumque verbi *iuſtificare* exploratum habere ſignificatum. Hoc enim cognito, facile cognoſcitur, quantum inter veram falſamque de iuſtificatione doctrinam ſit diſcrimen. Nam vt

vt CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid. P. I, loc. 8, p. 186*, recte iudicat, „vera Scripturae de iuſtificatione doctrina commodius explicari, „intelligi et conſeruari nequit, nec contrariae corruptelae rectius et illuſtrius refutari „poſſunt, quam ex propria et genuina ſignificatione verbi *iuſtificare*.“ Vera autem verbi huius ſignificatio ex vocum biblicarum, quibus reſpondet, quaeque illo ipſo redduntur, הצדיק et δικαιοῦν, vſu eſt repetenda; indeque adeo conficitur, verbum *iuſtificare forenſi* omnino accipiendum eſſe notione. Ad Hebraeam enim quod attinet vocem, iuſtum iudicandi, abſoluendiue ſignificatu ea vſurpatur, *Gen. XLIIII, 16; Exod. XXIII, 7; Deut. XXV, 1; 2 Sam. XV, 4; et caet.* praeſertim *Prouerb. XVII, 15*; nec alio ſumitur ſenſu, *Ieſ. LIII, 11*, vbi Chriſtus, per cognitionem ſui, multos dicitur *iuſtificaturus*. Graecum δικαιοῦν, quod apud τοὺς ἔξω, duplici, et abſoluendi, et condemnandi notione occurrit, quemadmodum, poſt CHEMNITIVM, *l. c. p. 187*, pluribus exemplis demonſtrat S. R. DEYLINGIVS, in *diſſ. de voce δικαιοῦν, obſeru. ſacr. parti III ſubiuncta, § IV, p. 564, ſqq.* in ſacris N. T. litteris forenſem itidem habet ſignificatum, et, vbi de hominis coram Deo agitur iuſtificatione, ſemper notat, *iuſtum declarare*. Indubitabile id reddit locus, *Rom. VIII, 33*, in quo τὸ δικαιοῦν, de iuſtificatione quod dicitur credentium, opponitur τῷ ἐγκα-

λεῖν, *accuſare*; quod cum aeque, ac, quod ſequitur, κατακρίνειν, *condemnare*, forenſe ſit verbum, nec priori illi verbo forenſis vlla ratione denegari poteſt ſignificatus. Comprobatur is ipſo, vocabulis et phraſibus forenſibus, quibus iuſtificatio, per τὸ δικαιοῦν ſignificata, declarari ſolet, *Ioh. III, 18*; *V, 24*; *Rom. III, 25*, *IV, 6, ſqq. V, 19*, et caet. Accedit, in iuſtificatione hominis coram Deo ea omnia concurrere, quae ad forenſem pertinent actum: reum, accuſatorem, teſtem, aduocatum, iudicem, delictum, abſolutionem, et caetera, quae a theologis noſtratibus, in articuli huius expoſitione, curatius enarrantur.

A ſacrarum igitur litterarum ſententia prorſus aliena eſt, quam iuſtificationis vocabulo Pontificii affingunt, ſignificatio; quippe qui phyſicum ei attribuunt ſenſum, et *iuſtificare* idem eſſe, aiunt, ac *iuſtum facere ex iniuſto*, per mutationem ſcilicet qualitatum internam, qua inhaerens peccatum tollatur, et iuſtitiae habitus infundatur. Et in hoc quidem, duplicem cum ſtatuant iuſtificationem, *primam* conſiſtere docent; *ſecundam* eam dicunt, vbi *ex iuſto fit iuſtior*, ſeu iuſtus maiori iuſtitia et ſanctitate augetur; hancque meritoriam faciunt ex condigno. Vid. FRANC. COSTERVS, in *enchirid. controuerſ.* p. 228, et caet. Operam ludunt, phyſicum verbi *iuſtificare* ſenſum ex compoſitione vocis Latinae probantes, eamque in rem

ver-

verbum *calefacere*, itemque *ſanctificare*, adducentes. Quo enim ſenſu, veteri Latio ignotum plane iuſtificationis vocabulum in hoc fidei articulo accipiendum ſit, ex vocum biblicarum, ad quas reddendas illud adhibetur, vſu, vt paullo ante oſtendimus, vnice cognoſci debet. Nec verbum *ſanctificare*, quod illi volunt, *ex non ſancto ſanctum facere*, ſemper notat, cum Deus etiam dicatur a nobis *ſanctificari*, vt et *glorificari*, *magnificari*. Abſone hinc porro BELLARMINVS, *de iuſtific. lib. I, c. I, Controuerſ. t. IV, p. 401*, ex analogia vocis *calefacere* alterum illum, qui ad confictam a Romanenſibus iuſtificationem ſecundam refertur, deducit verbi *iuſtificare* ſignificatum. „Quemadmodum, inquit, vſitate dicitur calefieri, non ſolum qui „calidus ſit ex frigido, ſed etiam qui ex calido fit calidior, ſic etiam iuſtificari dicitur „non ſolum is, qui ex impio fit iuſtus, ſed „etiam qui ex iuſto fit iuſtior.“ Nequicquam hanc in ſententiam afferri ſolet locus, *Apoc. XXII, 11: ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι.* Nec enim hic dicitur, quid Deus agat, hominem iuſtificans, ſed quid hominem iuſtificatum agere oporteat. Inani vero etiam labore Pontificii, et in primis BELLARMINVS, *de iuſtific. l. II, c 3, p. 449, ſq.* ex aliis quibuſdam S. S. dictis phyſicum verbi iuſtificare ſenſum probare conantur. Tantum enim abeſt, vt dicta illa eum admittant, vt potius

verus verbi iuſtificare ſignificatus, quo iudicialem notat actum, iiſdem ſtabiliatur, prout ſolide demonſtrauit IOH. GERHARDVS, in *loco de iuſtificatione per fidem, c. I, a § X vſque ad § XVI, p. 673, ſeqq.* Certiſſime omnino conſtat, vocibus biblicis הצדיק et *δικαιοῦν*, nuſquam iuſtificationem per nouarum qualitatum infuſionem denotari. Patrum Graecorum, qui verbo *δικαιόω abſoluendi, iuſtum pronuntiandi* notionem vindicarunt, teſtimonia exhibet IOH. CASP. SVICERVS, *theſauri eccl. t. I, p. 915.* Latinos, qui iuſtificationis vocabulum *ἀκύρως* pro renouatione vſurparunt, non moramur, cum ex ſacrarum litterarum vſu vera et germana illius ſignificatio vnice ſit diiudicanda.

THESIS II

Iuſtificatio actus eſt iudicialis, quo Deus trinunus hominem peccatorem, ex gratia, propter meritum Chriſti, fide apprehenſum, a reatu abſoluit, iuſtumque declarat, in gratiae et iuſtitiae ſuae laudem, et iuſtificatorum ſalutem.

Vid. Aug. Conf. art. IV et V; Apolog. cap. II et III; Form. Conc. art. III, epit. p. 584; declar. p. 684, ſeqq.

Expoſitio.

Quae hac theſi exhibetur iuſtificationis definitio, ad ſacrarum litterarum nor-

mam

mam, et cum hac exacte conuenientem librorum noſtrorum ſymbolicorum doctrinam compoſita, omnes et ſingulas illius in ſe continet cauſas, cauſam videlicet *efficientem, impulſiuam*, cum internam, tum externam, *inſtrumentalem, formalem*, et *finalem*. Cauſa iuſtificationis, actus iudicialis rationem habentis; *efficiens* principalis, ſeu is, qui hominem peccatorem, eumque poenitentem, is enim iuſtificationis eſt *ſubiectum*, a peccatis abſoluit, iuſtumque pronuntiat, Deus eſt triunus. Cauſa *impulſiua*, eaque *interna*, eſt gratia Dei, mere gratuitus videlicet Dei fauor atque benignitas: *externa*, meritum Chriſti, id eſt, obedientia ipſius, cum actiua, qua legem noſtro loco perfectiſſime impleuit, tum paſſiua, qua promeritas a nobis peccatorum poenas in ſe ſuſcepit, et patiendo, moriendoque pertulit, ſicque laeſae iuſtitiae diuinae pro nobis pleniſſime ſatiſfecit. *Inſtrumentalis* cauſa ex noſtra parte eſt fides, quatenus meritum Chriſti fiducialiter apprehendit. *Formalis* iuſtificationis ratio conſiſtit in non imputatione iniuſtitiae noſtrae, ſeu abſolutione a culpa et poena peccati, et in imputatione iuſtitiae Chriſti: quae quidem non τῷ εἶναι, ſed τῷ λόγῳ ſaltem ſunt diſtincta. *Finalis* denique cauſa eſt miſericordiae et iuſtitiae diuinae demonſtratio, tum vero eorum, qui iuſtificantur, ſalus aeterna.

Confirmatio.

Quas iuſtificationis enarrauimus cauſas, eae dicto Apoſtoli claſſico, *Rom III, 24, 25*, comprehenduntur omnes, illoque ipſo vniuerſa de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo exponitur doctrina. Etenim pronuntiato ſuo, quod omnes omnino homines ſint peccatores, et imagine Dei, ſeu iuſtitia originali, deſtituantur, PAVLVS addit: *iuſtificari eos gratis, Dei gratia, propter redemtionem in Chriſto* IESV, *quem Deus propoſuerit propitiatorium per fidem in ſanguine eius, ad demonſtrandam iuſtitiam ſuam, per remiſſionem antea commiſſorum peccatorum.* Verbum δικαιοῦσθαι, *iuſtificari*, forenſem abſoluendi a peccatis, iuſtumque declarandi hic habere ſignificatum, ex συναφείᾳ textus, verbiſque praecedentibus clariſſime liquet. Deo, et quidem ſpeciatim Deo Patri, vt cauſae *efficienti*, hoc in loco, itemque *Rom. VIII, 33.* attribuitur iuſtificatio, non excluſis Filio et Spiritu ſancto, cum ſit opus Dei κατ' ἐξοχὴν, vnde etiam et illi, eique ἐνανθρωπήσαντι, *Ieſ. LIII, 11. Matth. IX, 6*, et huic, *1 Cor. VI, 11*, adiudicatur. Cauſa iuſtificationis *impulſiua interna* egregie, κατ' ἄρσιν pariter, atque κατὰ θέσιν, declaratur. Nempe voce δωρεὰν, *gratis*, omne in nobis meritum remouetur, indeque τῇ Θεοῦ χάριτι, *Dei gratia*, dicimur iuſtificari. Per χάριν Θεοῦ perperam Pontificii, ὑποθέτων

δων-

δουλεύοντας, hic et alias, vbi de iuſtificatione agitur, infuſum iuſtitiae habitum denotari, dicunt. Enimuero *χάριτος* nomine gratuitum Dei fauorem hic pariter, atque caeteris in locis omnibus, in quibus de iuſtificatione hominis coram Deo agitur, ſignificari, manifeſtum eſt, cum ex antitheſi inter gratiam et operum meritum, *Rom. XI, 6; Eph. II, 8. 9; 2 Tim. I, 9;* tum ex apoſtolica vocis *χάριτος* per *τὴν ἀγάπην, τὸ ἔλεος, τὴν χρηστότητα Θεοῦ*, *amorem, miſericordiam, benignitatem Dei*, expoſitione, *Eph. II, 4, 7; Tit. III 4.* Hiſque adeo argumentis prorſus euertitur anathematiſmus Concilii Tridentini, *ſeſſ. VI, can. XI*, contra eos, qui gratiam, qua iuſtificamur, fauorem Dei tantum eſſe, dicunt. Cauſa *impulſiua externa* indicatur ſequentibus verbis: 3.
διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *propter redemtionem*, quae facta eſt *in Chriſto* IESV. *Ἀπολύτρωσις* ſatiſfactoriam Chriſti notat redemtionem, qua, perfectiſſimo ſoluto *λύτρῳ*, obedientia videlicet ſua, tam actiua, quam paſſiua, nos redemit. Conf. *Eph. I, 7; Col. I, 14; 1 Pet. I, 18, 19.* Sicque adeo meritum Chriſti gratiae Dei additur vt cauſa iuſtificationis impulſiua externa, ſiquidem ſatiſfactione ſua id nobis meruit Saluator noſter, vt a culpa et poena peccatorum in iudicio diuino abſoluamur, et propter ipſius iuſtitiam iuſti reputemur. Vid. *Rom. V, 19; 2 Cor. V, 21.* Abſone Sociniani ex eo, quod iuſti-

ficatio ſit gratuita, meritum Chriſti inter cauſas illius haudquaquam referri poſſe, arguunt. Etenim gratia Dei et meritum Chriſti ſunt ſubordinata, nec ſibi invicem opponenda: cum gratuita iuſtificatio, noſtrum quidem, non vero Chriſti meritum, quod diuinae gratiae debetur, excludat. Cauſae *organicae* diſerta itidem in dicto noſtro fit mentio, vbi *Deus Chriſtum* IESVM *propitiatorium propoſuiſſe* dicitur, διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, *per fidem in ſanguine eius*; hoc eſt, vt fide ſanguinem IESV Chriſti, *ab omni emundantem peccato*, (1 Ioh. I, 7,) perfectiſſimam nimirum ipſius ſatisfactionem, quae *ſanguinis* vocabulo hic et alias deſignatur, apprehendamus, fiducialiterque illam amplectendo, iuſtificationem conſequamur. Ita clare oſtenditur, fidem ὄργανον illud eſſe ληπτικὸν, quo iuſtitia Chriſti accipitur, cuius ſolo intuitu homo iuſtificatur. Compluribus in locis Apoſtolus idem hoc confirmat, et in hoc ipſo capite, *v. 28*, itemque *Gal. II, 16*, *fide*, relatiue videlicet ſpectata, ſine operibus, illaque adeo *ſola*, hominem iuſtificari docet. *Formalis* iuſtificationis ratio in dicto noſtro deſcribitur per πάρεσιν (cui diuerſum ab ἀφέσει ſignificatum perperam attribuunt *Cocceiani*;) τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, *remiſſionem ante commiſſorum peccatorum*. Vberiorem illius deſcriptionem Apoſtolus, *Rom. IV, 5; ſqq. 2 Cor. V, 19*, tradit, ex qua, eam con-

ſiſtere, cognoſcitur, ἐν τῷ μὴ λογίζεσθαι τὴν ἁμαρτίαν, et ἐν τῷ λογίζεσθαι τὴν πίστιν εἰς δικαιοσύνην, in non imputatione iniuſtitiae noſtrae, ſeu remiſſione peccatorum, et in imputatione iuſtitiae Chriſti, fide apprehenſae. *Finalem* iuſtificationis cauſam eſſe miſericordiae Dei demonſtrationem, cum ex eo ſatis appareat, quod gratia Dei, et merito Chriſti, homini ea obtingat, tum vero etiam ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ, *demonſtratio iuſtitiae Dei*, in iuſtificationis noſtrae cauſa, perfectiſſima quae eſt, pro peccatis noſtris a Chriſto praeſtita, ſatisfactio, conſpiciendae, in dicto noſtro claſſico commemoratur. Quoad hominem, eum iuſtificationis eſſe finem, vt iuſtificatus coeleſtium bonorum, ſalutiſque aeternae particeps reddatur, ex *Rom. V*, 1, 2, et quamplurimis aliis ſacrarum litterarum dictis patet.

Errorum confutatio.

In articulo de iuſtificatione *Pontificii* inprimis, *Sociniani* et *Arminiani* coeleſti aduerſantur veritati. Ad Pontificios quod attinet, praecipua cum eis nobis controuerſia eſt de formali iuſtificationis ratione, cauſaue, et de fide iuſtificante, qualis ſit, et num ea ſola, ſine operibus, iuſtificet. Cum de fide iuſtificante in theſi ſequente agere nobis conſtitutum ſit, nunc, quem de formali iuſtificationis ratione fouent, errorem expendemus.

Nempe,

Nempe, quem ad modum verbo *iuſtificare*, vt in praecedente oſtendimus theſi, phyſicum Pontificii attribuunt ſenſum, ita infuſum iuſtitiae habitum formalem iuſtificationis conſtituunt cauſam, et iuſtitiae Chriſti imputatione homines iuſtificari, negant, quin immo imputatam iuſtitiam exſibilare, et contumelioſis vocibus proſcindere ſolent. CONCILIVM quidem TRIDENTINVM, *ſeſſ. VI, cap. VII*, eam iuſtificationis tradit deſcriptionem, qua ſanctificatio cum peccatorum coniungitur remiſſione, ita vt haec pariter, atque illa ad iuſtificationis rationem formalem referri videatur. Quo etiam ſpectat *canon XI*: „Si quis dixerit, homines iuſtificari, „vel *ſola imputatione iuſtitiae Chriſti*, (en, „hanc quoque largiuntur patres Tridentini,) „vel *ſola remiſſione peccatorum*, excluſa gratia „et charitate, quae in cordibus eorum per „Spiritum S. diffundatur, atque illis inhae„reat, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, „eſſe tantum fauorem Dei, anathema ſit.“ Contra ea in eodem *capite VII* pronuntiatur: „*Vnica formalis cauſa* (iuſtificationis) eſt iu„ſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua „nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati, „renouamur ſpiritu mentis noſtrae, et non „modo reputamur, ſed vere iuſti nomina„mur, et ſumus, et rel. Et *canone X* anathema dicitur, „ſi quis dixerit, homines *per iu„ſtitiam Chriſti formaliter iuſtos eſſe*.“ Ita

bilin-

bilingues Tridentini, vno eodemque in loco, iuſtificationem in gratuita remiſſione peccatorum, propter meritum Chriſti, pariter, atque ſanctificatione et renouatione conſiſtere, aiunt, et id ipſum negant, dum vnicam tantum iuſtificationis cauſam formalem, hancque renouationem, ſeu gratiae et charitatis in cordibus eorum, qui iuſtificantur, per Spiritum S. diffuſionem eſſe, profitentur. Quo ſenſu autem λογοδαίδαλοι iſti remiſſionem peccatorum iuſtificationis conſtituant partem, ex ipſius ANDRADII interpretatione, dilucide docet CHEMNITIVS noſter, in *exam. Conc. Trid. lib. VIII, ſect 3, p. 205, ſeqq.* Ad *Sententiariorum* nimirum doctrinam compoſitis verbis, remiſſionem peccatorum, propter meritum Chriſti, iuſtificationi hoc adiudicant ſenſu, Chriſtum videlicet gratiae et charitatis infuſionem hominibus meruiſſe, vt noſtrae inhaerentis charitatis vi peccata expellantur, extinguantur, aboleantur. Ita etiam *imputari iuſtitiam Chriſti*, notante CHEMNITIO, *l. c. p. 212*, nihil aliud eis eſt, quam iuſtitiae qualitates propter meritum Chriſti infundi. De iuſtitiae Chriſti imputatione, et imputationis vocabulo, inter ipſos Patres Concilii Tridentini diſputata refert PAVLVS SARPIVS, in *hiſt. Conc. Trid. lib. II, edit. Gall.* COVRAYERII, *p. 356 ſqq.* Mirari verborum Concilii, quibus, eodem in loco, aperta contradictione; remiſſio pec-

catorum cum ſanctificatione ad iuſtificationis formam refertur, et iuſtitia Dei nobis infuſa et inhaerens vnica illius eſſe dicitur cauſa formalis, BELLARMINVS, *de iuſtific. lib. II, c 2, p. 449*, affert expoſitionem.

Non aliam is ipſe, communi Pontificiorum doctorum conſenſu, iuſtificationis cauſam formalem eſſe, ſtatuit, quam habitum gratiae ſeu charitatis infuſum, quem etiam iuſtitiam vocat, in nobis inhaerentem, eamque habitualem. Hanc, *l. c. cap. 3, p. 449, ſeqq.* argumentis, ex Scriptura ſacra depromtis, et *cap. 8, p 463, ſq.* traditione veterum Patrum, ac potiſſimum AVGVSTINI, probare conatur; tum vero, caeteris *libri II capitibus* pleriſque omnibus, quinque, quos numerat, de formali iuſtificationis cauſa erroribus ſigillatim impugnandis, argumentiſque diſſentientium ſoluendis, operam impendit. Tres hoc nomine, eoſqe diuerſos, perperam nobis impingit errores: *primum*, quo, in ſcriptis LVTHERI et in Confeſſione Auguſtana, fides, vel etiam meritum Chriſti, fide apprehenſum, formalis iuſtificationis conſtituatur cauſa; *alterum*, quo Chriſti obedientia et iuſtitia nobis imputata a noſtratium theologorum pleriſque eo loco habeatur; *tertium*, quo formalem iuſtificationem proprie in ſola remiſſione peccatorum, non excluſa tamen iuſtitiae Chriſti imputatione, conſiſtere, doceatur. Ita nimirum ex tribus aequipollen-

lentibus ſacrarum litterarum de formali iuſti-ficationis ratione propoſitionibus, tres diuerſos BELLARMINVS effingit errores. Etenim et *fide*, dicitur, *nos iuſtificari*, *Rom. III, 28; Gal. II, 16;* aut *fidem nobis ad iuſtitiam imputari*, *Rom. IV, 5;* et *vnius Chriſti obedientia hominem iuſtificari.*, *Rom. V, 19;* aut *per ipſius iuſtitiam in omnes homines iuſtificationem vitae venire*, *ib. v 18.* Fidei autem dum adſcribitur iuſtificatio, fit hoc, vt *F. C. p. 684*, vere docet, reſpectu meriti Chriſti, quod fides apprehendit, et amplectitur; „eſtque iuſtitia illa, quae „coram Deo fidei ex mera gratia imputatur, „obedientia, paſſio et reſurrectio Chriſti, qui-„bus ille legi noſtra cauſa ſatiſfecit, et pec-„cata noſtra expiauit." Iamque porro eo ipſo, dum iuſtitia Chriſti nobis imputatur, non imputantur, ſeu remittuntur nobis, peccata noſtra, *Rom. V, 6*, 7. Conf. *2 Cor. V, 21*; *Eph. I, 7.* Ex quo manifeſtum eſt, ſynonymicis phraſibus deſignatam formalem iuſtificationis rationem in vera, perfectiſſimae iuſtitiae Chriſti, fide apprehenſae, imputatione, et non imputatione iniuſtitiae noſtrae, ſeu peccatorum noſtrorum conſiſtere remiſſione; ſicque adeo iuſtitiam Chriſti *imputatam* formalem vtique iuſtificationis noſtrae eſſe cauſam. Inani, contra illam ipſam, BELLARMINVS inhaerentem iuſtitiam propugnat conatu. Nam, quae pro hac magno numero affert, Scripturae ſacrae dicta vel

ſen-

ſententiae eius prorſus aduerſantur, vt ea, quae in prima ſtatim acie collocauit, *Rom. V, 17, ſqq.* et *III, 24*, quippe quibus euangelica de iuſtificatione per imputationem iuſtitiae Chriſti, ſeu per fidem in meritum Chriſti, confirmatur doctrina; vel non ad iuſtitiam fidei, per quam formaliter iuſti reddimur coram Deo, ſed ad iuſtitiam vitae ſpectant, et inepte adeo huc referuntur. Quanquam enim iuſtificationem proxime inſequitur renouatio, haec tamen non cum illa, vt a Pontificiis fieri ſolet, eſt confundenda, ſed cum gratioſi actus hi non ordine ſolum, ſed proprietatibus etiam, inter ſe differant, recte a ſe inuicem diſcerni debent. Vid. FORM. CONC. *p. 685, ſeqq.* Longum foret, omnia et ſingula BELLARMINI pro ſtabilienda iuſtitia inhaerente, et euertenda iuſtitiae Chriſti imputatione argumenta expendere, et, nequicquam illa ab eo adduci, demonſtrare. Cumulatiſſime pariter, atque ſolide, id praeſtitit IOH. GERHARDVS, in *loco de iuſtificatione per fidem, a § 222 vſque ad § 248, loc. th. tom. III, p. 1083 ſeqq.* Add. SCHERZERVS, in *Anti-Bellarmino, diſp. XVI, p. 745, ſqq.*

Egregie ad formam ſanorum verborum compoſita eſſe videtur *Socinianorum* de iuſtificatione doctrina, vbi in *Catecheſi Racovienſi, cap. XI, qu. 452*, docetur: „per fidem „in Chriſtum nos conſequi iuſtificationem;“ haecque, *qu. 453*, eſſe dicitur: „cum Deus

nos

„nos pro iuſtis habeat, et peccata nobis re„mittendo, et, (quod tamen ad finalem po„tius, quam formalem iuſtificationis pertinet „cauſam,) nos vita aeterna donando.“ At enimuero, ſi ad ſenſum, quem aſſertioni illi ſuae: per fidem in Chriſtum nos conſequi iuſtificationem, Sociniani attribuunt, reſpiciamus, ex diametro doctrina eorum aduerſatur Scripturae ſacrae. Nam fides in Chriſtum, *catechef. cap. IX, qu. 418*, ita deſcribitur, vt duo comprehendat, „vnum, vt non ſolum „Deo, verum et Chriſto confidamus; dein„de, vt Deo obtemperemus, non in iis ſo„lum, quae in lege per Moſen lata praecepit, „et per Chriſtum abrogata non ſunt, verum „etiam in iis omnibus, quae Chriſtus legi „addidit.“ Sicque adeo fidem iuſtificantem in obedientia, quae Dei, et Chriſti, noui ſcilicet, ex peruerſa ipſorum ſententia, legislatoris, praeſtatur mandatis, potiſſimum ſitam eſſe, aiunt, veram autem illius, quam ſacrae litterae tradunt, quaeque in fiduciali meriti Chriſti apprehenſione conſiſtit, formam reiiciunt et aſpernantur. Nempe cum Chriſti pro peccatis generis humani ſatiſfactionem negent Sociniani, πρώτῳ illi ſuo inhaerentes ψεύδει, eandem etiam a iuſtificatione prorſus excludunt, ita vt nec propter meritum Chriſti, nec per imputatam ipſius iuſtitiam, hominem ſtatuant iuſtificari. Eodem igitur modo et ſatiſfactionis Chriſti, et noſtrae, per

et propter meritum Saluatoris noſtri, iuſtificationis veritati contradicunt Neo-Photiniani, et hanc aeque, ac illam, ineptis ratiocinationibus, et manifeſtis clariſſimorum Scripturae ſacrae effatorum inuerſionibus, impiiſſimo more ſuo, oppugnant. Ab illis, quas diximus, caeteriſque Socinianorum corruptelis doctrinam de iuſtificatione, praeter caeteros, vindicauit, eorundemque obiectiones ſigillatim confutauit I. A. SCHERZERVS, *in collegio Anti-Sociniano, diſp. LXXVII-LXXIV, p. 629, ſqq.*

Prope a Socinianis abſunt *Remonſtrantes*, ſiue *Arminiani*, quippe qui iuſtitiam, quae nobis in iuſtificatione imputatur, Chriſti iuſtitiam eſſe, negant, et imputationem fidei in iuſtitiam, per gratioſam aeſtimationem, ſeu potius acceptationem iuſtitiae noſtrae imperfectae pro perfecta, propter Chriſtum, exponunt; hincque etiam, fidem iuſtificantem actum obedientiae noſtrae eſſe, et opera, quae producit, includere, dicunt. Vid. in primis PHIL. LIMBORCHIVS, *theol. chriſt. lib. VI, c. 4, § 8-46, p. 703, ſeqq.* Sententiam de imputatione iuſtitiae Chriſti plane abſurdam eſſe, indecenter ille pronuntiat, has ſcilicet ob rationes, quia Scriptura nuſquam dilertis verbis doceat, iuſtitiam Chriſti nobis imputari, tum vero haec nobis imputari non poſſit. Quanquam autem de iuſtitia Chriſti in Scriptura ſacra expreſſis verbis

non

non dicitur, eam nobis imputari, id ipſum tamen cum ex iis, quae de praeſtita pro nobis a Chriſto ſatiſfactione agunt, locis, tum maxime ex dicto, *Rom. V, 19*, firmiſſima colligitur argumentatione; ac *fides* adeo, quae *credenti in iuſtitiam imputari* dicitur, *Rom. IV, 5*, de merito Chriſti, fide apprehenſo, veriſſime explicatur. Inepta, qua LIMBORCHIVS, iuſtitiam Chriſti imputari nobis non poſſe, probat, ratiocinatio non digna eſt reſponſione. Falſiſſimam eiuſdem de fide, vt actu obedientiae, vna cum aliis operibus, iuſtificante, aſſertionem in theſi ſequente diſcutiemus. Quantopere OSIANDER veram de iuſtificatione ſacrarum litterarum doctrinam ſuo contaminauerit errore, quo eſſentialem Dei, vel Chriſti, iuſtitiam, in nobis habitantem, formalem iuſtificationis conſtituit cauſam, in *Formulae Concordiae articulo III* ſufficienter eſt expoſitum. Neque adeo opus eſt, vt de exploſo iſto eiectoque OSIANDRI, conſimilique *fanaticorum* errore, pluribus hic agamus.

THESIS III

Ad fidem, inſtrumentalis quae eſt iuſtificationis cauſa, pertinent notitia, aſſenſus, et fiducia; praeſertim vero ea conſiſtit in fiduciali iuſtitiae, ſeu meriti

Chriſti apprehenſione, quo apprehenſo homo iuſtificatur; indeque adeo fides, non vt qualitas, actusue noſter, ſed relatiue, ſeu ratione obiecti iuſtifici, meriti videlicet Chriſti, quod apprehendit, ſpectata, eaque *ſola*, ſine vllis operibus, iuſtificat.

VIII. Aug. Conf. art. IV, V, VI, XX, p. 16, ſeqq. Apol. Conf. II et III, p. 68, ſqq. Form. Conc. art. III, epit. p. 584, ſqq. declar. p. 684, ſqq.

Expoſitio, et confirmatio.

Cum ad recipiendam iuſtificationem ex noſtra parte requiratur fides, ſigillatim expendendum eſt, *primo*, quid ad illius pertineat conſtitutionem; *ſecundo*, in quonam fides iuſtificans proprie conſiſtat; *tertio*, quo reſpectu iuſtificatio ei attribuatur; et *quarto*, quo modo ſola illa, ſine vllis operibus, iuſtificare, dicatur. Ita vero haec omnia et ſingula conſiderabimus, vt ſimul veram de iisdem, in theſi propoſitam, ſententiam ſimus demonſtraturi. Cum non vna eademque *fides* apud τοὺς ἔξω pariter, atque in ipſis ſacris litteris, gaudeat ſignificatione, ſiquidem et conſtantia in ſeruandis promiſſis, et aſſenſus, qui dictis teſtimoniisue praebetur; et fides

fides obiectiua, ſeu fidei doctrina ea voce interdum denotari ſolet, hic quidem de fide iuſtificante et ſaluifica vnice nobis eſt ſermo. Hanc igitur, quod ad illius primo attinet deſcriptionem, tres conſtituunt actus, ſiue gradus, partesue, *notitia*, *aſſenſus*, et *fiducia*, quem ad modum in *Aug. Conf. art. XX, p. 18*, *Apologia p. 68, ſq.* et *p. 125*, itemque in *Formula Conc. p 585*, et *p. 684*, docetur. Primum, quod fides haec complectitur, vel, ſecundum alios, ſupponit, eſt *notitia*, ſeu rerum, ſcitu cognituque ad ſalutem neceſſariarum, cognitio. Notitiam, eamque explicitam, ad fidem cum maxime requiri, vel ex eo apparet, quod rei ignotae aſſenſus, quem formali fidei conceptu inuolui, res confeſſa eſt, nequeat praeſtari. Quin etiam, fidem veram ſine notitia eſſe non poſſe, Scriptura ſacra multis modis confirmat. Nam et fidem *ſcientiae* voce deſignat, *Ieſa. LIII, 11*; *Iohi XVII, 3*; *Luc. I, 77*; *Ioh XIX, 25*; et cognitionem cum aſſenſu fiduciali coniungit, *Ioh. VI, 69*; *2 Tim. I, 12*; et fidem per euangelii praedicationem produci, teſtatur, *Rom. X, 17*; vt caetera, quae ex ſacris litteris addi poſſunt, argumenta taceamus. Cum ἐπιγνώσει ἀληθείας, veritatis cognitione, quae ad fidem requiritur, arctiſſimo nexu cohaeret συγκατάθεσις, ſeu *aſſenſus*, qui coeleſti praebetur doctrinae, et infallibili verbi diuini nititur auctoritate. Aſſenſus is, qui ἐλέγχου, *certiſſimae*

mae conuictionis, nomine, *Hebr. XI. 1.* deſignatur, cum generalis eſt, tum ſpecialis. Illius obiectum ſunt omnia, quae in ſacris litteris credenda nobis proponuntur; huius, promiſſiones diuinae de gratuita peccatorum remiſſione propter meritum Chriſti, a *fideli* quouis ita admittendae, vt illas etiam ad ſe in indiuiduo pertinere, credat. Vid. *F. C. p. 585. n. IV.* Atque hic ipſe, ſpecialis qui dicitur, aſſenſus, coniunctam ſecum habens fiduciam voluntatis, ſeu fiducialem et appropriatiuam meriti Chriſti apprehenſionem, fidei iuſtificantis conſtituit formam. Etenim ad fidem iuſtificantem, praeter cognitionem et aſſenſum, quae intellectus ſunt operationes, cum maxime requiritur voluntatis affectio, qua, pro indubitato habentes, Chriſtum etiam pro nobis ſeſe tradidiſſe, vt, per, et propter meritum ipſius, gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, et ſalutem aeternam conſequamur, redemtoris noſtri meritum fiducialiter apprehendimus, et iuſtitiam illius, qua pleniſſime pro nobis ſatiſfecit, vt noſtram iuſtitiam nobis applicamus, appropriamuſque. Hanc voluntatis affectionem, quae *fiduciae* nomine denotatur, praecipuam fidei, qua iuſtificamur, conſtituere partem, compluribus itidem Scriptura ſacra declarat modis. Fidei iuſtificantis deſcriptionem, *Hebr. XI. 1.* tradens apoſtolus, eam eſſe dicit ἐλπιζομένων ὑπόστασιν. ὑπόστασις autem, παρὰ τὸ ὑφίστα-

ὑφίςαϑαι, certiſſimam et immotam fiduciam ſignificat; qua notione non ſolum apud τοὺς ὁ, itemque apud τοὺς ἔξω. vt, exemplis allatis, CHEMNITIVS, *loc. th. P. II, p. m.* 265, docet, ſed etiam, *Hebr. III*, 14; 2 *Cor. IX*, 4; *XI*, 17, vſurpatur. Ita πεποίϑησις, *confidentia*, cum fide, pro aſſenſu ſumta, coniungitur, *Eph. III*, 12; et fidei πληροφορία attribuitur, *Hebr. X*, 22; *Rom. IV*, 20, 21. Huc maxime pertinent dicta, quibus fides iuſtificans per τὸ πιςεύειν εἰς, vel ἐπὶ τὸν Χριςὸν, *credere in Chriſtum*; *Ioh. III*, 16, 18, 36, *Act. XVI*, 31, *et caet.* exprimitur; itemque per τὸ λαμβάνειν et παραλαμβάνειν τὸν Χριςὸν, *recipere*, ſeu *apprehendere Chriſtum*, *Ioh. I*, 12; *Coloſſ. II*, 6, explicatur. Hinc enim clariſſime apparet, a vere credente requiri, vt fiduciam in Chriſtum collocet, meritumque ipſius apprehendat, ſuum proprium id faciendo. Plura in re manifeſta deſiderantibus argumenta cumulatiſſime ſatiſfacient CHEMNITIVS, *l. c. p.* 261, *ſqq.* et GERHARDVS, *loc. th. tom. III, de iuſtific. per fidem, c.* 4, *ſect.* 2, § 71, *p* 766. *ſqq.*

Ex his, quae de fidei iuſtificantis partibus diximus, ſatis iam intelligitur, in quonam (2) illa ipſa *proprie conſiſtat*: in aſſenſu videlicet ſpeciali, qui promiſſionibus euangelii de gratia Dei, et remiſſione peccatorum, per meritum Chriſti, vera fide apprehenſum, impetranda, praebetur, cum ipſa meriti Chriſti apprehenſione fiduciali coniuncto,

iuncto, fidem ſitam eſſe iuſtificantem. Vid. *Apologia Conf.* et *Formula Conc.* in locis paullo ante citatis.

Atque hinc etiam (3) ratio patet, quare ipſa iuſtificatio fidei tribuatur, haecque inter cauſas illius referatur; id nimirum obiecti, ſiue meriti Chriſti, quod apprehendit, fieri reſpectu. Nempe, vt *Formula Conc. p.* 684, docet: „fides non propterea iuſtificat, „quod ipſa tam bonum opus, tamque prae„clara virtus ſit, ſed quia in promiſſione „euangelii meritum Chriſti apprehendit, et „amplectitur: illud enim per fidem nobis „applicari debet, ſi eo ipſo merito iuſtificari „velimus.“ Nequaquam igitur fides, in actu iuſtificationis, virtutis, operiſue rationem habet, ſed quia ὄργανον ea eſt, quod meritum Chriſti apprehendit, *per fidem*, id eſt, per meritum Chriſti, fide apprehenſum, dicimur iuſtificari. *Rom. III, 28, 30.*

Huncque adeo in modum cum in iuſtificatione conſideranda ſit fides, conſequitur, (4) eam *ſolam*, excluſis operibus, iuſtificare. Euidentiſſima ſunt, quibus id ipſum confirmatur, ſacrarum litterarum pronuntiata. Non ſolum enim, ad impetrandam remiſſionem peccatorum, et ſalutem aeternam, per Chriſtum nobis partam, Scriptura ſacra nihil aliud ex noſtra parte, quam fidem, requirit, *Rom. III, 25; Act. X. 43; XIII 39; Ioh. III, 16, 18; Act. XVI, 31;* et caet. ſed etiam fidei, in oppo-

ſitione

ſitione ad opera legis, hacque ratione illi ſoli, attribuit iuſtificationem. Luculentiſſimum eam in rem PAVLI eſt effatum: *arbitramur*, inquit, *fide iuſtificari hominem*, *ſine operibus legis*, *Rom. III*, *28*. Hoc nimirum dicto apoſtolus opera legis a iuſtificatione, quam fidei aſſerit, diſertis verbis excludit, ſicque adeo, cum ex parte noſtra non detur tertium, fidem *ſolam* iuſtificare, clariſſime docet. Optimo igitur conſilio excluſiuam beatus LVTHERVS in verſione Germanica expreſſit, eoque ſententiam verborum PAVLI egregie declarauit. Perperam adeo ob id corruptionis Scripturae LVTHERVM pontificii incuſant, contra quos ipſe cauſam ſuam egit, ſingulari epiſtola, á 1530 ſcripta, et ſub titulo: *von Dolmetſchen* etc. edita, quae in Germanicis operum ipſius tomis, et Latine, in GE. COELESTINI *hiſt. comit. Auguſt. t. III*, *p 69*, *ſeqq*. extat. Nec in defendenda, et ab aduerſariorum calumniis vindicanda LVTHERI interpretatione, partibus ſuis noſtrates defuerunt theologi, CHEMNITIVS, *l c*. *p*. *304*, *ſqq*. GERHARDVS, *l c*. *§ 182*, *p*. *1003*, *ſqq*. et *Conſ. cathol l. II*, *part. 3*, *art. 23*, *cap*, *3*; vt caeteros, eoſque bene multos, qui hac opera defuncti ſunt, taceamus. „Offendit quoſ„dam, verba ſunt APOLOGIAE CONFESS, AVG. „*p*. *73*, particula, *ſola*, cum et PAVLVS di„cat: *arbitramur*, *hominem iuſtificari fide*, *non* „*ex operibus*; item *Ephes. II*: *Dei donum eſt*,

 „non

„*non ex vobis, neque ex operibus, ne quis glo-*
„*rietur;* item *Rom. III; gratis iuſtificati.* Si
„diſplicet excluſiua SOLA, tollant etiam ex
„PAVLO illas excluſiuas: *gratis, non ex operi-*
„*bus, donum eſt*, et caet. Nam hae quoque
„ſunt excluſiuae. Excludimus autem opi-
„nionem meriti; non excludimus verbum
„et ſacramenta, vt calumniantur aduerſarii.“
Cum maxime huc pertinet locus, *Gal. II, 16*,
vbi apoſtolus dicit: *ſcimus, hominem non iu-*
ſtificari ex operibus legis, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰη-
σοῦ Χριστοῦ, *niſi*, id eſt, *ſed per fidem in* IESVM
Chriſtum; ſiquidem τὸ ἐὰν μὴ idem eſt, quod
ἀλλὰ, vt exemplis comprobat WOLFIVS, in
curis philolog. ad h. l. et excluſiuae, *ſola*, aequi-
pollet. Conf. FORMVLA CONC. *p. 585, ſq.*
et *p. 691, ſq.* vbi particulas excluſiuas omnes
quibus PAVLVS opera ex articulo iuſtifica-
tionis excludit, hiſce comprehendi indica-
tur verbis, cum docemus: „*ſola fide in Chri-*
„*ſtum coram Deo iuſtificamur et ſaluamur;*“
additurque cauſa, quare particulae illae ex-
cluſiuae diligenter et ſedulo in hoc articulo
retinendae ſint, atque vrgendae.

Errorum confutatio.

QVem ad modum *pontificii* ſacrarum lit-
terarum doctrinae contrariam prorſus
iuſtificationis rationem, cauſamque confin-
xerunt formalem, ita etiam placita ſua ad ve-
ram, quam Scriptura tradit, fidei iuſtifican-
tis

tis indolem formamque euertendam compoſuerunt. Carbonariae fidei ſtabiliendae cauſa, notitiam ad fidem iuſtificantem pertinere, negant; hancque non tam notitiam, quam aſſenſum eſſe, BELLARMINVS, *de iuſtificatione lib. I, capite VII, p. 408, ſq.* ex locis quibusdam Scripturae, inepte adductis, probare inſtituit; tum vero in primis ex eo, quod myſteria fidei rationem ſuperent, fidem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri, idem ille concludit; quaſi vero notitia, quae ad fidem requiritur, ex rationis petenda ſit principiis, vel talis eſſe debeat, qua myſteriorum fidei naturam, cauſasque omnes ac proprietates cognitas, perſpectaſque habeamus. Aſſenſum non niſi generalem, quoad ea nimirum omnia, quae in Verbo Dei continentur, ſtatuunt, ſpecialem autem, ac praeſertim coniunctam cum eo fiduciam repudiant, acriterque impugnant. Huc ſpectat *Concilii Tridentini ſeſſ. VI canon XII*: „Si „quis dixerit, fidem iuſtificantem nihil aliud „eſſe, quam fiduciam diuinae miſericordiae, „peccata remittentis propter Chriſtum; vel „eam fiduciam ſolam eſſe, qua iuſtificamur, „anathema ſit.“ Contra fiduciam, quae anima, ſeu praecipua pars eſt fidei iuſtificantis, BELLARMINVS, *l. c. cap. VII, p. 407, ſq.* hac potiſſimum vtitur ratione, quia fiducia, ſecundum THOMAM, nihil aliud ſit, quam *ſpes roborata*, a fide adeo cum apoſtolo, *1 Cor. XIII*,

XIII, 13, diſtinguenda. At enimuero fiducia et ſpes nequaquam ſunt vnum idemque, ſed alia eſt fiducia fidei, alia ſpei, prout ab apoſtolo ipſo diſtinguuntur, *Hebr. VI, 11, et X, 22.* Illa bonum, vt praeſens, reſpicit et apprehendit; haec idem, vt futurum reſpicit, et expectat. Vid. *F. C. p. 126.* Ad caeteras, quibus BELLARMINVS, *l. c.* fidem iuſtificantem non eſſe fiduciam, nequicquam probat, rationes vberius reſpondet GERHARDVS, *l. c. § 75, ſqq.* breuiter et acute, more ſuo, SCHERZERVS, in *Anti Bellarmino, diſp. XVI, p. 727, ſq.*

Cum hoc, quem de fide iuſtificante Pontificii profitentur, errore alter eorum coniunctus eſt error, quo fidem ſolam iuſtificare, negant; ſiquidem Concilii Tridentini *ſeſſ. VI, canone IX*, anathema dicitur ei, qui dixerit: „ſola fide impium iuſtificari, ita vt „intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iuſti„ficationis gratiam cooperetur, et nulla ex „parte neceſſe eſſe, eum ſuae voluntatis „motu praeparari, atque diſponi.“ Pari modo, *canone XIV*, anathemate feriuntur, „ſola fide abſolutionem et iuſtificationem „perfici“ ſtatuentes. Fidem igitur cum a iuſtificatione, ob diſerta Scripturae dicta, pontificii excludere nequeant, illam quidem, quatenus ſcilicet aſſenſum generalem tantum per eam intelligunt, iuſtificare, aiunt, fidem vero, quae in aſſenſu ſpeciali, cum fiducia coniuncto, proprie conſiſtit, eamque

ſolam

ſolam, iuſtificare, totis viribus negant, et impugnant, noſque, affirmatiuam propugnantes, *fideſolarios* vocant; quem ad modum Ariani olim patres orthodoxos, eo quod τὸ ὁμοούσιον defenderent, *homouſianos* dixerunt. Cum ex apoſtolica fidei et operum in actu iuſtificationis oppoſitione neceſſario, vt ſupra oſtendimus, ſequatur, fidem ſolam ex parte noſtra iuſtificare, cum ea oppoſitorum ſit natura, vt, poſito vno, tollatur alterum, ac proinde, poſita iuſtificatione per fidem, negetur iuſtificatio per opera; eoque ipſo pontificiorum doctrina, fidem nimirum et opera ſimul iuſtificare, manifeſti erroris conuincatur, vt firmiſſimo huic argumento neruos incidant, alii legis caerimonialis opera, alii, quorum agmen ducit BELLARMINVS, *de iuſtific. lib. I, c. 19, p. 435, ſqq.* non, niſi ea opera, quae fidem praecedant, quaeque ſolis liberi arbitrii viribus fiant, fidei ab apoſtolo opponi, et a iuſtificatione excludi, dicunt. At enimuero apoſtolus non ſolum, locis ſupra citatis, ſimpliciter et abſolute omnia legis diuinae moralis opera, ſed etiam ſpeciatim renatorum opera ab actu iuſtificationis excludit, idque cum Patris credentium, Abrahami, *Rom IV, 2, 3,* tum ſui ipſius exemplo, *Gal. II, 16; Phil. III, 9,* declarat; vt alias plures; quibus per τὰ ἔργα νόμου non, quae dicis cauſa BELLARMINVS nominat, ſed quae nomen id vere tuentur, opera denotari, com-

monſtrant, euangelicamque de fide ſola iuſtificante doctrinam confirmant, taceam rationes. Primum et praecipuum, quo BELLARMINVS, *l. c cap 13, p 420, ſeqq.* non ſoli fidei attribuendam eſſe iuſtificationem, demonſtrare annititur, argumentum deſumtum eſt ex Concilii Tridentini placitis, de neceſſariis ad iuſtificationem conſequendam diſpoſitionibus. Harum nimirum ſeptem, *capite VI*, memorantur, ac *fidei*, quae, *capite VIII*, initium, fundamentum et radix omnis iuſtificationis dicitur, adduntur: *timor, ſpes, dilectio, poenitentia* ſeu dolor ac deteſtatio peccati, *propoſitum ac deſiderium ſacramenti percipiendi*, et *propoſitum nouae vitae.* Hinc fidem non ſolam iuſtificare, BELLARMINVS arguit, eo quod idem illud caeteris quoque modo dictis diſpoſitionibus, ſeu virtutibus, competat. Eſt vero id, quod de fide, per modum diſpoſitionis, cum aliis virtutibus iuſtificante, dicitur, prorſus ἀντίγραφον. Accedit, diſpoſitiones illas partim auxilio gratiae, partim liberi arbitrii viribus attribui, iiſdemque meritum de congruo, a patribus Tridentinis, et a BELLARMINO, *lib. I, c. 21, p. 440, ſq.* adiudicari. Id quidem facile largimur, praeparationes quaſdam in iuſtificandis requiri, non quidem ſpem, dilectionem, et caetera, quae fidei iuſtificantis ſunt effectus, hancque, ordine naturae ſequuntur, ſed peccatorum agnitionem,

nem, ſerium de illis dolorem, odium peccati, (conf. *F. C. p. 687, ſq.*) itemque fidem hiſtoricam: haec autem iuſtificare, vel eodem modo ad iuſtificationis actum concurrere, quo fides vera, quae in fiduciali meriti Chriſti apprehenſione conſiſtit, ad eum ſeſe habet, negamus, et pernegamus, ſiquidem hac ſola, excluſis iis omnibus, quae eam vel praecedunt, vel ſequuntur, hominem iuſtificari, Scriptura docet. Quae contra iuſtificationem per ſolam fidem BELLARMINVS porro affert argumenta, abſonis conſtant ratiocinationibus, falſiſue nituntur hypotheſibus. Vid. GERHARDVS, *l. c. § 175, ſqq.* et SCHERZERVS, *l. c. p. 742, ſqq.*

Specioſum autem illud, quod ex IACOBI *epiſtolae capite II*, euangelicae de fide iuſtificante doctrinae opponi ſolet, et quo non *Pontificii* ſolum dogma illud ſuum, fidem coniunctim cum operibus iuſtificare, connexamque cum illo aſſertionem, charitate ſcilicet formari fidem, ſed *Sociniani* etiam, et *Arminiani* conſimiles ſuos, quos, *praecedente theſi*, notauimus, de fidei iuſtificantis forma errores cum maxime probare, conantur, curatius paullo a nobis eſt expendendum. Etenim IACOBVS, dicto capite, *v. 17, et 20, fidem ſine operibus mortuam eſſe*, ait, idque eum in modum, *quo corpus ſine reſpiratione mortuum eſt, v. 26;* exemploque Abrahami, *v. 21-23*, docet, *fidem eius ex operibus perfectam*

fuiſſe

fuiſſe; indeque, *v. 24*, concludit, *ex operibus hominem iuſtificari, et non fide tantum.* Primo quidem aſpectu IACOBI haec pronuntiata PAVLI effatis contradicere, et aduerſariorum erroribus vtique patrocinari videntur. Quod ſi vero ad ſcopum illius reſpiciamus, et ad ſermonis ſeriem attendamus, omnis PAVLVM inter et IACOBVM ἐναντιολογία euaneſcit, et ab hoc erroneis ſuis doctrinis Pontificios pariter, atque Socinianos, et Arminianos nequicquam praeſidium petere, apparet. Enimuero IACOBO conſtitutum eſt, redarguere eos, qui fidem iactabant, ac de iuſtificatione ſua per illam gloriabantur, cum bonorum operum omnium eſſent expertes. Inanis igitur fidei iactantiae hos ipſos conuincit, eo quod fides, licet ſola iuſtificet, nequaquam tamen ſit ſolitaria, ſed bona opera neceſſario ex ſe progignat, ita vt ex operum abſentia, fidem, quam quis λέγει ἔχειν, *habere ſe, dicit, v. 14*, ſeu de ſe profitetur, veram viuamque fidem haud eſſe, certiſſime cognoſcatur. Atque hoc illud eſt, quod, ter repetita phraſi: ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι, *fidem ſine operibus mortuam eſſe*, id eſt vi ſua ἐνεργητικῇ deſtitui, nec veram adeo, ſed hypocriticam fidem eſſe, ſignificat, et ſimilitudine a corpore deſumta, quod χωρὶς πνεύματος, *ſine reſpiratione*, ſeu reſpirandi vi carens, mortuum eſt, illuſtrat. Hinc Abrahami exemplo confirmat, fidem, qua iuſtificamur,

ficamur, operibus, quae illam comitantur, eſſe demonſtrandam. Abrahamum enim, per fidem iuſtificatum, (*Gen. XV, 6; Rom. IV, 3.*) illuſtriſſimum fidei ſuae, acceptaeque per illam iuſtificationis documentum dediſſe, oſtendit, eam videlicet mandatis Dei obedientiam praeſtando, vt etiam filii ſui, Iſaaci, non recuſauerit ſacrificationem. *Gen. XXII, 12.* Ita nimirum accipienda ſunt verba, v. 21: Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν οὐκ ἐξ ἔργων ΕΔΙΚΑΙΩΘΗ, ἀνενέγκας Ἰσαὰκ κ. τ. λ. *Abraham, parens noſter, annon, Iſaacum filium ſuum ſacrificare cum vellet, ex operibus* IVSTVS AGNITVS, ſiue MANIFESTATVS EST? ſiquidem hunc verbi δικαιοῦσθαι ſignificatum, in ſacris litteris etiam alias obuium, e. c. *Matth. XII, 37; 1 Tim. III, 16, et caet.* loco huic competere patet, cum ex eo, quod iuſtificatio Abrahami per fidem iam praeceſſerat, tum ex verbis *comm. 18*, vbi apoſtolus ad eum, qui fidem iactat: δεῖξόν μοι, *oſtende mihi*, inquit, *fidem tuam ex operibus tuis, et ego* δείξω σοι *oſtendam tibi fidem meam ex operibus meis.* Hocque adeo ſenſu verbum δικαιοῦσθαι etiam accipiendum eſt de Rahab, *v. 25*; praeſertimque *v. 24*, vbi IACOBVS ex his exemplis infert: ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, *hominem ex operibus, et non ex fide ſolum, iuſtum agnoſci*, ſeu, *manifeſtari.* Quod, *v 22*, de fide Abrahami dicit, ὅτι συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, idem eſt, quod PAVLVS

Gal. V,6, ait: veram fidem eſſe δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, *per charitatem operari*. Ita vero etiam inſequentibus verbis: ὅτι ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίςις ἐτελειώθη, fidem illius ex operibus, non eſſentialiter et formaliter, ſed *declaratiue*, *perfectam* fuiſſe, docet; quem ad modum verbum τελειοῦσθαι hac notione etiam, *2 Cor. XII, 9*; *1 Ioh. IV, 17*, vſurpatur; ſicque *impletam fuiſſe*, addit, *Scripturam*, id eſt, ex commemorato Abrahami facto apparuiſſe, veriſſimum fuiſſe ipſius per fidem iuſtificationis, quod antea Scriptura perhibuerit, teſtimonium. Ita aptiſſime omnia cohaerent; ſicque ſatis intelligitur, IACOBVM non de iuſtificationis *actu*, ſed *ſtatu* loqui, idque docere, fidem iuſtificantem per bona opera neceſſario eſſe demonſtrandam, cum fides in iuſtificatis ſine operibus eſſe nequeat, horumque expertes falſo, fidem ſe habere, dicant. Eo etiam comparata eſt verborum IACOBI, cum PAVLI doctrina minime pugnantium, interpretatio in APOLOGIA CONF. AVG. *p. 107. ſqq.* et FORMVLA CONC. *p. 693.* Conf. IOH. HVLSEMANNVS, in *harmonia apoſtolica* PAVLI et IACOBI *de iuſtificatione*, et, qui praeter illum in iiſdem conciliandis operam poſuerunt, magnam partem laudati a I. C. WOLFIO, in *curis philolog. ad Iac. II, 14*.

Iamque hinc luculenter patet, IACOBVM nullo modo pontificiorum de fide vna cum operibus iuſtificante patrocinari errori, et

BEL-

BELLARMINVM, *de iuſtific. l. II, c. 4, p. 455*, pro tuenda informi illa vnius fidei in fidem *informem* et *formatam* per charitatem pontificia diſtinctione, inepte ad IACOBVM prouocare, qui fidem *viuam* et *mortuam* dicat; cum phraſi ea, qua fidem ſine operibus mortuam eſſe ait, iactatam ille fidem, quae, non inſequentibus operibus, re vera nulla eſt, deſignet; abſona autem illa aſſertio, fidem, cuius forma Chriſti fiducialis eſt apprehenſio, ab effectu ſuo, qui eſt charitas, formari, falſiſſime IACOBO imputetur. Eandem PAVLO iniuriam facit BELLARMINVS, vbi verba eius, *Gal. V, 6*, quibus πίστιν δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην dicit, ac fidei adeo, in iuſtificatis videlicet, ἐνέργειαν *operationem* per charitatem attribuit, ad fidei per charitatem formationem detorquet, et participium ἐνεργουμένη ſenſu paſſiuo ineptiſſime exponit. Vid. GERHARDVS, *l. c. § 124, p. 885*, et, qui ESTIVM eodem nomine notat, HENR. HOEPFNERVS, *de iuſtificatione, diſp. XII, p. 1105, ſqq.*

Quae contra Pontificios hactenus diximus, ad *Socinianos* quoque ſpectant, qui ad ſuum itidem errorem, praecedente theſi expoſitum, quo nimirum obedientiam ſub fide ſaluifica comprehendunt, verba IACOBI, *c. II, v. 22, et 26*, pertrahunt, et PAVLVM, iis in locis, vbi fidem operibus opponit, de operibus eiuſmodi loqui, fingunt, „quae

„omnem legis tranſgreſſionem ſimpliciter „excludant, etc. non de iis operibus, ſeu „obedientia, quam Deus requirat, et qua „contentus ſit, in iis, quos ex gratia ſua iu„ſtificet, et quibus fidem in iuſtitiam impu„tet.“ *Catech. Racou. cap. IX, ed. recogn. p. 155, et p. 156.* *Arminiani*, quemadmodum cum Socinianis imputationem iuſtitiae Chriſti in negotio iuſtificationis noſtrae negant, ita etiam in eo illis ſunt ἐμόψηφοι, quod fidei iuſtificanti opera, quae ab ipſa producantur, includant, ac per fidem, quae omnem obedientiam in N. T. praeſcriptam in ſe complectatur, hominem ſtatuant iuſtificari. Per opera, quae PAVLVS a iuſtificatione excludit, LIMBORCHIVS, qui, praeter caeteros, iſtam Remonſtrantium ſententiam propugnat, *theol. chriſt. lib. VI, c. 4, p. 705, ſq.* non omnia, ſed ſolummodo opera legis, ab apoſtolo nominari, et per haec aut opera legis caerimonialia deſignari, vel modum obediendi intelligendum eſſe, ait, qualis in lege exigebatur, id eſt, perfectam, nulloque peccato interruptam, obedientiam. His nimirum artibus opus habent, qui opera iuſtificationis inferunt actui, Sociniani et Arminiani pariter, atque Pontificii, vt clariſſima apoſtoli pronuntiata, ſine operibus, non niſi fide, eaque adeo ſola, hominem iuſtificari, eludant. Omnia certe, quo demum cunque nomine veniant, opera, a iuſtificatione PAVLVS excludit;

cludit; nec numero operum legis eximi poſſunt ea opera, quae fides producit, vtpote quae opera legis eſſe non deſinunt per id, quod per fidem efficiuntur. Vid. *Rom. XIII, 8, ſqq. Gal. V, 13, 14; Iac. II, 8.* Argumenta, quibus LIMBORCHIVS, fidem, totam eſſe fidei obedientiam, nec operibus, quae producit, ab apoſtolo opponi, ipſiſque adeo fidei operibus, hominem iuſtificari, probare contendit, ex illis itidem ſacrarum litterarum potiſſimum deſumta ſunt dictis, quae charitatem quidem a fide produci, et cum vera fide bona opera in iuſtificatis coniuncta eſſe, confirmant, minime omnium autem fidei, cum operibus coniunctae, iuſtificationis attribuunt actum.

THESIS IIII

Vere credentes in Chriſtum de iuſtificatione ſua nullam dubitandi habent cauſam, quin potius certi eſſe poſſunt, ac debent, propter meritum Chriſti, fide apprehenſum, remiſſa ipſis eſſe peccata, ſeque a Deo in gratia haberi.

Vid. *Apolog. Conf. Aug. p. 82, et 124; Form. Conc. p. 585, n. VI.*

Expoſitio, et confirmatio.

Subiectum, ſiue illi, qui iuſtificationis ſuae firmam certitudinem habere poſſunt, ſunt

vero credentes in Chriſtum, hoc eſt, qui, a peccatis ſuis per ſeriam poenitentiam ſeſe auertentes, praeuiaque adeo contritione, meritum Chriſti fiducialiter apprehendunt, et ſibi applicant, indeque, viribus a Spiritu ſancto acceptis, ſanctimoniam omni ſtudio ſectantur. Iuſtificationis igitur certitudo nequaquam competit iis, qui fidem quidem de ſe profitentur, ſeriam vero poenitentiam non agunt, et in impietate ſua perſiſtunt, quippe qui vera fide iuſtificante plane deſtituuntur. Nempe, vt FORMVLA CONCORDIAE, p. 688, praeclare docet: „vera et ſaluans fides in iis „non eſt, qui contritione carent, et propoſi„tum in peccatis pergendi et perſeuerandi „habent. Vera enim contritio praecedit, et „fides iuſtificans in iis eſt, qui vere, non „ficte, poenitentiam agunt. Et charitas fru„ctus eſt, qui veram fidem certiſſime et ne„ceſſario ſequitur. Qui enim non diligit, „de eo recte iudicari poteſt, quod non ſit „iuſtificatus, ſed quod adhuc in morte deti„neatur, aut rurſus iuſtitiam fidei amiſerit, „vt Iohannes teſtatur.“ Hinc per ſe patet, eorum, qui iuſtificationis ſuae certitudinem habere poſſunt, numero prorſus eximi omnes, quotquot falſam ſibi fidei perſuaſionem induerunt. Iam vero, ad eos quod attinet, qui vera in Chriſtum praediti ſunt fide, hi de iuſtificatione ſua et gratia Dei certi omnino eſſe poſſunt. Etenim iuſtifi-

catio-

cationis per fidem certitudo certiſſimis et indubitabilibus nititur promiſſionibus, effatisque diuinis, quibus credentibus in Chriſtum remiſſio peccatorum adiudicatur, *Ioh. III, 36; Act. X, 43; XIII, 38, ſq.* et caet. quae, fide iuſtificatos, per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, Deum ſibi pacatum, et per fidem ad gratiam, quam conſecuti ſunt, acceſſum habere, confirmant, *Rom. V, 1, 2; Eph. III, 12.* Quandoquidem igitur vniuerſales illae gratiae promiſſiones ad omnes pertinent, quotquot vere in Chriſtum credunt, horum quiuis certus eſſe poteſt, ſibi etiam ſpeciatim remiſſa eſſe peccata, et in gratia ſe eſſe apud Deum, idque certitudine indubitata, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ac, praeſentis ipſorum fidei reſpectu, abſoluta. Accedit, illos ipſos, qui iuſtificante praediti ſunt fide, eiuſque ex non fallacibus ſibi conſcii ſunt γνωρίσμασι, interno gaudere teſtimonio Spiritus ſancti, qui συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι αὐτῶν, *teſtatur vna cum ſpiritu eorum,* eſſe ipſos filios Dei. *Rom. VIII, 16.* Add. *2 Cor. I, 21, ſq. Eph. I, 13, ſq.*

Ἀντιθέσεως notatio.

Antitheſis eſt *pontificiorum*, quippe quorum falſis ex hypotheſibus, quibus fidem hiſtoricam pro fide iuſtificante venditant, et inhaerentem operum iuſtitiam formalem iuſtificationis conſtituunt cauſam, et iſte eo-

rum profluit error, quo, neminem, ſine ſpeciali Dei reuelatione, iuſtificationis ſuae certitudinem habere poſſe, ſtatuunt. Romanenſium huncce patres Tridentini, *ſeſſione VI, capite IX*, ſtabiliuerunt errorem. Magna quidem animorum contentione in concilio diſceptatum fuit de certitudine gratiae, pro qua nonnulli, in primis AMBROS. CATHARINVS, et ANT. MARINERIVS, de quo legi merentur, quae habet INN. GENTILLETVS, in *exam. Conc. Trid p. 51, ſq.* acriter pugnarunt, graues eam in rem proferendo rationes, et diſſentientium refellendo argumenta; quem ad modum pluribus refert PAVLVS SARPIVS, *hiſt. Conc. Trid. lib. II, ed. Lat. p. 214, ſqq. Gallicae* P. F. COVRAYERII, *§ 80. p. 366, ſqq.* Nec diſputationes illas tacet SF. PALLAVICINVS, *hiſt. Conc. Trid. l. VIII, c. 12, p 274, ſeqq* Praeualuit vero eorum ſententia, qui pro dubitatione contra certitudinem gratiae ſteterunt, et ad hanc compoſitum fuit concilii decretum, licet id ipſum fluctuantis animi ſigna haud obſcure prodat. Decretum hoc tueri, iuſtificationiſque certitudinem euertere, inani ſtudio anniſus eſt BELLARMINVS, *de iuſtific. libro III, p. 428, ſqq.* Vid. contra eum, praeter caeteros, H. HOEPFNERVS, *de iuſtific. p. 334, ſqq.*

INSTI-

INSTITVTIONVM
THEOLOGIAE
SYMBOLICAE
PARS ALTERA

[illegible]

[illegible]

[illegible]

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT IX

DE BONIS OPERIBVS

SECTIO I

HISTORICA

I

Doctrinam de iuſtificatione per fidem, in AVGVSTANA CONFESSIONE, iuſto ordine, ſequitur doctrina de bonis operibus, vtpote quae immediatus fidei iuſtificantis ſunt effectus. Conuenientiſſime adeo confeſſores noſtri, poſteaquam, *articulo IV, et V,* eccleſiarum euangelicarum de iuſtificatione per ſolam fidem, et de mediis, quibus fides, qua iuſtificamur, homini confertur, atque confirmatur, tradiderunt doctrinam, inſequente *articulo VI*, de bonis operibus, quae fides illa ex ſe progignit, eorundemque vera ratione, ac neceſſitate, exponunt. (*)

(*) Ad *articuli VI* titulum qui eſt: *de noua obedientia*, id etiam ſpectat, quod, praecedenti capite, de articuli V titulo monuimus. Rectius ſe ſe habet inſcriptio: *de bonis operibus*, qua is a MENZERO, CARPZOVIO, et aliis

aliis inſignitur. Deſumtus eſt ex ſexto articulorum XVII LVTHERI, qui Torgauienſes vocantur. Latinus textus cum Germanico exacte congruit. PHILIPPVS autem, in variata confeſſione, pro temeritate ſua, eundem prorſus immutauit, quin immo prolixam in eius locum ſubſtituit commentationem, in qua etiam, quae animaduerſionem merentur, occurrunt, notata a I. B. CARPZOVIO, in *iſag. p. 364*. Textus articuli huius authenticus ſanam de bonis operibus doctrinam exhibet, ac primo *cauſam* eorum *efficientem*, quae fides eſt iuſtificans, ſecundo *rationem formalem*, quae in conuenientia cum lege diuina conſiſtit, tertio *neceſſitatem* indicat, huiusque vera expoſita cauſa, falſam, quae eſt opinio meriti et iuſtificationis, adductis ex Scriptura ſacra, et AMBROSIO teſtimoniis, refellit. AMBROSIO teſtimonium, ex *commentario in I ad Corinthios epiſtolam*, qui ſub nomine eius extat, deprومtum, adſcribitur, ex communi nimirum ſententia, qua is tum temporis commentarii illius auctor habebatur. Perperam igitur confeſſores noſtri ab ariſtarchis admiſſi erroris inſimulantur, quod AMBROSIVM nominauerint, cum is commentariorum in epiſtolas PAVLI, qui nomen ipſius praeferunt, non verus ſit auctor. Nam ſi hoc vel maxime, ob rationes, a doctiſſimis quibuſdam viris allatas, concedatur, ſufficit, non ea aetate ſolum, qua ſcripta eſt confeſſio Auguſtana, doctores Pontificios non alium, quam AMBROSIVM, iſtorum commentariorum agnouiſſe auctorem, id quod vel ex ipſa articuli huius confutatione Pontificia patet, ſed etiam poſtea ſententiam eam apud illos valuiſſe; vt adeo confeſſores noſtri ex his commentariis petitum, idque cum perpetua AMBROSII doctrina concordans, teſtimonium, ſub huius nomine, κατ' ἄνθρωπον, iure optimo potuerint allegare. Eundem in modum allegationem hancce, contra BELLARMINVM, defendit CARPZOVIVS, in *iſag. p. 372, ſq.* Conf. IOH. HVLSEMANNVS, in *manuali A. C. diſp. V, qu. 4, p. 209, ſqq.* AVG. VARENIVS, in *exegeſi A. C. p. 445* WALLISERVS, in *vindic. libr. ſymbol. p. 80, ſq.* vt alios taceam complures.

In Pontificia Aug. Conf. confutatione, „id quidem ra„tum gratumque habetur, quod hoc in articulo confi„teamur, fidem debere parere bonos fructus; quod vero „in eodem articulo iuſtificatio ſoli fidei tribuatur, ex „diametro pugnare, dicitur, cum euangelica veritate, „opera non excludente.“ Hancque ſententiam ſuam pluribus inde probare conantur dictae confutationis auctores. Egregie autem id, quod in hoc pariter, atque praecedentibus articulis, pontificia improbat confutatio, in APOLOGIA, *c. II, et III,* defenditur, hominemque nullis operum meritis, ſed fide ſola iuſtificari, demonſtratur, ac vere euangelicae huic veritati oppoſiti aduerſariorum errores, quaſque pro illis tuendis afferunt, rationes ſolide refelluntur, dictumque Seruatoris noſtri, *Luc. XVII, 10,* quo, nullum prorſus opera noſtra meriti rationem habere, nec per illa adeo hominem iuſtificari, in *art. IV, A. C.* veriſſime probatur, a puerili eorundem obiectione, *p. 131, ſq.* vindicatur.

II.

Quae de bonis operibus in *articulo ſexto* breuiter ſummatimque dicta ſunt, in *articulo viceſimo* AVGVSTANAE CONFESSIONIS vberius explicantur, atque confirmantur. Euangelicae nimirum de fide pariter, atque bonis operibus doctrinae non tam repetitionem, quam dilucidam is ipſe continet explicationem, apologiae in modum compoſitam aduerſus calumnias criminationesque pontificiorum, qui doctrinam de iuſtificatione per ſolam fidem eo trahebant, ac ſi bonis operibus nullum euangelici ſtatuerent pretium; quin immo, bona opera ab ipſis prohiberi, dicebant. (*)

(*) Apo-

(*) Apologeticus vtique *viceſimus Auguſtanae Confeſſionis* eſt *articulus*. Is enim illius ſcopus in principio eius his indicatur verbis: „Falſo accuſantur noſtri, quod „bona opera prohibeant.“ Itaque articulum huncce per *ταυτολογίαν* in confeſſione repetitum fuiſſe, IOH. A DAVENTRIA perperam ait. Non iuuat, iniquiſſimas illas aduerſariorum referre calumnias, quibus euangelicos doctores, in primis b. LVTHERVM, vt infenſiſſimos bonorum operum traduxerunt hoſtes, ſanctimoniaeque proſcriptionis ream egerunt coeleſtem ab illis inſtauratam doctrinam. Repetierunt illas pontificii, poſt ipſam editam Confeſſionem Auguſtanam, licet ea diſertis verbis, firmiſque rationibus bonorum operum adſtruxerit neceſſitatem. In prooemio *articuli XX*, aduerſus accuſationem illam, quod euangelici bona opera prohibeant, ad ipſorum de officiis et operibus, in qualibet vocatione ex voluntate Dei praeſtandis, prouocatur ſcripta, contra ea pontificii notantur concionatores, qui de his parum olim docuerint, ſed puerilia tantum et non neceſſaria praeceperint opera. Additur, aduerſarios admonitos nunc moderatius ea praedicare, eoſdemque incipere mentionem facere fidei, ita vt fide et operibus coniunctim nos doceant iuſtificari. *Tolerabilior* haec priore cum eſſe dicitur doctrina, comparatione hac haudquaquam negatur, nouum huncce errorem, in ſe ſpectatum, aeque grauem, ac veterem illum, eſſe errorem, cum vterque ſanae de iuſtificatione per fidem doctrinae manifeſto aduerſentur. His praemiſſis, euangelicae de fide et bonis operibus doctrinae explicatio affertur. Et *primo* quidem, opera noſtra non poſſe reconciliare Deum, aut mereri gratiam et iuſtificationem, ſed hanc tantum fide nos conſequi, ex ſacris litteris oſtenditur; tum AVGVSTINI et AMBROSII conſenſu comprobatur; maxima denique, quam doctrina haec ad conſcientiarum tranquillitatem praeſtat, vtilitas declaratur. Ad teſtimonium AMBROSII quod attinet, ex libris *de vocatione gentium* prolatum, horum ille aeque, ac commentariorum in

epiſto-

epiſtolas PAVLI, eo tempore habitus eſt auctor, cuius etiam iidem in quibuſdam MSS praeferunt nomen. Poſtea vero opus hoc AMBROSIO abiudicari coepit, quod in eo de rebus agitur, quae poſt obitum illius acciderunt. Diſputatur autem inter viros doctos, num PROSPERO AQVITANO, an LEONI MAGNO, aliiue id ſit attribuendum, nec certo, quis auctor eius ſit, definiri poſſe, videtur. Videatur erudita *admonitio*, libris *de vocatione omnium gentium*, in editione *operum* S. PROSPERI AQVITANI *Pariſienſi*, *a. MDCCXI*, *p. 825*, *ſeqq.* praefixa. Quod Confeſſores noſtri, ex *vrobiec*, AMBROSIVM horum nominauerint auctorem, id vitio eis verti nequit, hucque pertinent, quae, ad *art. VI*, in ſimili cauſa pro illis diximus. BELLARMINO, qui in *iudicio de libro Concordiae*, *controuerſ. t. IV*, *p. 676*, libros PROSPERI de vocatione gentium PHILIPPVM imperite, ſcilicet, AMBROSIO tribuere, pronuntiat, opponimus PASCH. QVESNELLIVM, qui, *diſſ. II*, *in* LEONIS M. *Opera*, *t. II*, *p. 358*, *ſqq.* LEONI potius, quam PROSPERO libros illos aſſignandos eſſe, demonſtrat: quocum etiam modo laudatae *admonitionis* auctor fere conſentit. Iamque *ſecundo*, bona opera facere, neceſſe omnino eſſe, in articulo noſtro docetur, remotaque falſa neceſſitatis huius cauſa, quae eſt fiducia meriti, vera indicatur, quae eſt voluntas Dei; tum vero bona opera ex fide prouenire, nec ſine hac, et ſine Spiritu ſancto, qui per eam accipitur, illa effici poſſe, confirmatur.

Confutationis Pontificiae ſcriptores repetitam in hoc articulo euangelicam doctrinam, quod bona opera non mereantur remiſſionem peccatorum, denuo reiiciunt, et improbant, dictaque nonnulla Scripturae ſacrae afferunt, quibus, opera meritoria eſſe, confici putant. Addunt, „ſe hoc ipſo non aſpernari meritum Chriſti, ſed ſcire, „opera noſtra nihil eſſe, nullius meriti eſſe, niſi in vir„tute meriti paſſionis Chriſti.“ Hunc ſcilicet, notante, MENZERO, in *exeg. A. C. p. 645*, merito paſſionis dominicae affingunt vſum, vt per illud opera noſtra virtutem

meren-

merendi conſequantur; manifeſtum ita committentes cauſae finalis elenchum. Noſtram denique de bonis operibus ſententiam, etiam ante mille centum annos, tempore AVGVSTINI, damnatam et reprobatam fuiſſe, aiunt. Gratiam iſta euangelicae noſtrae, de remiſſione peccatorum, non propter opera noſtra, ſed fide, et gratis propter Chriſtum obtinenda, doctrinae improbatio querelam expreſſit PHILIPPO, in APOLOGIAE capite VIII, p. 220, ſeqq. quod doctrinam illam improbantes, non ſine blaſphemia, honorem Chriſti noſtris tribuant operibus. Abſone dicta Scripturae pro tuendo errore ſuo ab iiſdem adduci, noſtramque doctrinam AVGVSTINI tempore damnatam eſſe, falſiſſime affirmari, l. c. p. 2.. demonſtratur. Acerbiſſime in hunc ipſum articulum invehuntur, omnemque iram ſuam in LVTHERVM maxime, et PHILIPPVM euomunt ANDR. FABRICIVS, & caeteri, quorum is cenſuras et iudicia in *harmonia A. C.* exhibet, *p. 362, ſeqq.* BELLARMINVS in *iudicio de libro Concordiae*, *l. ſ. c.* tria eidem articulo impingit mendacia. Primum mendacium vocat, quod in eo dicatur: *falſo accuſari noſtros, quod bona opera prohibeant.* Belle, ſcilicet, veram hanc eſſe accuſationem, probat, dicta aliquot adducens LVTHERI, quibus ille fiduciam, quae in operum merito, ad gratiam Dei obtinendam collocatur, reiicit, improbatque. Addit: „Catholicos „non tam Lutheranos accuſare, quod prohibeant opera „bona, quam quod ea contemnant, et cum EVNOMIO, „antiquo haereſiarcha, immo etiam cum SIMONE Mago, „haereticorum omnium principe, non neceſſaria ad ſalu„tem eſſe, doceant.“ En iniquiſſimum pariter, atque contumelioſiſſimum ἔγκλημα. Lutherani bonorum operum ad ſalutem neceſſitatem negant, hoc eſt, bona opera, ſecundum Scripturam, non habent pro cauſa ſalutis, homini autem ſaluando prorſus neceſſaria eſſe, docent: ergo illa contemnunt, et eundem cum impiiſſimis haereticis, qui, vt IRENAEVS et AVGVSTINVS teſtantur, bona opera prorſus reiecerunt, profitentur errorem.

Falſum

Falſum igitur ſe ipſum BELLARMINVS praeſtat euangelicorum accuſatorem, mendacii vero etiam, hac accuſatione commiſſi, reum ſeſe facit, cum, *de iuſtific. lib. IV, c. 7, p. 528*, ait: „aduerſarii in eo conueniunt, vt opera „bona non ſint neceſſaria ad ſalutem, niſi neceſſitate „praeſentiae. Cuius propoſitionis hic ſenſus eſt, vt *bona* „*opera fieri debeant*: quoniam alioqui fides non eſſet „viva, nec vera, niſi fructus bonos faceret, etc.“ Alterum, cuius confeſſores noſtros in hoc articulo BELLARMINVS poſtulat, id ſcilicet eſt mendacium, quod dicant: *iubere* (catholicos doctores) *mereri remiſſionem peccatorum operibus*; illa nimirum ſi intelligant opera, quae ſolis naturae viribus fiant. Catholicos enim fateri, non his, ſed iis operibus, quae ex fide et gratia Dei proficiſcuntur, remiſſionem peccatorum, et quidem merito *de congruo*, homines mereri. Ad quam ſententiam firmandam multa inaniter affert. Noſtris vero confeſſoribus, ex falſo ſuppoſito, perperam mendacium affingit. Nullis enim prorſus, quae demum cunque illa ſint, operibus homines remiſſionem peccatorum mereri, contra pontificios euangelici docent. Illud denique BELLARMINVS pro mendacio habet, quod in prooemio articuli dicitur: *concionatores* (pontificios) *olim parum docuiſſe de operibus, quae Deo placent*, et rel. Nequicquam autem S. BERNARDVM, PETR. DAMIANVM, THOMAM AQVINATEM, et alios, qui de virtutibus et vitiis diſſeruerunt, producit, cum de recentioribus, iiſque in Germania maxime, concionatoribus Confeſſores loquantur. Aequiores hic ſeſe iudices praebuerunt Confutationis pontificiae auctores, vtpote qui eorum, quae in prooemio articuli XX dicta ſunt, veritatem in dubium haudquaquam vocarunt. Auctoris libri, qui inſcriptus eſt: *Auguſtana et Anti-Auguſtana Confeſſio*, criminationem, qua Formulam Concordiae in doctrina de bonis operibus defectionis ab hoc articulo incuſat, exploſit VAL. ALBERTI, in *refutatione dicti libri, P. II, c. 3, p. 269, ſeqq.*

Quod de Auguſtanae Confeſſionis textu Germanico et Latino aliquoties iam monuimus, eandem quidem in hoc pariter, atque illo doctrinam, non autem eodem vbique modo, et iiſdem proponi verbis, ac proinde vtrumque inter ſe conferendum eſſe, id ipſum ad hunc etiam cum maxime pertinet articulum. Cum in textu Latino, *p. 17*, ad AVGVSTINI prouocatur conſenſum, in Germanico illius *de ſpiritu et littera* liber allegatur; quam allegationem aduerſus iniquam G. ARNOLDI animaduerſionem egregie defendit A. I. de KRAKEVITZ, in diſſertatione, *qua extantiora dubia, Aug. Confeſſioni obiecta, excuſſit, p. 22, ſqq.* Diſcrepantiam, qua textus articuli huius Germanicus in nonnullis editionibus ab exemplo authentico, quod in libro Concordiae exhibetur, differt, expoſuit HENR. MVHLIVS, in *der ungeänderten, rechten, wahren Augſpurgiſchen Confeſſion*, quam Kilonii edidit, anno MDCCXXX, *p. 182, ſeqq.* In Latina Confeſſione variata, aliis plane verbis, orthodoxiae tamen non aduerſantibus, articulum hunc propoſuit PHIL. MELANCHTHON.

III

In ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *parte III, art. XIII, p. 336*, b. LVTHERVS, de bonorum operum, ex fide, qua iuſtificamur, et renouamur, profluentium iuſtitia exponit, et primo quidem bona opera ex fide promanare, ac fidem neceſſario ſequi, docet, ita vt, quemadmodum in fine addit, „vbi non „ſequuntur bona opera, ibi fides ſit falſa, et „non vera.“ Tum vero, bonorum operum, quae a iuſtificatis fiunt, iuſtitiam explicat, oſtenditque, id, quod in illis pollutum eſt, et imperfectum, propter Chriſtum pro pec-

cato et defectu non cenſeri, hoc eſt, imputari, credentemque adeo, cum, quoad perſonam, Deo placeat, hinc etiam, quoad opera ſua, iuſtum et ſanctum eſſe, et nominari, ex mera videlicet gratia et miſericordia, in merito Chriſti fundata. (*)

(*) Ανευθητον aliquod in hoc articulo occurrit. Nempe LVTHRRVS, ad ſuam de iuſtificatione prouocans doctrinam, "nos per fidem aliud nouum et mundum cor acquirere, et Deum, propter Chriſtum, mediatorem noſtrum, nos iuſtos et ſanctos reputare, ait. Et paullo „poſt, hanc, inquit, fidem, renouationem, et remiſſionem peccatorum ſequuntur bona opera." Nequaquam vero renouationem cum iuſtificatione LVTHERVS confundit, quin potius huius et illius diſtincte exprimit formam; vtramque autem coniungit, quia iuſtificatio et renouatio, licet in ſeſe diſtincta ſint, et iuſtificatio ordine naturae, prior ſit renouatione, tempore tamen ſimul ſunt, et ſtatim, ac homo iuſtificatur, etiam renouatur. Vid. CARPZOV. in *Iſag. p. 876.* Remiſſioni peccatorum cum renouatio praemittitur, in latiori renouationis terminus hic accipitur ſignificatu, quo totam hominis complectitur conuerſionem. Conf. C. SONNTAG. in *illice antiſymbolico et obice orthodoxo, p. 15, ſqq.* et A. M. VERPOORTEN, in *analectis ad libros ſymbol. c. V, p. 124,*

IIII

De bonorum operum neceſſitate agitatae inter theologos, Auguſtanae Confeſſioni addictos, controuerſiae *quarto* FORMVLAE CONCORDIAE *articulo* condendo dederunt cauſam. Duae nimirum diſputatae ſunt quaeſtiones; altera de eo, num dicendum

 ſit,

ſit, bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria; altera, an neceſſitatis iisdem conueniat praedicatum. Vtriusque controuerſiae deciſio in articulo dicto exhibetur. (*)

(*) Prima, quae in *Formulae Concordiae articulo IV, de bonis operibus*, expenditur, controuerſia ad illam ſpectat propoſitionem, quam theologi quidam vſurparunt, *bona opera ad ſalutem neceſſaria eſſe*, dicentes. Primus inter noſtrates propoſitione iſta, in ſcriptis publicis, hisque ipſis, ſuperſtite LVTHERO, editis, vſus eſt PHILIPPVS; nec tamen ei hanc ob rem mota eſt lis, quod de orthodoxa ipſius, quoad phraſin illam, ab ipſo vero deinde, in *reſp. ad articulos Bau. inquiſit. corp. doctr. p. 811*, repudiatam, ſententia nulla eſſet dubitatio. Poſtea vero, quam theologi electorales Saxonici in iudicio, quod de libro Auguſtano, *Interim* dicto, in conuentu Miſenae, anno MDXLIIX, habito, ſcripſerunt, eandem hanc adhibuerunt propoſitionem, quod in gratiam pontificiorum id feciſſe crederentur, a FLACIO aliisque acriter ea impugnari coepit. Hinc patrocinium illius ſuſcepit D. GEORGIVS MAIOR, celebris theologus Vitembergenſis, a quo adeo controuerſia, diu multumque de re inde agitata, *Maioriſticae* retulit nomen. Hiſtoriam eius ſummatim deſcripſimus in *prolegomenis, ſect. VII, § V, p. 87, ſq.* Vberius eam enarrauit I. G. WALCHIVS in *der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangeliſchen Kirche, part. IV, cap. II, § XXXII, ſqq.* In colloquio Altenburgenſi, anno MDLXVIII, inter theologos Saxonicos Electorales et Ducales habito, praecipua quoque de bonorum operum ad ſalutem neceſſitate fuit diſputatio; et Ducales quidem propoſitionem, qua bona opera neceſſaria eſſe dicuntur ad ſalutem, compluribus impugnarunt rationibus, Electorales autem eandem defendere, inſtituerunt, id potiſſimum agentes, ut, ſano et Scripturae Sacrae congruo ſenſu, in iudicio de libro Augusta-

guſta-

guſtano adhibitam eam fuiſſe, demonſtrarent. Is, qui primus cum MAIORE de illa ipſa concertauit, NICOLAVS videlicet AMSDORFIVS, feruenter more ſuo diſputans, eo prolapſus eſt, vt, *bona opera ad ſalutem noxia et perniciosa eſſe*, affirmaret, hancque, formae ſanorum verborum contrariam, offenſioniſque plenam propoſitionem, etiamſi orthodoxum eidem affingeret ſenſum, et de fiducia bonorum operum intelligi eam vellet, ſingulari etiam, anno MDLIX euulgato, propugnaret ſcripto.

Altera, cuius deciſio in articulo IV Formulae Concordiae exhibetur, controuerſia theologis orthodoxis cum *antinomis* intercesſit de quaeſtione: *an bona opera ſint neceſſaria*? Et initio quidem de eo diſputatum fuit, an bona opera dicenda ſint neceſſaria; id quod antinomi negarunt, bona opera non neceſſaria, ſed libera et ſpontanea eſſe, dicentes, propterea quod non a neceſſitate quadam et coactione, ſed a ſpontaneo ſpiritu producantur. Controuerſia igitur primum fuit de aequiuocis vocabulis: *neceſſarium* et *liberum*; horumque illud de bonis operibus vſurpandum eſſe, antinomi negarunt, orthodoxi affirmarunt. Poſtea vero non de verbis amplius, ſed de re ipſa diſceptatum eſt; antinomis acriter pugnantibus, regenitos liberos eſſe ab obedientia, legi diuinae praeſtanda. Vid. *F.C. p.588, et p.699.*

Vtriuſque controuerſiae enarrato ſtatu, in *epit. Form. Conc. art. IV*, ſincera eccleſiae de bonorum operum neceſſitate decem aſſertionibus proponitur doctrina, indeque aduerſantes ei reiiciuntur errores. In *ſolida declaratione*, eae primum memorantur, partimque explicantur de bonis operibus propoſitiones, de quibus nulla inter noſtrates fuit controuerſia; poſtea de iis, quae in controuerſiam venerunt, orthodoxa proponitur ſententia, et, quod ad alteram de neceſſitate aut libertate bonorum operum attinet quaeſtionem, propoſitiones has: *bona opera neceſſaria eſſe*, et *neceſſe eſſe, bene agere*, veriſſimas eſſe, docetur, cum per vocabulum neceſſitatis, ordinis,

mandati, et voluntatis Chriſti neceſſitas, non autem coactionis neceſſitas intelligatur. Hinc neceſſitatem illam, et libertatem, qua bona opera libero et ſpontaneo ſpiritu a renatis facienda ſunt, inter ſe non repugnare, oſtenditur, ſimulque libertatis ſpiritus, qua regeniti gaudent, ratio explicatur. Quoad alteram controuerſiam, firmis argumentis demonſtratur, propoſitiones illas: *bona opera fidelibus neceſſaria eſſe ad ſalutem; impoſſibile eſſe, ſine bonis operibus ſaluari*, in eccleſiis noſtris non eſſe ferendas. Cumque de eo etiam diſputatum ſit, an *bona opera ad fidem et ſalutem conſeruandam neceſſaria ſint*; qua ratione iuſtitia et ſalus in nobis conſeruentur, ne rurſus amittantur, declaratur, et primo quidem falſa et Epicurea opinio, quod fides et accepta iuſtitia atque ſalus nullis amitti poſſint peccatis, redarguitur, tum vero, fidem et ſalutem non per opera, ſed tantum per Spiritum Dei, et fidem in nobis conſeruari, affirmatur. Tandem et illa expenditur propoſitio: *bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa*; eamque, ita nude vſurpatam, falſam et offendiculi plenam, diſciplinaeque chriſtianae damnoſam, ac propter ea prorſus reiiciendam eſſe, pronuntiatur.

SECTIO II

THETICO ELENCTICA

THESIS I

Bona opera, vere talia, ſunt actiones hominis regeniti et iuſtificati, quae cum lege diuina, vt adaequata bonorum ope-

operum norma, conueniunt, et ex vera in Chriſtum fide proficiſcuntur.

Vid. *Aug. Conf. VI, p. 11; XX, p. 16, 18; V de abuſ. p. 29; Apol. p. 198; Art. Smalc. p. 336; Form. Conc. IV, p. 700, et ſq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Bonorum operum, quae συνωνύμως *virtutes*, in actu videlicet poſitae, itemque *officia* appellantur, eorundemque, cum *ſubiecti*, tum *formae* ratione, vere talium, theſis haec exhibet deſcriptionem. *Actiones* cum dicuntur, latius accepto hoc nomine, quae agendo, omittendoue fiunt, nec externae tantum, ſed internae etiam actiones, omneſque adeo animi motus, cogitationes, dicta et facta deſignantur. *Subiectum*, cui veri nominis bona opera attribuuntur, homo eſt regenitus, et iuſtificatus, ac proinde vera praeditus fide, viribuſque ſpiritualibus inſtructus. Etenim, cum bona opera, quae Deo placent, ea tantum ſint, quae ex fide in Chriſtum proueniunt, *Hebr. XI, 6; Rom. XIV, 23;* quaeque viribus gratiae, quas Spiritus ſanctus largitur, perficiuntur; vnde etiam *fructus Spiritus* vocantur, *Gal. V, 22;* conf. *Rom. VIII, 14;* conſequitur, non, niſi ab eo, qui veram fidem habet, et in quo Chriſtus per fidem cum Spiritu ſuo habitat, vere bona opera peragi

poſſe. Iam quod ad bonorum operum *abſolute ſpectatam* attinet *formam*, in congruentia et conformitate cum lege diuina ea conſiſtit, ſiquidem ea demum vere bona ſunt opera, quae, vt in *Aug. Conf. art. VI*, et *Form. Conc. art. IIII, p. 700*, dicitur, Deus ipſe in verbo ſuo praeſcripſit, atque praecepit, quaeque adeo ad illius praeſcriptum vel aguntur, vel omittuntur. Legis autem diuinae, quacum bona opera conuenire debent, nomine intelligitur lex moralis, cuius epitome eſt decalogus. *Matth. XXII, 37, ſqq.* Quicquid igitur in hac lege, vel generaliter vel ſpecialiter, vel immediate vel mediate, vel directe vel indirecte, praecipitur, id bonorum operum praeſtat normam. Haecque adeo illa eſt regula, ad quam totius vitae noſtrae componenda eſt ratio, vt σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς, *ſobrie, et iuſte, et pie viuamus*, hoc eſt, officia, quae Deo, et proximo, et nobiſmet ipſis debemus, quo par eſt, exequamur modo. *Tit. II, 12.* In hac cum lege diuina conformitate bonorum operum conſiſtere formam, ex definitione peccati, *1 Ioh. III, 4*, luculenter patet. Quemadmodum enim peccatum eſt ἀνομία, *aberratio a lege*, ita, vi oppoſiti, bonum opus eſt ἐννομία, *conformitas cum lege.* Comprobatur id ipſum iis Scripturae ſacrae dictis, quibus actiones noſtras ad legem diuinam, vt adaequatam bonorum operum normam, conformare

iube-

iubemur. *Deut. IV, 2; XII, 32; Mich. VI, 8, et caet.* Ad *relate* autem *ſpectatam* bonorum operum quod attinet *formam*, vt Deo accepta illa ſint, vera efficitur fide. Quandoquidem enim nec renati, quique a Spiritu ſancto aguntur, ob inhaerentem ipſis, et in hac vita non penitus eradicandam concupiſcentiam prauam, ſecundum rigorem legalem, perfecte bona, ſeu quae nullo prorſus defectu laborent, opera edere poſſunt; vt regenitorum bona opera, etiamſi imperfecta ſint, Deo placeant, cauſa eſt fides, ex qua illa proficiſcuntur. Ea nimirum fidei, quae meritum Chriſti ſibi appropriat, eſt efficacia, vt, cum credentis perſona Deo grata ſit et accepta, tum opera quoque eius ipſi placeant, et, quod in illis pollutum eſt, et imperfectum, propter meritum Chriſti, pro peccato et defectu non cenſeatur. Vid. *Art. Smalc. P. III, a. XIII, p. 336,* et *Form. Conc. art IV, p. 700.*

Errorum confutatio.

Inter errores, qui expoſitae in hac theſi verbi diuini de vere bonorum operum ratione doctrinae aduerſantur, primus eſt, quo, *Pelagianorum* veſtigiis inſiſtentes, *Sociniani* et *Arminiani*, itemque *Pontificii*, ex decreto *Concilii Tridentini, ſeſſ. VI, can. 7,* liberi arbitrii viribus, bona opera fieri poſſe, ſtatuunt, indeque irregenitis etiam vere bona attribuunt opera. Contra ea, in *Aug. Conf.*

art. XVIII, p. 14, ſq. et *Apolog. p. 218*, oſtenditur, quod, licet in hominis naturalis viribus poſitum ſit, aliquo modo efficere iuſtitiam ciuilem, tamen iuſtitiam ſpiritualem, ſeu iuſtitiam operum, quae Deo placent, homo ψυχικὸς nequaquam efficere poſſit. Nempe ad vere bonum opus neceſſario requiritur, vt ex fide, qua ſoli regeniti iuſtificatique gaudent, proficiſcatur; ſiquidem apoſtolus, *Hebr. XI, 6*, diſerte teſtatur: *abſque fide impoſſibile eſſe, placere Deo.* Quam in ſententiam etiam in *Apologia Conf. p. 66, 179, 281*, et in *Formula Conc. p. 700*, dictum, *Rom. XIV, 23: quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt*, affertur. Eſt vero in quaeſtione, num πίςις in hoc dicto de fide iuſtificante, an de firma animi perſuaſione, certaue, omniſque dubitationis experte conſcientia, ſit accipienda. De conſcientiae fide ab illis, qui infidelibus bona opera adiudicant, dictum hoc exponi, mirum non eſt. Sed et expoſitioni huic ſcopus apoſtoli pariter, atque συνάφεια textus fauere videntur. Attamen fidem iuſtificantem in generali hoc apoſtoli pronuntiato per πίςιν intelligendam eſſe, non AVGVSTINVS ſolum, PROSPER, aliique veteres eccleſiae doctores, ſed etiam noſtratium theologorum complures cenſent, idoneiſque rationibus, praeter caeteros, IAC. WELLERVS, in *commentario in ep. ad Rom. p. 720*; IOH. HVLSEMANNVS, in *vindiciis S. S, art. XXV, p. 88*,

et A. CALOVIVS, in *Bibliis illuſtr. ad h l.* probant. Itaque apte omnino in *Apologia* et *Formula Conc.* hoc adducitur dictum, et, ſi vel maxime indirecte tantum ad fidem iuſtificantem id ipſum ſpectaret, allegatio tamen eius errati inſimulari nequit. Nequicquam BELLARMINVS, *de gratia et L. A. lib. V, c. 9, p. 337,* Sociniani item, et Arminiani, ab infidelibus etiam vere bona opera fieri poſſe, iis ſacrarum litterarum dictis probare conantur, quae de operibus non ſpiritualiter, ſed ciuiliter bonis, non de infidelium, quos ipſi fingunt, ſed fidelium operibus loquuntur. Quin etiam, non cauſae efficientis, finiſque tantum, ſed ipſius etiam formae ratione, vel illae, quae cum maxime celebrantur, paganorum quorundam virtutes, ſplendida potius peccata, quam vere bona opera dici merentur, ob ingens illud, quod inter qualemcunque operis, quoad actum externum, cum lege conuenientiam, et operis, quoad omnia requiſita, bonitatem intercedit, diſcrimen.

Iamque porro theſis noſtra, quatenus legem adaequatam bonorum operum dicit normam, oppoſitos ſibi habet errores. Nempe verbo legis iidem, quos modo nominauimus, aduerſarii verbum euangelii addunt, legeſque proprie dictas, quas Chriſtus tulerit, in euangelio, εἰδικῶς et ſtricte dicto, contineri, docent. Perperam autem euangelium operum doctrinam, agendorumque conſtitui

tui normam, ſequenti *de lege et euangelio* capite demonſtrabimus; quo ipſo etiam *antinomorum* diſcutiemus errores. Sed et traditiones ſuas *pontificii* bonorum operum, cultuſque ſpeciatim diuini, faciunt normam, et conſtitutionibus iſtis humanis parem cum mandatis Dei tribuunt auctoritatem. Eo ipſo nomine Concilium Tridentinum, *ſeſſ. VI, cap. X*, et *can. XX*, mandata Dei et eccleſiae coniungit mandata, et ad horum aeque, ac illorum obſeruantiam hominem iuſtificatum teneri, edicit. Quam grauis is ſit error, cum ex ſupra allatis S. S. dictis, quae cultus Dei eam, quam ipſe praeſcripſit, normam vnicam eſſe docent, tum ex clariſſimo illo intelligitur effato, quo, mandatis hominum, fruſtra Deum coli, affirmatur, *Ieſa. XXIX. 13; Matth. XV, 9.* Quandoquidem autem pontificiorum de traditionibus ſuis ritualibus doctrina compluribus falſitatibus laborat, quam reiectanea illa ſit, *capite XV*, ex inſtituto oſtendemus.

THESIS II

Bona opera neceſſaria ſunt homini ſaluando, neceſſitate mandati diuini, noſtri debiti, ordiniſque et conſequentiae ad iuſtificationem et fidem; haudquaquam autem neceſſaria ſunt, neceſſitate

meriti

meriti, vel medii, vlliuſue cauſae ad iuſtificationem, et ad ſalutem aeternam,

Vid. *Aug. Confeſſ. art. VI et XX; Apolog. c. II, p. 64. 95; III, p. 133; Art. Smalc. P. III, a. XIII, p. 336; Form. Conc. a. III, epit. p. 589, ſq. declar. p. 702, ſqq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Bonorum operum neceſſitas in libris noſtris ſymbolicis omni affirmatur modo; vt adeo iniuriam manifeſtam nobis faciant pontificii, qui, nos eam negare, immo etiam bona opera prohibere, aiunt. Calumniam iſtam ipſi confeſſores noſtri ex inſtituto, in *A. C. articulo XX*, repulerunt; nec adeo opus eſt, vt poſt ea, quae ad articulum huncce ſupra diximus, pluribus eandem hic conuellamus. Neceſſaria autem cum dicimus bona opera, *neceſſarium* vocamus id, quod ἀδιαφόρῳ et arbitrario opponitur, neque coactionis intelligimus neceſſitatem; cum bona opera non coacta, ſed ſpontanea eſſe debeant, ac voluntaria, *Pſ. CX, 3*; *2 Cor. IX, 7*. Videatur *Formula Concordiae* in ſupra enarrato *articulo IV, epit. p. 589, ſq. declar. p. 703, ſ.* vbi neceſſitatis vocabulum, de bonis operibus vſurpatum, ab ἀμφιβολίᾳ, qua antinomi abuſi ſunt, liberatur. Iam vero neceſſitatis bonorum operum, cum verae in theſi noſtra indicantur cauſae, tum falſae remouentur.

Verae

Verae nimirum cauſſae, quare neceſſaria ſunt bona opera, prout in *Apol. p. 95*, et *F. C. p. 707*, iunctim referuntur, ſunt: 1) mandatum Dei, 2) noſtrum debitum, 3) fidei, qua iuſtificamur, conſequentia. Itaque bona opera facere oportet, *propter voluntatem Dei. A. C. a. VI, et XX, p. 18.* Haec enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra, *1 Theſſ. IV, 3; Rom. XII, 2;* plenaque eſt Scriptura ſacra mandatorum diuinorum, quibus bona opera praecipiuntur. Accedit debitum noſtrum, quo, cum creationis iure, tum redemtionis et regenerationis beneficio, ad ea facienda ſumus obſtricti. Vid. *Deut. XXXII, 6; Mal. I, 6; 1 Cor. VI, 20; Eph. II, 10; Tit. II, 14; 1 Pet. II, 24, et caet.* Sed et cum maxime neceſſaria ſunt bona opera, neceſſitate *conſequentiae fidei.* Ea enim vera, qua iuſtificamur, eſt fides, quam bona opera, vt effectus cauſam ſuam, ſequuntur; „fideſque et bona opera in iuſti„ficatis inſeparabiliter ſunt connexa, et im„poſſibile eſt, bona opera a fide vera ſepa„rare, ita vt de eo, qui in ſtudio B. O. non „ambulat, recte iudicari poſſit, quod non ſit „iuſtificatus, aut rurſus iuſtitiam fidei ami„ſerit." Verba haec ſunt *Formulae Concordiae, p. 692, 701, 688.* Conf. *Art. Smalc. P. III, art. 3, p. 336.* Atque id ipſum, bona opera videlicet veram fidem neceſſario ſequi, nec veram, ſed falſam eſſe fidem, quam illa non ſequuntur, confirmant dicta: *Gal. V, 6; Iac. II, 17;*

quo-

quorum veram ſententiam, *cap. praec. th. III*, declarauimus. Hucque adeo etiam pertinet neceſſitas, quae dicitur, *hypotheſeos*, qua renatos et iuſtificatos bona opera ſectari oportet, ſiquidem per mala opera, ſeu peccata proaeretica, excutitur Spiritus S., et ſaluifica amittitur fides. *1 Tim. I, 19.* Hactenus expoſitae bonorum operum neceſſitati a PHILIPPO adiungitur eorundem cum praeſtantia, quam LVTHERVS, in *comment. in ep. ad Gal. c. III*, confirmat, vbi, „extra cauſam iuſtifi„cationis, bona opera nunquam ſatis magni„fice commendari poſſe,“ ſcribit; tum vtilitas, quoad huius et futurae vitae praemia, bonis operibus ex gratioſo Dei promiſſo reddenda.

Hae igitur vnice verae ſunt neceſſitatis bonorum operum cauſae. Nequaquam vero iisdem competit medii, meritiue, vel ad iuſtificationem, vel ad ſalutem aeternam conſequendam, neceſſitas: *Non ad iuſtificationem*, quia Scriptura ſacra 1) a iuſtificationis actu ſimpliciter remouet, et excludit opera, *Rom. III, 20, 28; IV, 6; Gal. II, 6:* 2) iuſtificationem noſtram gratuitam dicit, *Rom. III, 24*, eoque, ſine operibus nos iuſtificari, docet, cum gratis iuſtificari, et propter opera iuſtificari, ſibi mutuo opponantur, *Rom. IV, 4, 5; XI, 6; Tit. III, 5.* Add. quae de iuſtificatione per ſolam fidem, *praeced. capite* dicta ſunt. *Non ad ſalutem* aeternam promerendam

dam, impetrandamque, neceſſaria eſſe bona opera, probatur, 1) ex gratuita, nulloque operum intuitu ad vitam aeternam facta electione, *Eph I, 4. ſqq. 2 Tim. I, 9*; 2) ex gratuita iuſtificatione; ſaluationis enim et iuſtificationis eaedem ſunt cauſae, nec alio ſaluamur modo, quam quo iuſtificamur; vid. *Form. Conc. p. 694, ſq.* 3) ex dictis Scripturae, quae, ſalutem aeternam conſequendi non aliud ex parte noſtra medium eſſe, docent, quam fidem; *Marc. XVI, 16; Ioh. III, 15, 16; XX, 31; Act. XVI, 31; Rom. I, 17,* et caet. 4) ex vitae aeternae appellationibus, quibus χάρισμα τοῦ Θεοῦ, *donum Dei, quod ex gratia datur, Rom. VI, 23,* et κληρονομία, *haereditas, Eph I, 14, 18; Hebr. IX, 15,* vocatur: 5) ex eo, quod bona opera, reſpectu vitae aeternae, nullam meriti, proprie dicti, rationem habent; vt alia plura taceamus argumenta. Sed nec ad conſeruandam ſalutem neceſſaria ſunt bona opera. Salutis enim conſeruatio non noſtris operibus, ſed virtuti Dei et fidei debetur. *1 Petr. I, 5, 9.* Vid. *Form. Conc. p. 707.*

Errorum confutatio.

Falſas, quas in theſi notamus, bonorum operum, ad iuſtificationem videlicet et ad ſalutem aeternam conſequendam, promerendamque, neceſſitatis cauſas, pro veris maxime habent *pontificii*, et bona opera cum iuſtificationem, tum vitam aeternam mereri

ſtatu-

ſtatuunt, vtrumque errorem acriter propugnantes. De altero, qui ad articulum de iuſtificatione ſpectat, non eſt, cur pluribus hic agamus, poſteaquam, praecedenti capite, *th. III*, hominem ſine operibus, ſola fide, iuſtificari, demonſtrauimus, coeleſtique huic veritati oppoſitam pontificiorum pariter, atque Socinianorum et Arminianorum confutauimus doctrinam. Itaque alter iam a nobis refellendus eſt error, quo pontificii, bona iuſtificatorum opera vitam aeternam mereri, docent. Proponitur is ipſe, *Concilii Trid. ſeſſ. VI, capite XVI*; et, *canone 32*, his ſtabilitur verbis: „Si quis dixerit, hominis iuſtificati „bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint „etiam bona *ipſius iuſtificati merita*, aut „ipſum iuſtificatum bonis operibus, quae ab „eo per Dei gratiam, et I. C. meritum fiunt, „*non vere mereri* augmentum gratiae, *vitam* „*aeternam*, et *ipſius vitae aeternae conſecutio-* „*nem*, atque etiam gloriae augmentum, ana„thema ſit.“ Patres Tridentini, vt ſpecioſum reddant, quod bonis operibus iuſtificatorum tribuunt, meritum, in hoc decreto, bona illa opera per Dei gratiam et meritum Chriſti fieri, addunt, quaſi vero vires ſpirituales, quibus in regeneratione et renouatione ad illa facienda homo donatur, meritoria ea faciant vitae aeternae, cum hanc non operum meritis, ſed ex gratia Dei, per fidem in Chriſtum, conſequamur. Ex ſingulari, ſcilicet,

 mode-

modeſtia, quae vero doctoribus pontificiis haud probatur, iidem, dicto capite, vitam aeternam inter meritum Chriſti et noſtrorum operum merita partiuntur; id quod aeque abſonum eſt. Vid. CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid P. I, loc. 10, p. 262, ſeqq.* Veteratoriam ipſorum calliditatem, qua, certaminum ſcholaſticorum de ratione et modo meriti conſcii, litem illam non definiuerint, notat I. H. HEIDEGGERVS, in *tumulo Trid. Conc. t. I, p. 516.* „Communem autem BEL„LARMINVS, *de iuſtific. lib. V, c. 1, p. 556*, „catholicorum (Romanenſium videlicet,) „omnium ſententiam eſſe, ait: opera bona „iuſtorum *vere* ac *proprie* eſſe *merita*, et me„rita non cuiuſcunque praemii, ſed ipſius vi„tae aeternae. Idem, *cap. 16, et 17, p. 577. ſeqq.* „hanc propugnat ſententiam:" opera iuſtorum, ex charitate facta, meritoria eſſe vitae aeternae *ex condigno*, non ſolum ratione pacti, ſed etiam ratione operis. Quaeſtio igitur eſt: an bona opera iuſtificatorum vitam aeternam mereantur, voce meriti, ſtricte et proprie accepta; non, an illa ipſa meritoria ſint aliorum praemiorum corporalium et ſpiritualium, voce meriti, late et improprie ſumta; quem ad modum verbo *mereri* veteres ſcriptores Latini *conſequendi* vtuntur ſignificatu, eoque a Patribus, et in *Apologia, p. 96 et 117*, de bonis fidelium operibus id vſurpatur, vt nimirum nihil aliud notet, quam

quam gratuitam, vi promiſſionis diuinae, *accipere* remunerationem. Etenim pontificii, docente BELLARMINO, bona opera vere ac proprie meritoria eſſe, et vitam aeternam mereri, ſtatuunt, merito de condigno, ita, vt Deus, vi iuſtitiae, bene operantibus eam dare, teneatur.

Videamus iam, quaenam illa ſint argumenta, quibus BELLARMINVS, *de iuſtific. lib. V, c. 3, p. 552, ſqq.* aduerſantem iſtam diuinis litteris doctrinam ex his ipſis probare, conatur. Poſtquam enim, *praeced. cap. 2,* nomen meriti de bonis operibus recte vſurpari, ex locis quibuſdam, ineptiſſime adductis, nempe *Eccleſiaſtici*, adeoque libri apocryphi, *cap. XVI, 14*, vbi Latinus interpres vocem *meriti*, quae in textu Graeco non habetur, inſeruit, et *Hebr. XIII, 16*, vbi Vulgatus verbum εὐαρεστεῖται, *delectatur*, vitioſiſſime reddidit: *promeretur*; aliiſque locis, vbi meritum aequipollentibus vocibus deſignari ipſi videtur, oſtendere inſtituit: *capite 3*, ſeptem profert argumenta, ad probandum, opera iuſtorum meritoria eſſe vitae aeternae. *Primum* ab iis ducit locis, vbi vita aeterna nominatur merces, *Matth. V, 12; XX, 8.* Ex eo ſcilicet, quod vita aeterna dicitur merces, bona opera, quibus illa redditur, ſine dubitatione meritoria eſſe, infert. Sed conſequentia iſta apoſtolica refellitur diſtinctione inter μισθὸν κατὰ χάριν, et μισθὸν κατὰ τὸ ὀφείλημα, *Rom*

IV, 4, inter *mercedem gratiae, et debiti.* Priore vtique ſenſu, vita aeterna dicitur merces, quippe quae eſt *χάρισμα, gratiae donum, quo donamur, per Chriſtum* IESVM, *Dominum noſtrum, Rom. VI, 23.* In parabola illa de operariis in vinea, *Matth. XX, 8,* per denarium mercedis loco datum, vitam aeternam ſignificari, gratis dicitur. Hanc vero in ſententiam locum illum adducens, ſuo BELLARMINVS ſe iugulat gladio, ſiquidem eo, quod nouiſſimi eandem cum illis, qui per totum diem laborauerant, acceperunt mercedem, meritum conuellitur de condigno. *Alterum* argumentum ab iis ducit locis, in quibus praemium coeleſte hominibus dari dicitur, ſecundum menſuram, et proportionem operum, et laboris: *Pſ LXII, 13; Matth. XVI, 27,* et caet. Falſo autem, quae in his locis occurrit, phraſis: *κατὰ τὰ ἔργα, ſecundum opera*, ita explicatur, ac ſi bona opera proportionis, dignitatis, meritiue rationem habeant ad vitam aeternam. Nec enim *διὰ τὰ ἔργα*, propter opera, vel ſecundum operum dignitatem, meritumque, ſed *ſecundum opera*, quatenus ea certiſſima fidei, incredulitatiſue ſigna ſunt atque documenta, *Deum vnicuique redditurum eſſe*, Scriptura dicit. Eadem valet reſponſio ad *tertium* argumentum, ex *Matth. XXV, 34, ſqq.* deſumtum; ſiquidem, hoc dicto, bona opera non, vt BELLARMINVS vult, meritoria vitae aeternae conſtituuntur cauſa,

ſed vt verae fidei indicia, teſtimonia et fructus adducuntur; eſtque adeo particula γὰρ ratiocinatiua, non cauſalis. Quin potius, illo ipſo dicto, bonis operibus meriti ratio quoad vitam aeternam abiudicatur, eo quod hanc κληρονομῆσαι, *haereditate accipere* debent electi. *Quartum* argumentum ex illis petit teſtimoniis, quae praemium bonis operibus ex iuſtitia reddi, affirmant, *1 Theſſ. I, 4, ſqq. 2 Tim. IV, 8; Hebr. VI, 10*, et caet. Sed a iuſtitia Dei, conſtantiaque in ſeruandis promiſſionibus, ad iuſtitiam operum, horumque meritum, N. V. C. *Quintum* ſumit ex dictis, in quibus vita aeterna promiſſa eſt bonis operibus. Abſone primum affert dictum, *Matth. XIX, 17*, in quo nimirum Seruator hypothetice ad interrogata reſpondet hominis, qui per opera legis vitam aeternam acquiri poſſe, putabat. Promiſſiones, *1 Tim. IV, 8; Iac. I, 12*, ſunt gratuitae, meritumque operum excludunt. Sequitur *ſextum*, ſumtum a locis, in quibus dignitatis fit mentio, *2 Theſſ. I, 5*, et caet. Sed ἀξία *dignitas*, non meritum, ſed moralem conuenientiam notat, praedicaturque ea de illis, qui digni habentur, non per ſua merita, ſed per gratiam Dei, in Chriſto. Ἄτοπον denique prorſus eſt *ſeptimum* argumentum, ab illis quod ſumitur dictis, quibus προσωποληψία de Deo negatur, *Rom. II, 11*, etc. Haec ſcilicet illa ſunt argumenta, quibus BELLARMI-

NVS, veſtigiiſque ipſius inſiſtentes, doctores pontificii, bona opera vere proprieque meritoria eſſe vitae aeternae, ex ſacris litteris probare contendunt. Nequicquam autem pro errore ſuo tuendo illa ipſa eos afferre, ex addita eorundem confutatione ſatis, opinor, apparet. Inepte etiam pro eo hoc adduci ſolet argumentum: Si mala opera merentur damnationem, bona opera merentur ſalutem; ob ingens videlicet, quod inter mala infidelium, et bona fidelium opera intercedit, diſcrimen.

A pontificiorum de bonorum operum merito errore aliena quidem eſt, quam *ſect. I huius cap. § III*, memorauimus, *Maioriſtica*, de bonorum operum ad ſalutem neceſſitate, propoſitio, prout eam GE. MAIOR, eiuſque aſſeclae explicarunt, aliena tamen illa ipſa eſt a forma ſanorum verborum, indeque reiecta fuit in *Formula Concordiae*, *p. 590, ſq. et p. 704, ſq.* Perperam adeo eandem, ſuperiore ſeculo, iterum produxit, approbauitque CONRADVS HORNEIVS, theologus Helmſtadienſis. Noua inde de illa excitata eſt controuerſia, quam S. R. WALCHIVS, *P. IV, der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangeliſchen Kirche, c. 4, § 47, p. 702, ſqq.* enarrat.

THE-

THESIS III

Bona opera renatorum ea carent perfe-ctione, quae ad legis diuinae requiritur impletionem.

Vid. *Apolog. A. C. art. III, de dilect. et impletione legis; Form. Conc. art. II, p. 678; art. IIII, p. 700.*

Demonſtratio.

Ad euertendum de bonorum operum merito errorem cum ipſa etiam bonorum, quae a renatis, iuſtificatiſque fiunt, operum ſpectet imperfectio, vtpote quae non patitur, vt meritum de condigno eis attribuatur, neceſſe habemus, imperfectionis iſtius, contra *pontificios*, ὑποθέσεως χάριν, eam negantes, legemque impleri poſſe, affirmantes, idemque ſtatuentes, *Socinianos*, *Arminianos*, *anabaptiſtas*, *fanaticos*, breuem hic addere demonſtrationem. Quaeſtio autem non eſt, an bona iuſtificatorum opera legi diuinae quodammodo ſint conformia; ad hanc enim omnes vitae ſuae actiones componere, vere fideles ſummo ſtudio allaborant: nec, an illorum opera placeant Deo; nam, cum ipſi ſint in Chriſto IESV, eiuſque perfectiſſima, imputata ſibi per fidem, gaudeant iuſtitia, placente perſona, placent opera, et quicquid in eis pollutum eſt, et imperfe-

ctum, Chriſti tegitur merito, et, vt LVTHERVS, in *articulis Smalcald. p. 336*, ait, pro peccato et defectu non cenſetur: ſed haec eſt quaeſtio: num bona renatorum opera ita ſint perfecta, vt legi diuinae prorſus ſatisfaciant, et num adeo renati in hac vita operibus ſuis legem Dei perfecte implere poſſint? Atque hoc illud eſt, quod negamus. Ratio haec eſt. Ad legis impletionem requiritur, vt Deum toto corde noſtro, tota anima noſtra, tota mente noſtra, omnibus viribus noſtris diligamus, et proximum noſtrum diligamus, vt noſmet ipſos, *Matth. XXII, 27 ſqq. Marc. XII, 31, ſq* vt non actiones noſtrae externae ſolum, ſed omnes etiam motus interiores, quoad cuncta praecepta, cum voluntate Dei ex aſſe, perpetuoque conueniant, *Gal. III, 10, Iac. II, 10*; perfectamque adeo, ratione graduum, partium, et perſeuerantiae, lex poſtulat obedientiam. Hanc vero renatorum nemo praeſtare poteſt, cum omnibus hac in vita inhaereat concupiſcentia, ad praua ipſos ſtimulans; nec vllus luctae carnis et ſpiritus, *Gal. V, 17*, expers eſſe, queat. Indubitabile id eſſe, vel PAVLI exemplo conſtat, qui, legi plene perfecteque haudquaquam ſatiſfacere ſe poſſe, profitetur, eo quod illa ſit *ſpiritualis*, ipſe vero *σαρκικὸς, carnalis, Rom. VII, 14. ſqq.* Legem a nemine perfecte impleri poſſe, iis quoque ſacrarum litterarum comprobatur dictis,

quae

quae omnes omnino homines, illoſque etiam, qui ſanctitatem ſtudioſiſſime ſectantur, et a peccatis proaereticis ſedulo ſibi cauent, peccatores eſſe, teſtantur, *1 Reg. VIII, 46; Iob. IX, 2, XV, 15; Pſalm. XIX, 13; XXXII, 6; 1 Ioh. I, 8; Iac. III, 2.* Theſin noſtram et illa Scripturae teſtimonia confirmant, quae legi omnem iuſtificandi, ſaluandique homines adimunt δύναμιν; eam videlicet ob cauſam, quia homini poſt lapſum lex impletu eſt impoſſibilis, *Act. XIII, 38; Rom. III, 19; Gal. III, 21.* Illuſtris maxime locus eſt, *Rom. VIII, 3,* vbi Apoſtolus, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, id quod legi eſt impoſſibile, quoad noſtram iuſtificationem, ipſius per carnem tribuit infirmationi, quia nimirum homines viribus ſuis, carne debilitatis, perfecte illam ſeruare nequeunt; indeque addit, Chriſtum, perfectiſſima ſua, quam vice noſtrum legi diuinae praeſtitit, obedientia, legem pro nobis impleuiſſe, cuius adeo, imputata nobis per fidem, iuſtitia iuſtificamur.

Αντιθέσεως *confutatio.*

Theſi noſtrae, firmiſſimis demonſtratae argumentis contraria eſt de bonorum operum perfectione aſſertio, quam *pontificii* in primis, ſupra dictam ob cauſam, propugnant. Vt de horum ſententia eo rectius conſtet, quo modo Concilii Tridentini patres, tum vero BELLARMINVS, quem caeteri eccleſiae

Romanae doctores plerique omnes ſequuntur, eam exponant, indicare, neceſſum eſt. Et in *Concilio* quidem *Tridentino, ſeſſ. VI, cap. 11*, in quo de neceſſaria et poſſibili obſeruatione mandatorum agitur, hocce habetur pronuntiatum: „nemo temeraria illa, et a patribus „ſub anathemate prohibita voce vti debet, „*Dei praecepta homini iuſtificato ad obſeruan*„*dum eſſe impoſſibilia.*“ Additur ratio: „nam „Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo „monet, et facere, quod poſſis, et petere, „quod non poſſis; et adiuuat, vt poſſis.“ Geminus pronuntiato iſti eſt *canon XVIII:* „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam „iuſtificato, et ſub gratia conſtituto, eſſe ad „obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit.“ Hac nimirum arte vſi ſunt Tridentini, vt, quod ſentiebant, *perfectam* videlicet legis diuinae impletionem operibus renatorum in hac vita poſſibilem et facilem eſſe, non diſertis dicerent verbis, ſed in genere, mandatorum Dei obſeruationem homini iuſtificato, iuuante Deo, non impoſſibilem eſſe, pronuntiarent. Hoc enim de illa etiam mandatorum Dei obſeruatione, quae in renatis, per Spiritum renouationis, in hac vita inchoatur, quae etiam ſubinde creſcere debet, intelligi poteſt, eoque ſenſu nullam controuerſiam habet, ſi quidem in confeſſo eſt, iuſtificatos ſpiritu renouari, vt nouam obedientiam, ſecundum mandata Dei, inchoare

poſſint.

poſſint. Attamen in eodem capite XI, inſidioſis, vt CHEMNITIVS, in *exam. C. T. P. I, loc. 10, p. 256*, oſtendit, technis fabricato, mentem ſuam Tridentini ſatis produnt; vbi bonis iuſtificatorum operibus nihil, quod venia opus habeat, adhaerere docent. Perfectam vtique legis impletionem bonis iuſtificatorum operibus Concilium Tridentinum adiudicaſſe, licet a *perfectionis* vocabulo abſtinuerit, praeter caeteros, IVDOCVS RAVESTEIN, *Tiletanus*, Theologus Louanienſis, *apologiae pro Concilio Trid. contra* CHEMNITIVM, *parte I, p. 341*, confirmat. BELLARMINVS, *de Rom. Pontifice lib. III, c. 23, controuerſ. t. I, p 437*: „non timemus, inquit, aſſe„rere, poſſe hominem, per gratiam Dei iuſti„ficatum, eiuſdem gratiae adiutorio, et le„gem implere, et ea impletione vitam aeter„nam promereri." Ex inſtituto autem idem ille Romanae eccleſiae de bonorum operum perfectione doctrinam, *de iuſtificat. lib. IV*, pertractat, eandemque aduerſus eos, qui orthodoxam profitentur doctrinam, magno, ſed irrito, defendere conatur labore. Eam ſcilicet Pontificii, interprete BELLARMINO, iuſtificatorum operibus attribuunt perfectionem, qua ſimpliciter et abſolute ſint iuſta; cumque, ob euidentiſſima ſacrarum litterarum teſtimonia, ſanctos iuſtoſque a peccatis immunes haud eſſe, fateri cogantur, mala ipſorum opera, *leuia ſaltem et quotidiana*,

prout,

prout, ſupra dicto Concilii Tridentini *capite XI*, vocantur, nec mortalia, ſed *venialia*, id eſt, per ſe et natura ſua venia digna eſſe peccata, legiſque impletioni nequaquam obſtare, dicunt.

Exornata hoc modo a BELLARMINO pontificia de bonorum operum perfectione doctrina iis prorſus refellitur argumentis, quibus exactiſſimam ad impletionem legis obedientiam requiri, hancque a renatorum nemine praeſtari poſſe, ſupra demonſtrauimus, indeque adeo conficitur, iuſtorum opera non ſimpliciter et abſolute iuſta, vlloue modo eſſe perfecta, malaque eorundem opera, cum nulla in ſe, et natura ſua, venialia, ſed mortalia omnia ſint peccata, legis impletioni aperte aduerſari. Singulari modo ANDRADIVS, qui Tridentino concilio interfuit, bonorum operum tueri inſtituit perfectionem. Hunc enim ſi audias, homines ad ea tantum ſeruanda obſtricti ſunt, quae, diuinis viribus adiuti, pro vitae huius conditione, praeſtare poſſunt; reliqua in lege non obligant homines in hac vita, ſed ad futuram tantum pertinent vitam. Nihil veritati coeleſti abſonum magis fingere potuiſſet ANDRADIVS. Hac nimirum illius ſententia, quacum fere conuenit id, quod in *catech. Racou. c. IX, qu. vlt.* de obedientia traditur, diuinum illud effatum, *Deut. XXVII, 26*, coll. *Gal. III, 10*, ineptiſſime ad ſanctos glorificatos in vita aeterna refertur; clariſſi-

riſſimis ſacrarum litterarum de legis ἀδυναμίᾳ homines iuſtificandi contradicitur dictis; PAVLI, aliorumque ſanctorum de imperfectione ſua confeſſiones et querelae, inanes declarantur; vt alia, quae inde ſequuntur, taceam abſurda. Iuſtam ANDRADIVS meruit animaduerſionem CHEMNITII, qui, *l. c. p. 258*, ad perfectam legis obedientiam homines in hac vita omnino obligari, pluribus contra eum defendit. Ad BELLARMINI quod attinet argumenta, primum is, *cap. XI, p. 533, ſq.* legem diuinam impletu poſſibilem eſſe, ex diuinis litteris probaturus, ea affert dicta, quibus Concilium Tridentinum, *cap. XI*, vtitur, quae non ſolum poſſibilia, ſed etiam facilia eſſe teſtantur mandata, *Matth. XI, 30; 1 Ioh. V, 3*; quaeque, mandata ab his, qui diligunt, ſeruari, docent, *Ioh. XIV, 23; Rom. XIII, 8*, et caet. Addit teſtimonia, quae nonnullos, e. c. *Dauidem, Ioſiam, Zachariam et vxorem*, alioſque mandata ſeruaſſe, docent. At enimuero allata Scripturae dicta et exempla id quidem teſtantur, legem diuinam poſſibilem eſſe renatis iuſtificatiſque, quoad obedientiam inchoatam, ita vt ad diligendum Deum, ipſiuſque praecepta ſeruanda, promto ſint alacrique animo, lege Dei delectentur ſecundum interiorem hominem, et in amore Dei et proximi, veraeque pietatis praxi in dies magis magiſque proficere ſtudeant; nequaquam autem legem diuinam ſeruatu poſſibilem eis eſſe,

docent,

docent, quoad obedientiam, de qua vnice quaeſtio eſt, conſummatam, ita vt plene perfecteque illam implere poſſint. Patrum, quae pro ſententia ſua BELLARMINVS, *cap. XII, p.* 535, adducit, teſtimonia non moramur, cum veritati praeiudicare nequeant, quin etiam orthodoxam quaedam admittunt explicationem. Sed nec deſunt nobis diſerta AVGVSTINI, aliorumque veterum doctorum, qui legem impletu impoſſibilem, et opera renatorum imperfecta eſſe, affirmant, teſtimonia, collecta a GERHARDO, *confeſſ. cathol. lib. II, part. III, art.* 23, *cap.* 7 *et* 8. Ad rationes progredimur, quibus, *cap. XIII, p.* 535, *ſq.*, legem Dei non eſſe impoſſibilem, probare, contendit. *Prima* haec eſt: „poteſt „homo facere plus, quam Deus praecipiat; „igitur multo magis poteſt implere praece„ptum." Egregia, ſcilicet, ratio, a pontificiis operibus ſupererogationis, ſeu potius ſuperarrogantiae, quae conſiliorum euangelicorum, de quibus, ſequenti capite, dicendi locus erit, nituntur figmento, petita. *Secunda:* „ſi praecepta eſſent impoſſibilia, „neminem obligarent, ac per hoc praecepta „non eſſent praecepta." Sed τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, *impoſſibilitas legis*, per et propter ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, *Rom. VIII,* 3, noſtraque adeo culpa, contracta, non tollit obligationem. Gemina eſt ratio *tertia*, qua Deum, ſi lex impoſſibilis eſſet, omni tyranno crudeliorem eſſe,

eſſe, blaſphemo ore BELLARMINVS dicit. Conſimili modo ANDRADIVS, contumelioſum in ipſum Deum legiſlatorem eſſe, ait, affirmare, ipſum praecepiſſe aliquid, quod in hac vita, et in hac naturae corruptione, nemo perfecte implere poſſit. Quaſi vero, reſpondet CHEMNITIVS, *l. c. p. 259*, propter naturae deprauationem, mutanda et infle-ctenda fuerit regula legis, quae eſt perpetua et immutabilis norma iuſtitiae in Deo; cu-ius adeo perfecte implendae cauſa, *Deus miſit Filium ſuum, ſubiectum legi, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, Gal. IV, 4, ſq.* *Quarta* ratio manifeſta dicti *Rom. VIII, 4.* nititur ἀνθερμη-νείᾳ, quippe cuius verus ſenſus eſt: Chriſtum id, quod, διὰ τῆς σαρκὸς, factu nobis eſt im-poſſibile, pro nobis praeſtitiſſe, vt δικαίωμα τοῦ νόμου EN HMIN, *in nobis*, non, per nos, ſeu, a nobis, *impleatur*, eo dum Chriſti iu-ſtitia, qua legem pro nobis perfectiſſime im-pleuit, per fidem nobis imputatur. Corruit igitur BELLARMINI ratiocinatio: Si lex im-pleri, a nobis ſcilicet, non poteſt, iuſtificatio legis nunquam impletur in nobis. Neque vero etiam, quod addit, ſi lex impletu eſt impoſſibilis, fruſtra oramus: *fiat voluntas tua, ſicut in coelo, ita et in terra;* quin potius, ſi lex perfecte a nobis impleri poſſet, fruſtra oraremus: *dimitte nobis peccata noſtra.* Per-peram denique obedientiam fidei, *Hebr. V, 9*, de obedientia legis exponit. *Quinta* hanc

pro-

proſert rationem: „omnes vere iuſtificati „Spiritum ſanctum habent, qui fructus ſuos „parit, *Gal. V, 22.* Qui vero hos fructus ha„bet, non accuſatur a lege, quippe qui eam „non praeuaricatur, ſed implet.“ Hunc nimirum in ſenſum id, quod *l. c. v. 23,* ſubiungitur: *aduerſus huiuſmodi non eſt lex*, interpretatur. Sed interpretatio haec analogiae fidei repugnat. Iuſtificati quidem Spiritus ſancti gaudent operatione, carnalis vero eorum illa ipſa non tollitur infirmitas, neque adeo ſuis iidem operibus perfectam, omnibuſque numeris abſolutam legi obedientiam praeſtant. Attamen non eſt lex aduerſus eos, quia ſunt in Chriſto Ieſu, cuius merito defectus, operibus adhaerentes, obteguntur, vt lex ipſos nequeat condemnare. *Sexta* et vltima ratio haec eſt: „omnes iuſtificati ex „Deo nati ſunt. At qui natus eſt ex Deo, „non peccat, nec poteſt peccare, quia ex „Deo natus eſt, *1 Ioh. III, 9.*“ Perperam autem hinc BELLARMINVS infert, iuſtificatos implere legem. Quanquam enim renati, quatenus tales ſunt, et in regenerationis ſtatu perſiſtunt, *proaeretice* non peccant, tamen, quatenus iidem adhuc ſunt carnales, ab omni peccati labe non ſunt immunes. Operam ludere pergit BELLARMINVS, vbi *capp. XV, XVI, XVII, p. 539. et ſeqq.* opera iuſtorum non eſſe peccata, ſed vere iuſta et bona, ex diuinis litteris, patribus, et ratio-

nibus

nibus probare, contendit. Ex iis, quae de lege, impletu poſſibili, antea diſputauit, patet, opera *vere iuſta et bona* eum dicere, quae ea gaudent perfectione, quae ad impletionem legis requiritur. Nec aliam ſententiam controuerſiae, quam pertractat, ratio admittit, ſiquidem nos euangelicos oppugnat, bona renatorum opera in hac vita non perfecte bona, nec ab omni adhaerentis peccati labe pura eſſe, ſtatuentes. Hoc enim ſenſu illa ipſa etiam, quam BELLARMINVS in primis notat, accipienda eſt LVTHERI aſſertio: *bona opera eſſe peccata*. Nempe bona opera non formaliter, et ſua natura, ſed ſecundum quid, et certo reſpectu, ab ipſo dicuntur peccata, quatenus videlicet ſunt imperfecta, et a reliquiis peccati, in carne adhuc haerentibus, contaminantur; vt adeo rigorem legis et iuſtitiae diuinae ſuſtinere nequeant, ſi ſtricto Dei iudicio, remota miſericordia, examinanda eſſent: quem ad modum LVTHERI ſententiam optime declarat GERHARDVS, *l. c. cap. 6, p. 1515*. Iam vero, pro tuenda bonorum operum perfectione, nequicquam a BELLARMINO adducantur Scripturae dicta, quae iuſtitiam, pietatemue quorundam praedicant; quae adhortationes ad non peccandum in ſe continent; quibus iuſtorum opera vocantur opera bona; quae iuſtorum opera, (ἐυαγγελικῶς nimirum, non νομικῶς conſiderata,) Deo placere, docent:

Kk haec

haec enim operibus, quae a iuſtificatis, vereque fidelibus fiunt, quaeque iuſta omnino ſunt et bona, eam nequaquam attribuunt perfectionem, quae ad legis requiritur impletionem, quaque illa ipſa omnis prorſus expertia ſint labis. Inepte vero etiam et ἀπροσδιονύσως BELLARMINVS dictis Scripturae, quae affert, nonnulla admiſcet, quae de iuſtorum operibus minime agunt. Ita, vt de foco, *1 Cor. III, 12, 13*, vbi de doctrinis, fundamento fidei ſuperſtructis, ſermo eſt, taceam, perperam dicit, Davidem, *Pſ. VII, 9.* et caet. non ſolum opera ſua iuſtitiae nomine ornare, ſed etiam confidere, in iudicio Dei conſiſtere illa poſſe; cum is de cauſae ſuae iuſtitia ibi loquatur. Quam ſui, ſuorumque operum Dauid in iudicio Dei habuerit fiduciam, ex *Pſ. CXLIII, 2*, liquet, vbi orat: *Domine, ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: nam coram te mortalium nemo eſt iuſtus.*

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT X
DE LEGE ET EVANGELIO

SECTIO I
HISTORICA

I

In AVGVSTANA CONFESSIONE ſingulares quidem de lege et euangelio non extant articuli: ii vero, quibus de poenitentia, de iuſtificatione, de bonis operibus exponitur, articuli, eorundemque, in APOLOGIA CONFESSIONIS, enarrationes et vindiciae ea quoque complectuntur, quae ad veram cum de lege, tum de euangelio, pertinent doctrinam.

II

In ARTICVLORVM autem SMALCALDICORVM *parte tertia*, duo de hoc doctrinae capite habentur articuli: *ſecundus* enim eſt de lege, *quartus* de euangelio. (*) In FORMVLAE CONCORDIAE *articulo quinto*, ſpeciatim de diſcrimine legis et euangelii, et in *ſexto*, de tertio legis vſu, orthodoxa eccleſiae euangelicae ſententia declaratur. (**) Lex

cum decalogo contineatur, huc etiam illius referenda eſt expoſitio, quae in *vtroque* CATECHISMO LVTHERI exhibetur.

(*) In *articulorum Smalcaldicorum partis tertiae articulo ſecundo*, qui *de lege* inſcribitur, de fine et vſu eius quaedam traduntur; ac primum, legem a Deo datam eſſe, dicitur, „vt peccatum prohiberetur comminationibus et „metu poenarum; item promiſſione, et annuntiatione „gratiae et beneficiorum.“ Praeter rem difficultate laborare quibuſdam viſa ſunt haec verba LVTHERI, quibus gratiae promiſſiones legi attribuuntur. Nam Deus ipſe legi eas addidit, *Exod. XX, 6*; *Leuit. XIIX, 5*. Probe autem legales ab euangelicis diſcernendae ſunt promiſſionibus. Vid. *Rom. X, 5, ſqq. Gal. III, 11, 12.* Illae enim perfectae obedientiae annexam habent conditionem: quae vero cum a nullo homine, propter humanae naturae corruptionem, impleri poſſit, nemo etiam gratiae, quam lex promittit, re ipſa particeps fieri, ac per legem ſaluari poteſt. Conf. A. M. VERPOORTENNIVS, *analect. ad libros ſymbol. c. V, § 3, p. 123.* Memorati finis abuſus ſequentibus articuli exponitur verbis. Deinde praecipuum legis officium, et ἐνέργεια, in peccati videlicet originalis, et omnium eius fructuum reuelatione conſiſtens, huiuſque diuerſus indicatur euentus. In *articulo quarto de euangelio*, remiſſionem peccatorum offerre, proprium illius officium eſſe, docetur; et ii, quibus officium ſuum peragit, enarrantur modi.

(**) In *Formulae Concordiae*, *articulo quinto* et *ſexto antinomorum* ſpeciatim refelluntur errores. Conf. *prolegom. ſect. VII, § VI et VII.* Antinomorum coryphaeus fuit IOHANNES AGRICOLA, cognomento, a patria ſumto, *Iſlebius* dictus, qui, ſuperſtite adhuc LVTHERO, a quo ſana inſtitutus doctrina, multiſque et magnis affectus fuerat beneficiis, pernicioſiſſimum, quem animo conceperat, de lege Dei, in praedicatione poenitentiae non adhibenda, immo ex eccleſia prorſus eiicienda, errorem

ſorem in academia Vitembergenſi, doctoris in ea munere cum fungeretur, diſſeminare coepit. LVTHERO errori eius fortiter reſiſtente, ac publice propoſitis diſputationibus portentoſa ipſius de lege conuellente pronuntiata, palinodiam quidem cecinit; illo vero mortuo, ad ἀντινομίαν ſuam rediit, eamque acciter propugnauit. Ab hoc antinomorum parente nomen illud tranſiit ad omnes, qui de lege diuina morali peruerſe ſentiebant, in eccleſia noſtra doctores. Itaque tres conſtituendae ſunt antinomorum claſſes. Ad primam pertinent ISLEBIVS et aſſeclae eius, nullum plane legi in eccleſia concedentes vſum, ac propter ea praecipua ratione antinomi dicti; quo etiam nomine illi vulgo intelligi ſolent. Ad alteram claſſem pertinent, qui non legem ſolam, ſed etiam euangelium, idque proprie et ſtricte ſic dictum, concionem poenitentiae eſſe, et peccata, praeſertim incredulitatis peccatum, arguere, ſtatuebant. Claſſi tertiae adſcribuntur ii, qui, legem ad renatos haud pertinere, docuerunt, hiſque adeo proponendam eſſe, negarunt. Conf. *prolegom. ſect. VII, § VII, p. 90.*

Articulus Formulae Concordiae quintus ad controuerſiam, cum antinomis claſſis ſecundae agitatam, ſpectat. In *declarationis* initio graues afferuntur cauſae, quare legis et euangelii diſcrimen, accurata diligentia in eccleſia conſeruandum ſit, atque retinendum, ne haec duo doctrinarum genera inter ſe commiſceantur, aut euangelium in legem transformetur, *p. 709.* Deinde, quoad propoſitum controuerſiae ſtatum: an euangelium ſit concio poenitentiae, arguens peccatum incredulitatis, diuerſus vocum *euangelii* et *poenitentiae* exponitur ſignificatus, ac primo indicatur, vocem *euangelii* in ſacris litteris vſurpari vel in ſenſu *latiore*, pro tota Chriſti et apoſtolorum doctrina, legem pariter, atque euangelium in ſe complectente, e. c. *Marc. I, 1; XVI, 15; Act. XX, 24;* (add. *Marc. I, 14; Luc. IX, 6; Rom. II, 16*, et caet.) vel in *propriiſſima* ſua ſignificatione, qua praedicationem de gratia Dei, et remiſſione peccatorum, per fidem in Chri-

-ſtum, notat, *Marc. I, 15.* In ea igitur, quae hic expenditur, controuerſia non de euangelio, late accepto, ſed de euangelio, ſtricte proprieque dicto, quaeſtionem eſſe, monetur, *p. 710.* Ita quod ad vocabulum *poenitentiae* attinet, cum id in Scriptura vel ὁλικῶς pro tota hominis conuerſione ad Deum, quae contritionem et fidem complectitur, ſumatur, vel μερικῶς primam poenitentiae partem ſignificet, v. c. *Marc. I, 15; Act. XX, 21,* de eo quaeri, dicitur, num euangelium ſit concio poenitentiae, eo videlicet acceptae ſignificatu, quo de contritione vſurpatur, *p. 711.* Ea occaſione, legem et euangelium in conuerſione hominis concurrere, docetur, *p. 712, ſqq.* In ſincerae doctrinae expoſitione, primo vera legis affertur deſcriptio, vnde cognoſcitur, proprium eius officium eſſe, peccata arguere, et ad agnitionem eorum adducere, ac proinde legem Dei etiam arguere incredulitatem. Additur autem, legis doctrinam per euangelium illuſtrari, et declarari; lege nihilominus proprium ſuum officium ſeruante. Ita, cum euangelium, idque ſolum, et proprie doceat credere in Chriſtum, lex autem iubeat, vt verbo Dei fides adhibeatur, et ſecus facientes arguat, ac damnet, lex vtique per conſequens etiam verbo Euangelii de Chriſto fidem adhibere iubet, et incredulitatem, fidei in Chriſtum oppoſitam, arguit, et damnat, proprioque adeo ſuo, quoad incredulitatem, officio fungitur lex, euangelii luce colluſtrata, *p. 714.* Hinc euangelii quoque vera proponitur deſcriptio, eiuſque a lege differentia explicatur, *p. 714, ſqq.* In *epitome Formulae Concordiae, p. 593, ſq.* illud ſpeciatim notatur, refelliturque argumentum, quo antinomi, ex eo, quod euangelium ſit concio de paſſione et morte Chriſti, iram Dei aduerſus peccata oſtendente, et hominem perterrefaciente, probare conati ſunt, euangelium, ſtricte dictum, concionem eſſe poenitentiae, et arguere peccata. Nempe paſſio et mors Chriſti, quatenus irae Dei aduerſus peccatum magnitudinem, et iuſtitiae ipſius ſeueritatem nobis ante oculos ponunt, et homines perterrefaciunt, non ſunt proprie concio

eo euangelii, ſed legis; quatenus vero miſericordiam Dei erga miſerum genus humanum, et ſatisfactionem Chriſti conſiderandam nobis praebent, eo tantum reſpectu ad euangelii pertinent praedicationem. Expoſita, declarataque ſacrarum litterarum de lege et euangelio doctrina, damnantur inde cum primae claſſis antinomi, ISLEBIVS, et aſſeclae eius, qui praedicationem legis ex eccleſia explodebant, et non ex lege, ſed ex ſolo euangelio peccata arguenda, et contritionem docendam eſſe, affirmabant, *p. 813*; tum dogma reiicitur ſupra dictorum claſſis ſecundae antinomorum, qui, praeter legem, euangelium etiam, ſtricte proprieque dictum, poenitentiae concionem eſſe, et peccata, ſpeciatim peccatum incredulitatis, arguere, ſtatuebant. Vid. *F. C. epit. p. 594, declar. p. 717.*

Articulus Formulae Concordiae ſextus, qui *de tertio vſu legis diuinae* inſcribitur, claſſis tertiae antinomorum oppoſitus eſt errori, illorum ſcilicet, qui elencticum quidem, ac paedagogicum legis, quoad conuertendos, admiſerunt vſum, didacticum vero, quoad conuerſos et iuſtificatos, legi diuinae denegarunt vſum. De tertio, didactico videlicet, ſiue normali legis, quoad renatos, vſu, inter paucos quoſdam theologos controuerſiam ortam fuiſſe, in articuli principio, *epit. p. 595, declarat. p. 717*, notatur. Huc a quibusdam refertur ANDREAE MVSCVLI, theologi Francofurtani, cum collega ſua ABDIA PRAETORIO, de bonorum operum neceſſitate diſceptatio, de qua pluribus expoſuit I. C. BECMANVS, in *notitia Vniuerſit. Francof. c. VII, p. 89, et VIII, p. 275, ſqq.* Quandoquidem igitur nonnulli, bona opera renatis non neceſſaria, ſed libera eſſe, affirmantes, quae aſſertio ſpeciatim in *Form. Conc. articulo IIII, p. 588, et 699*, expenditur, hanc ipſam ob cauſam legem renatis non inculcandam, eiuſue obſeruationem apud illos vrgendam haud eſſe, ſtatuerunt, alii vero iiſdem contradixerunt, hinc de quaeſtione illa, an lex diuina moralis ad renatos etiam pertineat, orta controuerſia in articulo F. C. ſexto definitur.

nitur. Praemonetur, triplicem legis diuinae eſſe vſum: primo, diſciplinam externam et honeſtatem contra feros et indomitos homines lege vtcunque conſeruari; ſecundo, per eam peccatores ad agnitionem peccati adduci; tertio, renatos de vita ſua recte inſtituenda lege doceri, p. 717. Hinc, controuerſiae, quae ad tertium, didacticum videlicet, quoad renatos, ſpectat vſum, formato ſtatu, docetur, legem renatis, ſeu conuerſis ad Deum, et per fidem in Chriſtum iuſtificatis, agendi praeſtare normam, iiſdemque adeo omnino eſſe proponendam, vt ex ea diſcant, quo modo vitam ſuam inſtituere debeant, et vt per illam, ob reſiduam in ipſis carnem, a peccato deterreantur, et ad pietatem excitentur: huncque legis apud illos vſum nequaquam iis ſacrarum litterarum dictis, quibus renati et iuſtificati a legis maledictione liberi, eorumque opera fructus Spiritus dicuntur, tolli, demonſtratur. Vera hac ratione expoſita doctrina, vt falſum et perniciosum donma reiicitur, cum docetur, legem non piis et vere credentibus, ſed impiis tantum, infidelibus et non agentibus poenitentiam, proponendam, atque apud hos ſolos eſſe urgendam.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA

THESIS I

Verbum Dei, cum ratione obiecti, quod ſunt, vel facienda et omittenda, vel fides in Chriſtum, tum ratione officii, in legem et euangelium diſtinguitur: legiſ-

legiſque et euangelii diſcrimen accurata diligentia eſt ſeruandum.

Vid. *A. C. Apologia, p. 60, 94; Form. Conc. art. V, p. 592, 709.*

Expoſitio, cum βεβαιώσει.

Verbi Dei, quod ſacris litteris continetur, in *legem* et *euangelium* diſtinctio firmo nititur fundamento. Duo enim haec praecipua et primaria reuelationis diuinae ſunt capita, ad quae, notante GERHARDO, in *exegeſi loci de S. S. § 52, p. 72,* reuocari poſſunt caetera omnia, quae in Scriptura ſacra traduntur, ſiue ſint res hiſtoricae, ſeu phyſicae, aliaeue; primariis videlicet illis doctrinis vel probandis, vel illuſtrandis inſeruientes. Strictiori, propriaque ſua notione, *legis* et *euangelii* vocabula in hac verbi Dei vſurpantur diſtinctione. Latiore enim nonnunquam illa adhibentur ſignificatu; quo modo תורה et νόμος, *Pſ. I, 2; XIX, 8; CXIX, 92, et caet. Ioh. XV, 25; 1 Cor. XIV, 21,* vniuerſam verbi diuini doctrinam, ſacramue V. T. ſcripturam; et ἐυαγγέλιον, locis in *ſectione I* citatis, omnem Chriſti et apoſtolorum notat praedicationem. Quin etiam generali ſenſu accepta *legis* vox euangelium deſignat, *Ieſ. II, 3; Mich. IV, 2; Rom. III, 27; IIX, 2.* Lex igitur, proprie dicta, eaque moralis, prout in *Form.*

Conc. art. V, p. 713, definitur, eſt „doctrina di-„uina, in qua iuſtiſſima et immutabilis Dei „voluntas reuelatur, qualem oporteat eſſe „hominem in ſua natura, cogitationibus, „verbis, factis, vt Deo probari, et acceptus „eſſe poſſit: ſimul autem transgreſſoribus, „Dei iram, et temporalia atque aeterna ſup-„plicia illa ipſa denuntiat." Euangelium autem proprie eſt doctrina de gratia Dei, remiſſione peccatorum, et ſalute aeterna, per fidem in Chriſtum IESVM, meritumque eius, obtinenda. Atque hinc patet, legem et euangelium praecipue, quoad *materiam, obiectumue*, id eſt, ratione eius, quod formaliter, per ſe, et directe proponunt, inter ſe differre. Lex enim eſt doctrina operum, praeſcribens, qualem hominem eſſe, quid facere, quid omittere eum oporteat: Euangelium vero eſt doctrina fidei, Chriſtum proponens mediatorem, ac per ipſum credenti annuntians remiſſionem peccatorum, iuſtitiam et ſalutem aeternam. Vid. *Rom III, 27; Gal. III, 2, 12*, vbi lex et euangelium hoc maxime reſpectu diſtinguuntur. Vberius autem legis et euangelii diſcrimen ex diuerſo vtriuſque cognoſcitur *officio*, et *effectu*. Legis proprium opus eſt, facienda et omittenda praecipere, indeque peccata arguere, iram Dei aduerſus illa reuelare, et peccatores adeo corripere, terrere, damnare. *Rom. III, 20; IV, 15; Gal. III, 10.* Euangelium, Chriſtum et meritum eius

eius praedicando, gratiamque Dei et remiſſionem peccatorum credentibus offerendo, viuifica erigit conſolatione; vnde *verbum ſalutis*, *euangelium pacis* appellatur. Conf. *Ieſ. LXI, 1. ſq.* Differunt porro lex et euangelium, ratione *formae*, quoad promiſſiones; ſiquidem illius promiſſiones ſunt conditionatae, perfectae videlicet legis impletionis annexam habentes conditionem, *Leuit. XIIX, 5; Luc. X, 28; Gal. III, 12*; huius autem promiſſiones ſunt gratuitae, *Rom. IV, 16, et caet.* Differunt etiam ratione *originis*, et *modi patefactionis*. Nam lex natura, etiam poſt lapſum, quodammodo nota eſt, *Rom. II, 14. ſq.* euangelii autem cognitio ſupernaturali vnice nititur, in ſacris litteris facta, reuelatione diuina, *Rom. XVI, 25, 26.* Differunt denique ratione *ſubiecti*, ſeu quoad eos, quibus proponenda ſunt. Lex enim cum praefractis peccatoribus, tum conuertendis, tum vero etiam conuerſis, diuerſa vero, pro diuerſo horum ſtatu, proponi debet ratione: euangelium contritis, itemque renatis et credentibus proponendum eſt, illis, vt fides in eis efficiatur, his, vt fidei ac vitae ſpiritualis capiant incrementa.

Et haec quidem potiſſimum illa ſunt, in quibus legis et euangelii diſcrimen conſiſtit, accurata, vt in Formula Concordiae monetur, diligentia in eccleſia conſeruandum. Grauiter id ipſum pluribus in locis commenda-

mendat

mendat b. LVTHERVS. Ita in *commentar. in ep. ad Gal. opp. Lat edit. Ien. t. IV, fol. 39:* "Qui bene, inquit, diſcernere nouit euange„lium a lege, gratias agat Deo, et ſciat, ſe eſſe „theologum." Etenim, neglecto legis et euangelii diſcrimine, iuſtificationis articulo ſua conſtare nequit integritas; beneficia Chriſti obſcurantur; conſcientiae perturbantur. Vid. GERHARDVS, in *loco de euangelio, § 52. p. 364.* Neque vero diſcrimine hoc legis derogatur dignitati, quae, aeque ac euangelium. coeleſtis eſt doctrina, et Deum habet auctorem, ad omnes pertinet homines, et illorum deſtinata eſt ſaluti; quamuis, propter naturae humanae per lapſum corruptionem, adeoque ex accidenti, is eius finis, qui aeterna hominum eſt ſalus, prorſus ceſſet, ac nemo per legem ſaluari poſſit. Ἀδύνατον νόμου, quoad finem illum, eiuſque cauſam, apoſtolus egregie exponit, *Rom. IIX, 3.* Eximios vero alios lex praeſtat vſus, et in conuerſionis pariter, atque renouationis negotio, cum euangelio concurrit, ſiquidem conuertendi animum per contritionem, quam operatur, ad recipiendam ex euangelio fidem diſponit, conuerſo autem et renato ſancte viuendi regulam praebet atque normam.

Errorum confutatio.

Legis et euangelii, quod explicauimus, diſcri-

diſcrimen quo modo euertere inſtituerint *Antinomi*, quo vero etiam modo in *Formulae Concordiae articulo quinto* exploſi fuerint illorum errores, in *prima* capitis huius oſtendimus *ſectione*. Sed et ſanae de illo ipſo diſcrimine doctrinae contraria dogmata fouent *pontificii*, quippe qui non ſolum contritionem, quae legis eſt effectus, euangelio adſcribunt; quem errorem, *capite VII, p. 387*, notauimus; gratuitaſque euangelii promiſſiones in conditionatas transformant, (vid. *Conc. Trid. ſeſſ. VI, can. XXI;*) ſed euangelium etiam noua morum praecepta tradere, ſtatuunt, atque adeo in doctrinam operum, id eſt, legem illud transformant. Nouis ſcilicet praeceptis legem veterem Moſaicam a Chriſto auctam, perfectamque fuiſſe, aiunt. Duo ponunt falſa: 1) Chriſtum nouum fuiſſe legiſlatorem; 2) legem moralem, per Moſen traditam, eſſe imperfectam. Prius illud ſub anathemate edicitur in Concilio Tridentino, *ſeſſ. VI, can. XXI:* „Si quis dixerit, Chri„ſtum IESVM a Deo hominibus datum „fuiſſe, vt redemtorem, cui fidant, non „etiam, vt *legiſlatorem*, cui obediant, ana„thema ſit.“ Manifeſte pronuntiatum hoc de Chriſto legiſlatore Scripturae contradicit effaro, *Ioh. I, 17*, vbi IESVS Chriſtus, qui venit in mundum, vt homines peccatores a maledictione et condemnatione legis liberaret,

raret, ſaluaretque, *Gal III, 13; IV, 5*, per quem *gratia et veritas* ἐγένετο, *facta eſt*, id eſt, qui gratiam Dei et ſalutem aeternam paſſione et morte ſua vere nobis acquiſiuit, et per euangelium credentibus omnibus re ipſa confert, Moſi opponitur legiſlatori. Chriſtus in officio mediatorio non eſt legiſlator, ſed τέλος, id eſt, τελειώτης νόμου, qui *legem impleuit ad iuſtitiam omni credenti*, perfectiſſimae obedientiae debitum legi pro nobis perſoluendo. *Rom X, 4; IIX, 3, 4.* Ita, quae legiſlatoris ſunt, a ſuo aliena eſſe officio, ipſe teſtatur, *Ioh. III, 17; V, 45.* Gratis BELLARMINVS, *de iuſtificatione lib. IV, c. 5, t. IV, p. 524*, ex nominibus, quibus Chriſtus מחקקנו *legiſlator noſter*, *Ieſ. XXXIII, 22; rex, Pſ. II, 6, et caet.* et doctrina eius *lex* appellatur, *Ieſ. II 3;* itemque ex comparatione ipſius cum Moſe propheta, *Deut. XIIX, 15; Hebr. III, 2, ſqq.* legiſlatorem a Deo hominibus datum illum fuiſſe, probare conatur. Etenim Chriſto legiſlatoris nomen tribuitur, quatenus ad ipſum, vt vnum cum Patre et Spiritu ſancto Deum, legis moralis datio pertinet, nequaquam vero eo ipſo ſignificatur, Chriſtum in mundum veniſſe, vt nouas promulgaret leges. Regium Chriſti officium perperam huc referri, ex vera illius deſcriptione, *capite VI, th. XVI*, a nobis expoſita, patet. Euangelium vbi *lex* appellatur, vox תורה, et, quae ei reſpondet, νόμος, generali, quam ſupra indicauimus,

uimus, adhibetur notione. Chriſtus cum Moſe, non vt nouus legiſlator cum legiſlatore, ſed prophetici muneris ratione confertur, et, vt ſummus euangelii doctor, ac diuini de ſalute noſtra conſilii voluntatiſque interpres, audiri iubetur. Falſo vero etiam lex moralis, per Moſen tradita, imperfectionis arguitur, vtpote quae perfectiſſima bonorum operum eſt regula, ab ipſo Seruatore eo nomine commendata. Vid. *Luc. X, 28; Matth. XXII, 37, ſqq.*

Iam, quod ad illas, quae Chriſto, vt nouo legiſlatori, tribuuntur, et quibus is legem Moſaicam moralem in euangelio adauxiſſe, ac perfeciſſe dicitur, attinet leges, pro nouis legibus perperam venditantur veteris legis praecepta, a Chriſto, contra phariſaicas ψευδερμηνείας, dextre explicata, *Matth. V, et caet.* luculentiuſue declarata, et hoc modo renouata, diſcipuliſque ſummopere inculcata, *Ioh. XIII, 23; Gal. VI, 2, et caet.* BELLARMINVS quidem, *de iuſtificat. lib. IV, c. 3, p. 520 ſq.* Seruatorem veram veteris legis, falſis phariſaeorum interpretationibus deprauatam, ſententiam explicaſſe, agnoſcit; attamen, Dominum legem moralem perfeciſſe, ait, non explicando ſolum, ſed et *addendo, grauiora ſcilicet nonnulla*, quae a Iudaeis, propter infirmitatem ipſorum, in lege non fuerint exacta; (quo inepte refert polygamiae, et diuortii, extra caſum adulterii, interdictum, in

ipſa

ipſa primaeua coniugii inſtitutione fundatum, *Matth. XIX, 4. ſqq.*) tum vero etiam *adiiciendo conſilia* quaedam, ad perfectionem charitatis. *Conſiliis* ſcilicet *euangelicis* legem moralem Chriſtum perfeciſſe, pontificii ſtatuunt. Ad conſilia iſta referuntur, et pro praecipuis ac ſubſtantialibus tria haec habentur, in quibus votorum monaſticorum ratio conſiſtit, paupertas voluntaria, coelibatus, et obedientia. Sunt vero conſilia illa, quae dicunt euangelica, non ſolum ἄγραφα, ſed etiam ἀντίγραφα. Nam quae ad ea trahuntur Seruatoris dicta, ad ſobrietatis ſtudium, auaritiamque vitandam, ad caſtitatem, in matrimonio etiam ſeruandam, et ad obedientiam, ſuperioribus quibuſuis praeſtandam, ſpectant, eaque officia ſunt, quae in lege morali hominibus praecipiuntur. Coeleſti autem doctrinae conficta iſta a ſcholaſticis doctoribus conſilia multis aduerſantur modis, ſiquidem, vt illi docent, data ea ſunt ad maiorem adſpirantibus perfectionis gradum. Hique adeo eo ipſo ponuntur errores: legi morali perfectam obedientiam praeſtari poſſe; praeſtantiora ac ſublimiora, quam quae lex praeſcribit, opera conſiliis euangelicis, ſeu, vero nomine, traditionibus humanis, contineri; conſiliorum horum obſeruatione ad ſummum peruenire perfectionis gradum, immo ſupererogationis opera praeſtari. Vberius conſiliorum Romanenſium

ἀγρα-

ἀγραφίαν et ἀντιγραφίαν demonſtrant CHEMNITIVS, *loc. th. part. II, de diſcrim. praecept. et conſil. p. 109, et ſeqq.* et GERHARDVS, *l. de euangelio, cap. 15, §. 85, ſeqq.* a quo etiam illa ſpeciatim, quibus BELLARMINVS, *de monachis, l. II, c. 9, et ſeqq. controverſ. t. II, p. 219, ſqq.* conſilia euangelica propugnat, argumenta refelluntur. Praeterea vero etiam BELLARMINVS, *de iuſtific. l. IV, c. 5, p. 524* et *de verbo D. lib. I, c. 3, §. 15, tom. I, p. 6,* nouis legibus, quas Chriſtus tulerit, ſacramentorum baptiſmi et ſacrae coenae annumerat inſtitutionem. At enimuero ſacramentorum, diuinitus inſtitutorum, ut ſint ſalutaria diuinae gratiae organa et media, quibus beneficia Chriſti omnibus offeruntur, et credentibus applicantur, alia prorſus, quam legum moralium, eſt ratio; neque adeo illorum inſtitutione Seruator legem Moſaicam moralem, quod pontificii volunt, reddidit perfectiorem.

Pontificio de Chriſto nouo legiſlatore errori addicti quoque ſunt *Sociniani, Arminiani,* aliique. Et Sociniani quidem, Chriſtum ad ſingula decalogi praecepta quaedam addidiſſe, hisque legem V. T. moralem perfeciſſe, tum vero etiam noua et prorſus ſingularia praecepta tradidiſſe, aiunt. Quae vero eo nomine in *Catecheſi Racouienſi, ſect. VI, c. 1 et 2, p. 80, ſeqq. edit. a. 1680,* adducuntur, non ſunt additiones, ad legem moralem per Chriſtum factae, ſed praeceptorum decalogi expoſitio-

nes, quibus verum et germanum illorum ſenſum Chriſtus explicauit, atque vindicauit; et quae pro nouis, ſeparatimque a Chriſto traditis, a Socinianis habentur praeceptis, decalogo virtualiter illa ipſa continentur, nullove modo Chriſtum nouum legiſlatorem fuiſſe, probant. Quae cum ita ſint, non opus eſt, vt ea, quae pro dicto errore tuendo Sociniani, ipſiſque ὁμόψηφοι Arminiani, SIM. EPISCOPIVS, STEPH. CVRCELLAEVS, et PHIL. A LIMBORCH., *theol. chriſt. l III, c. 16, p. 239*, afferunt, pluribus diſcutiamus. Vid. contra illos GERHARDVS, in *loco de euang. §. 72, ſeqq.* et SCHERZERVS, in *collegio anti-ſocin. p. 323, ſeqq.*

THESIS II

Lex diuina moralis regula eſt atque norma, ad quam renati vitam ſuam componere debent.

Vid. *Form. Conc. art. VI, epit. p. 594, ſeqq. declar. p. 717, ſeqq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Theſis haec tam clara et aperta, tamque manifeſtae eſt veritatis, vt nec explicatione, nec confirmatione opus habere videatur. Quandoquidem autem antinomi, ſpeciatimque ii, qui tertiae ſunt claſſis, le-

gem

gem ad renatos non pertinere, neque adeo illis proponendam eſſe, docuerunt; eamque ob rem vſum, quem lex renatis praeſtat, didacticum *Formulae Concordiae* auctores, ſingulari, qui *ſextus* eſt, articulo, contra illos aſſerere, inſtituerunt, ſingularem etiam de lege, renatorum agendi norma, proponendam eſſe duximus theſin. Plures, iique diuerſi, pro diuerſo hominum poſt lapſum ſtatu, legis ſunt vſus. Hinc, cum vel praefracti homines ſint peccatores, vel conuertendi, vel conuerſi, ſiue renati, triplicem legis vſum eſſe, *Formula Concordiae l. c.* docet. Primus, qui ad feros et indomitos homines ſpectat, in coercitione illorum conſiſtit, et *politicus* vocari ſolet, ratione finis, qui eſt diſciplinae externae et tranquillitatis publicae in ſocietate ciuili conſeruatio. Is ab apoſtolo ſignificatur, *1 Tim. I, 9, ſeq.* Alter in peccatoribus conuertendis ſeſe exerit, quippe quos lex, peccati in eis operando agnitionem, *Rom. III, 20; VII, 7*, terroreſque conſcientiae incutiendo, *Gal III, 10*, corde contritos reddit. Hicce legis vſus *elencticus* appellatur, iſque ſub ſe complectitur eum, qui *paedagogicus* dicitur; ſiquidem corde contritos lex, inſtar paedagogi, ad Chriſtum ducit, vt, per fidem in ipſum obtinendam, quaerant ſalutem, *Gal. III. 24.* Sequitur tertius, quoad renatos et conuerſos, legis vſus, *didacticus* qui ſpeciatim vocatur, in illorum vitae conſiſtens di-

fectione. Etenim legem diuinam moralem renatis et conuerſis regulam eſſe atque normam, ad quam omnes vitae ſuae rationes, quoad agenda pariter, atque fugienda, componere debent, cum ex ipſa illius cognoſcitur natura, et perpetua hominum ad eam obligatione, tum hac prorſus confirmatur ratione, quia lex, ut regula et norma viuendi, per euangelium haudquaquam eſt abrogata, *Matth. V, 17, ſeqq. Rom. III, 31;* quin potius diligentem illius obſeruationem fidelibus N. T. Chriſtus et apoſtoli omnibus iniunxerunt modis, *Ioh. XIII, 34; Gal. VI, 2; Iac. II, 8, et caet.* Accedunt grauiſſimae cauſae, propter quas legem Dei ſemper ſibi ob oculos poſitam habere debent renati; nempe vt, ſpiritui reluctantem, coerceant carnem; vt ſibi caueant ab ἐθελοθρησκείας; vt a perfectionis auocentur opinione. Quae cauſae in *Formulae Concordiae articuli VI declaratione, p. 719, et p. 722, ſeq.* vberius enarrantur.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Legem ad renatos non pertinere, neque adeo, vt normam agendi, iis proponendam eſſe, antinomi probaturi, ad locum *1 Tim I, 9,* prouocant, vbi PAVLVS, *iuſto legem poſitam non eſſe,* ait. Inique autem apoſtoli verba ad errorem ſuum detorquent, quippe quae non ἁπλῶς, ſed κατά τι accipienda eſſe, ex contextu clariſſime patet.

Nempe

Nempe iuſto, id eſt, per fidem iuſtificato, legem *οὐ κεῖται, poſitam, non eſſe*, apoſtolus dicit, quoad maledictionem, coactionemue; nequaquam vero legitimum legis vſum quoad renatos, in dirigendis actionibus illorum, negat, quin potius eundem, v. 8, et *Rom VII, 12*, confirmat. Conf. *Form. Conc. p. 718, ſq.* Perperam porro ex eo, quod renati *non ſub lege eſſe*, *Rom. VI, 14; Gal. III, 25*, dicuntur, arguunt, legem non regulam iis eſſe, normamque agendi; ſiquidem phraſis, *ſub lege eſſe*, idem notat, quod, legis obnoxium eſſe maledictioni. Hoc vtique modo renati non ſunt ſub lege, quod autem legem iidem obſeruare teneantur, apoſtolus, *Rom. VI, 15*, diſertis verbis docet. Egregie *Formula Concordiae, p. 728:* „renati nunquam quidem ſine „lege, et tamen non ſub lege, ſed in lege „ſunt, ſecundum legem Dei viuunt et ambu„lant, et tamen bona opera non ex coactione „legis faciunt.„ Renatorum bona opera *fructus* ſunt *Spiritus ſancti*, *Gal. V, 22; Eph. V, 9.* Hinc vero non id, quod antinomi volunt, ſequitur: renatorum opera haudquaquam ad legem, ſed ad euangelium pertinere. Etenim diſtinguendum eſt inter bona opera, ratione normae, formaliterque, et ratione cauſae efficientis, ſpectata. Quanquam igitur renati, Spiritus ſancti, in ipſis habitantis operantisque, gratia, ad bona opera ſponte libereque facienda ferantur; illa ipſa tamen opera,

 quae

quae Spiritus ſancti ſunt fructus, ad legis compoſita ſunt regulam atque normam.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT XI

DE SACRAMENTIS

SECTIO I

HISTORICA

I

Quem in finem a Deo inſtituta ſint ſacramenta, et quid ſalutarem illorum reddat vſum, *tertio et decimo* AVGVSTANAE CONFESSIONIS exponitur *articulo*; * in APOLOGIA autem de ſacramentorum numero agitur, et euangelica de ſalutari eorum vſu, in Confeſſione propoſita, doctrina declaratur. **

* *Auguſtanae Confeſſionis tertius et decimus articulus*, qui *de ſacramentorum* inſcribitur *uſu*, theſi conſtat et antitheſi. In theſi docetur *primo*, quem ad finem inſtituta ſint ſacramenta; duoque memorantur fines, cum ſecundarius, qui eſt ſymbolicus, hiſque ſignificatur verbis: *non modo, ut ſint notae profeſſionis inter homines, nicht allein darum, daſs ſie Zeichen ſeyn, dabey man aeuſſerlich die Chriſten kennen moege*; tum primarius, qui

qui ſequentibus denotatur verbis: *ſed magis, vt ſint ſigna, et teſtimonia voluntatis Dei erga nos*, et caet. *ſondern daſs es Zeichen und Zeugniſs ſind goettliches willens gegen uns, unſern Glauben dadurch zu erwecken, und zu ſtaercken.* *Secundo*, quid ſalutarem ſacramentorum reddat vſum, indicatur, idque fidem eſſe, affirmatur; *Itaque vtendum eſt ſacramentis, ita vt fides accedat*, et rel. In antitheſi, quae quidem in textu Germanico omiſſa eſt, cum in ipſa theſi contineatur, illi, qui ſacramenta ex opere operato, ſine fide, iuſtificare, docent, damnantur

Deſumtus eſt hic articulus ex octauo ſeptendecim articulorum, qui *Torgavienſes* dicuntur, in quo b. LVTHERVS, „Deum praeter verbum vocale, viſibilia etiam „ſigna, quae ſacramenta appellari ſoleant, inſtituiſſe, et „per haec, vna cum illo, fidem et ſpiritum ſuum offerre, „ac re ipſa conferre, et confirmare, „ docet. Sacramenta ibidem duo haec expreſſe nominat: *baptiſmum* et *eucharistiam.* In confeſſione variata, PHILIPPVS articulum XIII. non ſolum aliis plane propoſuit verbis, ſed etiam theſi haec addidit verba: „hac fide accipimus pro„miſſam gratiam, quam ſacramenta ſignificant, et ſpiri„tum. „ Perperam; ſi quidem verbum *ſignificare* eo accipiatur ſenſu, vt ſacramenta, nuda ſigna eſſe, intelligantur, non exhibitiua, ſeu efficacia gratiae media, per quae fides vel excitatur, vel confirmatur, et obſignatur. Textum authenticum Latinum, prout is in libro Concordiae exhibetur, cum prototypo non conuenire, ANDR. FABRICIVS, et LAVR. FORERVS falſo dicunt. Vid. *Apologia pupillae. euang. c. XXVII, p. 500.*

Pontificii theologi in confeſſionis, quam in comitiis Auguſtanis fabricarunt, confutatione, ea quidem, quae de finali ſacramentorum inſtitutionis cauſa in articulo XIII dicta ſunt, approbarunt; illa ipſa vero ad ſeptem Romanae eccleſiae ſacramenta referri voluerunt.

Ἐναντίως quidem rationem habere videtur, quod in articulo hoc dicitur: „ſacramenta ad excitandam fidem „in his, qui utuntur, eſſe propoſita;„ et „fidem re-

 „quiri

„quiri in vſu ſacramentorum, quae credat promiſſioni-„bus, quae per ſacramenta exhibentur.„ Sed facilis eſt vtriuſque aſſertionis conciliatio. Nec enim contradictoria haec ſunt: ſacramenta fidem gignere, et fidem medium eſſe, quo coeleſtia beneficia, in ſacramento oblata, apprehenduntur, et applicantur: ſiquidem ſimul et eodem temporis momento haec eſſe poſſunt. Nempe dum in infantibus per ſacramentum baptiſmi fides excitatur, (hi enim per baptiſmum fidem primum accipiunt,) excitata in ipſis fides ſacramenti gratiam amplectitur, ac per fidem adeo ſalutaris iiſdem redditur baptiſmi vſus.

** In *Apologia confeſſionis ad hunc articulum*, *p. 200*, *ſeqq.* primo ad pontificium de numerandis ſeptem ſacramentis reſpondetur poſtulatum, et quid de ſeptem Romanae eccleſiae ſacramentis ſtatuendum ſit, oſtenditur. Quandoquidem igitur vocis ſacramenti ante omnia conſtituendus eſt ſignificatus, vt, quid eo nomine in doctrina de ſacramentis denotetur, recte intelligatur, hancce, latiorem quidem eam, illam ipſam vero etiam ad coarguendum pontificiorum errorem idoneam, PHILIPPVS affert ſignificationem, qua ſacramenta vocantur: „*ritus,* „*qui habent mandatum Dei, et quibus addita eſt pro-„miſſio gratiae.*„ Ex hac igitur ſacramenti, ab aduerſariis admiſſa, deſcriptione, infert: „*vere eſſe ſacramenta,* „*baptiſmum, coenam Domini, abſolutionem, ſeu, ſacramentum poenitentiae*;„ ſacramentorum autem numero excludenda eſſe *confirmationem*, et *extremam unctionem*, quippe quae deſtituantur mandato Dei, itemque *matrimonium*, cum nec in N. T. primum inſtitutum illud ſit, nec promiſſiones habeat gratiae et remiſſionis peccatorum. De *ordine*, ſi quidem de miniſterio verbi is intelligatur, concedit, ſacramentum (latiore videlicet voce hac accepta ſignificatu,) illum poſſe vocari. Non omnia autem, quae habent mandatum Dei, et quibus additae ſunt promiſſiones, ſacramentis annumerari debere, orationis, eleemoſynarum, afflictionum allatis exemplis, ſub finem notat.

Atque

Atque hinc facile patet, perperam aduerſarios criminari, euangelicorum de binario ſacramentorum numero doctrinam contrariam eſſe Apologiae A. C. in qua tria, quatuorue numerantur ſacramenta. Enimuero in Apologia non de ſacramentis, ſtricte ſic dictis, quae duo tantum ſunt, ſed de ſacramentis, quae latiore ſignificatu ita vocantur, ſermo eſt, id agente PHILIPPO, vt, ex admiſſa horum κατ' ἄνθρωπον deſcriptione, adeoque ὑποθετικῶς, abſolutioni quidem, et quodammodo ordini, haudquaquam vero caeteris, quae Romanenſes baptiſmo et coenae Domini adiungunt; ſacramenti id nomen conuenire, oſtendat. Vere igitur cum LVTHERO, in *Catechiſmo maiore*, *p. 534*, duo ſacramenta, ab ipſo Chriſto inſtituta, baptiſmum et ſacram coenam, eſſe, affirmamus, nec ulla inter hanc aſſertionem, et PHILIPPI de tribus ſacramentis in Apologia pronuntiatum eſt ἐναντία, quippe quo ex [illegible] latioris vocis ſignificatus, abſolutio duobus ſtricte dictis additur ſacramentis, vt ipſa Apologiae verba clariſſime docent. Pluribus id, praeter caeteros, ediſſerit GODOFR. VVEGNERVS, in *diſpp. theol., quibus enantiophaniae, in libris ſymbolicis Lutheranis occurrentes, conciliantur, prima, pag. 1, ſeqq.*

Hinc porro in Apologia, id quod magis cognitu neceſſarium eſſe, dicitur, de ſalutari ſacramentorum agitur vſu, et ad hunc fidem requiri, demonſtratur, quae credat promiſſionibus, et res accipiat promiſſas, quae in ſacramento offeruntur; veritatique huic oppoſitus refellitur error doctorum ſcholaſticorum, qui docent, ſacramenta, non ponenti obicem, conferre gratiam ex opere operato, ſine bono motu utentis.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

Duo noui teſtamenti, ſtricte ſic dicta, ſunt ſacramenta: baptiſmus, et ſacra coena.

Vid. *Catech. mai.* LVTHERI *p. 534.*

Expoſitio.

In hac theſi rite exponenda, neceſſe eſt, ut primo de ſacramenti nomine, eiuſque ſignificatu agamus, tum vero ſacramentorum N. T., ſtricte dictorum, deſcriptionem numeri eorum definitioni praemittamus. Apud veteres quidem ſcriptores Latinos *ſacramenti* vox ius iurandum, praeſertim id, quo milites obſtringebantur, notat; itemque, ut VARRO, *de lingua Lat. lib. IV, c. 36, p. 42, edit. H. Steph.* docet, de pecunia uſurpatur, quae a litigantibus apud iudicem deponi debebat, eum in finem, vt, qui ſponſione, ſeu iudicio viciſſet, ſuum repeteret depoſitum, alterius vero cederet fiſco. De iis vero hic agendum eſt ſignificationibus, quibus ſacra ciuitate donatum vocabulum illud gaudet.

Vete-

Veteres igitur ſcriptores eccleſiaſtici, patreſque Latini, eo nomine denotare ſolent, cum rem quamuis ſacram et arcanam, tum ſignum ſeu ſymbolum rei coeleſtis, vel ſpiritualis: Vtraque hac notione vox ſacramenti in verſione vulgata μυστηρίῳ reſpondet, quod de arcanis chriſtianae religionis doctrinis, *Eph. I, 9; III, 3, 9; 1 Tim. III, 16;* et de myſticae inter Chriſtum et eccleſiam coniunctionis ſigno, *Eph. V, 32*, adhibetur. Vt alios, qui apud Patres occurrunt, quique a GERHARDO, in *loco de ſacramentis*, *c. I, §. 6, ſqq.* indicantur, taceam vocis huius ſignificatus; praecipuus, eccleſiaeque proprius eſt is, quo ritus ſacri, qui viſibilia conferendae, obſignandaeue gratiae euangelicae ſigna ſunt atque media, dicuntur ſacramenta. Ad baptiſmum ſacramenti nomen primus retulit TERTVLLIANVS, idque ob aliquam illius cum iure iurando militari conuenientiam. indeque factum eſſe, videtur, vt coena Domini quoque eo nomine coeperit appellari. Itaque vox ſacramenti dicto ſenſu vtique eſt eccleſiaſtica, non biblica; attamen cum res, quae illa ipſa ſignificatur, ſit biblica, et in ſacris litteris fundata, nomen illud, ab antiquo in eccleſia vſu receptum, et quo commodius eam in rem non datur, iure meritoque retinetur.

Tria vero ſunt, quae ſacramentum, proprie ſtricteque ſic dictum, conſtituunt, ac neceſ-

neceſſaria adeo illius ſunt requiſita: *primo*, vt ſit actio a Deo ipſo immediate inſtituta, et in Scriptura ſacra expreſſe mandata, vel ad vetus, vel ad nouum tantum pertinens teſtamentum; *ſecundo*, vt in debita elementi materialis, eiuſque diuinitus praeſcripti, diſpenſatione ea conſiſtat; *tertio*, vt per eandem gratia euangelica, ſeu gratia in euangelio promiſſa, remiſſio videlicet peccatorum, cum connexis beneficiis ſpiritualibus, conferatur, vel confirmetur, et obſignetur. Eſtque adeo ſacramentum, proprie et ſtricte ſic dictum, actio, a Deo mandata, et circa elementum aliquod viſibile occupata, per quam, accedente verbo inſtitutionis, gratia euangelica de remiſſione peccatorum ad vitam aeternam confertur, aut obſignatur. His poſitis, duo tantum N. T. ſtricte ſic dicta, ſacramenta eſſe, in theſi noſtra affirmamus, baptiſmum videlicet, et ſacram coenam.

Confirmatio.

Quae ad proprie ſtricteque dictum ſacramentum requiri, diximus, cum in baptiſmo et coena Domini, vere talibus citra controuerſiam ſacramentis, cuncta reperiantur, et ex his adeo, quodnam vere proprieque ſit ſacramentum, cognoſcatur, conſequitur, baptiſmum et ſacram coenam tantum

tum N. T. vera eſſe ſacramenta, cum praeter ea non ſit aliud quidquam, quod omnibus illis gaudeat requiſitis. Praeclare CHEMNITIVS, *exam. conc. Trid. part. II, loc. I, ſect. 1, §. 20:* „baptiſmus, inquit, et euchariſtia, „omnium confeſſione, vere et proprie ſunt „ſacramenta: inde igitur colligemus, quae „tanquam ſubſtantialia requirantur, vt aliquid vere et proprie ſit ſacramentum N. T. „Haec enim erit ſimpliciſſima et certiſſima „demonſtratio.„ Quanquam igitur ſacramentorum numerus numerans ſit ἄγραφος, tamen numerus numeratus eſt ἔγγραφος. Comprobatur is ipſe a theologis noſtratibus ex geminorum ſacramentorum, baptiſmi, et coenae dominicae, materia, quae ex latere Chriſti, in cruce pendentis, profluxit, *Ioh. XIX, 33;* ex *1 Ioh. V, 6, 8,* vbi per aquam et ſanguinem, quae cum ſpiritu, id eſt, miniſterio euangelii coniunguntur, eadem illa duo denotantur ſacramenta; itemque ex analogia ſacramentorum V. T., circumciſionis et agni paſchalis, quippe quorum in locum in N. T. baptiſmus et coena Domini ſucceſſerunt. Nec deſunt teſtimonia, quibus veteres eccleſiae doctores haec duo tantum vere proprieque N. T. ſacramenta eſſe, profitentur. Refert illa, et ab exceptionibus BELLARMINI vindicat GERHARDVS, in *loco de circumciſ. et agno paſch §. 58 et ſeq.*

AVT-

Ἀντιθέσεως confutatio.

De ſacramentorum numero praecipua nobis controuerſia eſt cum pontificiis, qui baptiſmo et euchariſtiae *confirmationem*, *poenitentiam*, *extremam unctionem*, *ordinem*, et *matrimonium* annumerant, ac ſeptem adeo vere proprieque noui teſtamenti eſſe ſtatuunt ſacramenta. Septenarium hunc ſacramentorum numerum, de quo, ad duodecimum vſque ſeculum, altum fuit ſilentium, PETRVS LOMBARDVS, Pariſienſis epiſcopus, *ſentent. l. IV, diſt. 2, edit. Lugd. a. 1593, p. 294*, ſuopte conſtituit arbitrio, iſque adeo primus in Romanam eccleſiam illum invexit. Teſtem habemus GE. CASSANDRVM, in *conſultat. de articulis relig. controuerſis, art. XIII, p. 80, edit. Helmſtad.* Add. P. F. LE COVRAYER, in *notis ad* P. SARPII *hiſt. conc. Trid. lib. II, §. 85, p. 426, ſqq.* In ſcholas inde receptus numerus iſte pro certo exploratoque in eccleſia Romana haberi coepit; tum vero patres Tridentini, ſynodi Florentinae, ſub EVGENIO IIII, R. P. quinto decimo ſeculo habitae, auctoritate, vt SARPIVS, *l. c.* refert, potiſſimum nixi, ſeptem ſacramentorum numero articuli fidei auctoritatem contra euangelicos aſſerere inſtituerunt, ac, *ſeſſione VII*, inter canones, quos de ſacramentis in genere, condiderunt, primum huncce de ſacramentorum N. T., a Chriſto ſcilicet inſtitutorum, vereque ac proprie talium,

liam, numero ſeptenario, propoſuerunt canonem: „Si quis dixerit, ſacramenta nouae „legis non fuiſſe *omnia a I. C. D. N. inſtituta*, „aut eſſe plura vel pauciora, quam *ſeptem*, „videlicet *baptiſmum*, *confirmationem*, *eucha-* „*riſtiam*, *poenitentiam*, *extremam vnctionem*, „*ordinem* et *matrimonium* aut etiam aliquod „horum ſeptem non eſſe *vere et proprie* ſa- „cramentum, anathema ſit.„ Conf. *Catechiſmus Romanus*. *part. II*, *p 120*. Quin etiam poſtea ſpeciatim de confirmatione, *can. I*, de poenitentia, *ſeſſ. XIV*, *can. 1*; de extrema vnctione, *ead. ſeſſ. can. 1, 2, 3*; de ordine, *ſeſſ. XXIII*, *can. 3*; de matrimonio, *ſeſſ. XXIV*, *can. 1*, idem anathema repetunt contra eos, qui haecce vere et proprie ſacramenta, a Chriſto inſtituta, eſſe, negant.

Quantopere autem ſeptenarius iſte, in eccleſia Romana receptus, et a concilio Tridentino ſub anathemate imperatus, ſacramentorum numerus veritati aduerſetur, quamque inanes ſint, quae, pro tuendo illo, doctores pontificii, horumque anteſignanus, ROBERTVS BELLARMINVS, afferunt, rationes, facili negotio demonſtrari poteſt. Haudquaquam, quod perperam nonnulli opinantur, de ſacramentorum numero inter nos et pontificios controuerſia ad λογομαχίας eſt referenda; cum non ad vocabulum πολύσημον, ſed ad res, quibus illud tribuitur, ea ſpectet, vereque ac proprie ſic dictis ſacramen-

mentis, quae efficacia gratiae ſpiritualis media ſunt viſibilia, a Chriſto in nouo teſtamento ordinata, pontificii annumerent, et eiuſdem generis eſſe velint ea, quibus minime omnium ea competit dignitas, auctoritaſque. Cum ex iis, quibus baptiſmus et ſacra coena, vera quae omnium confeſſione ſunt ſacramenta, gaudent, proprietatibus, veri ſacramenti, vt ſupra oſtendimus, diiudicanda ſit natura, per ſe patet, perperam eo loco, numeroque a pontificiis haberi quinque illa, quae modo dictis addunt, ſacramenta, vtpote quae vel verbo mandati, ſeu inſtitutione Chriſti, vel verbo promiſſionis euangelicae, per illa conferendae, obſignandaeue gratiae, vel elemento viſibili, diuinitus praeſcripto, vel cunctis eſſentialibus hiſce carent requiſitis.

Ita, vt de ſingulis ſigillatim, dicamus, *confirmatio* nec a Chriſto, nec ab apoſtolis inſtituta eſt; caerimoniaeque, in veteri eccleſia eo nomine introductae, in Romana ſuperſtitioſus ille ſucceſſit ritus, quo homo baptizatus vnguento, ex oleo et balſamo confecto, et certo anni die, certiſque formulis conſecrato, quod *chriſma* vocant, ab epiſcopo, pollice, ad figuram crucis, in fronte inungitur, his additis verbis: *ſigno te ſigno crucis, et confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, Filii, et Spiritus ſancti.* Omni omnino ritus iſte ſacrarum litterarum deſtituitur

nititur fundamento, abſoneque BELLARMINVS, Romanae eccleſiae inuentum hocce ſacramentum eſſe, probat ex more, in eccleſia apoſtolica vſitato, quo baptizatis, per manuum impoſitionem, abſque ullo chriſmate, non iuſtificans ſanctificanſque gratia, ſed dona Spiritus S. miraculoſa conferebantur. Confirmationis pontificiae ἀσυγγενοφίαν, praeter noſtrates theologos, egregie oſtendit, et adverſariorum pro illa rationes confutauit, tum vero etiam quam diuerſa ab hac fuerit, quae priſcis temporibus ritus eccleſiaſtici, non ſacramenti rationem habuit, confirmatio, demonſtrauit IOH. DALLAEVS, in *diſputatione de duobus Latinorum ex unctione ſacramentis, confirmatione et extrema, quam vocant, unctione, Geneuae a. MDCLIX. euulgata*,

Poenitentiam, quae, quatenus abſolutionis ritus ei coniungitur, ſacramentis a pontificiis additur, non vere proprieque noui teſtamenti eſſe ſacramentum, non ſolum ex eo, quod vtrique teſtamento illa eſt communis, ſed etiam cum maxime inde liquet, quod in ea eſſentiale deeſt requiſitum, elementum videlicet externum et viſibile: ſiquidem, ſecundum regulam AVGVSTINI, verbum accedere debet ad elementum, vt fiat ſacramentum. Incongrue Papiſtae impoſitionem manuum adducunt, quippe quae non in ſubſtantiae, ſed actionis eſt catego-

ria, nec ad abſolutionem diuſſitus praeſcri-
pta. In Apologia vbi abſolutio ſacramentis
annumeratur, hypothetice, ad latiorem vo-
cis ſacramenti habito reſpectu, et καταχρηστικῶς
id fieri, ſupra notauimus.

Extremam vnctionem, quae maxime ſuper-
ſtitioſus eccleſiae Romanae eſt ritus, a Chri-
ſto inſtitutam eſſe, ex ipſis ſcholaſticis
doctoribus nonnulli negant. Patres vero Tri-
dentini, *ſeſſ. XIV, de ſacramento extremae vn-
ctionis*, *cap. 1, et can. 1*, inſtitutionem [...]
Chriſto, promulgationem autem Iacobo
apoſtolo attribuunt. In loco hinc ira [...]
V, 14, 15, omne illius praeſidium [...]
„Hic habemus, BELLARMINVS, in [...]
„*extr. vnct. l. I, c. 2, p. 704*, ait, omnia [...]
„ad ſacramenti eſſentiam requiruntur [...]
„licet ſymbolum externum, promiſſio[nem]
„gratiae, et diuinam inſtitutionem [...]
„bolum externum eſt vnctio olei cum [ora-]
„tione fidei: promiſſio vero, alleuiatio [in-]
„firmi, et remiſſio peccatorum: inſti[tutio]
„autem colligitur ex hac tam conſtanti [pro-]
„miſſione apoſtoli. Neque enim apo[ſtolus]
„tam conſtanter et abſolute id promi[ſiſſet,]
„niſi Dominus id inſtituiſſet, et man[daſſet."]
At omnino Iacobaea vnctio modis o[mni-]
bus differt ab extrema eccleſiae Rom[anae]
vnctione. Illius finis ſanatio erat corpo[ris,]
[hu]ius finis animae eſt ſanatio. Illa [...]
[...] ſanitati, haec mori[...]

tantum deſtinatur. Illa extraordinarium fuit ſanandi donum, conf. *Marc. VI, 13;* haec pro ſacramento N. T. perperam venditatur. In Iacobaea vnctione cuncta, quae ad ſacramenti eſſentiam requiruntur, reperiri, nequicquam dicitur. Nam *ſymbolum* ſolum non ſufficit ad ſacramentum; nec oleum, ſed fides operabatur. *Promiſſio* ad ſanitatem corporis pertinuit; remiſſio autem peccatorum adſcribitur orationi. Conſtans denique apoſtoli promiſſio non *inſtitutionem* noui ſacramenti arguit, ſed mandatum fideliter orandi. Vid. SCHERZERVS, in *Anti Bellarmino, diſp. XIII, p. 618, ſeqq.* vbi extremae vnctionis ſacramentum pluribus coarguit, et DALLAEVS, qui, paullo ante laudato tractatu, extremam papiſtarum vnctionem, iudice SCHERZERO, *l. c. p. 615,* extreme iniunxit.

Ordo, quatenus praecipua eius ratio, *Conc. Trid. ſeſſ. XXIII, cap. I,* in ſacrificando conſtituitur, grauiſſimo errore, Chriſti attribuitur inſtitutioni, et, ob ſacram ordinationem, vere et proprie ſacramentum illum eſſe, *cap. III,* falſo pronuntiatur. Quod ſi autem de miniſterio verbi et ſacramentorum ordo intelligatur, diuina quidem is nititur inſtitutione, et, ſecundum Apologiam A. C. *p. 201,* ſacramentum, latiore videlicet vocis ſignificatu, appellari poteſt. Vere autem proprieque ille ipſe non eſt ſacramentum; ſiquidem

THESIS II

Sacramenta non modo ſunt notae profeſſionis inter homines, ſed magis ſigna, et teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui vtuntur, propoſita.

Vid. *Aug. Conf. art. XIII.*

Expoſitio, cum confirmatione et ἀντιθέσεως *confutatione.*

Sacramentorum, ratione *finis*, cuius cauſſa inſtituta ſunt, deſcriptio, ex confeſſione Auguſtana, hac theſi exhibetur. Quoad finem ſecundarium, *notae* ſunt *profeſſionis inter homines;* quippe quibus, tanquam notis, ſeu teſſeris, et tota eccleſia, et ſinguli eius membra ab infidelibus, itemque ab haereticis, ſacramenta deprauantibus, diſcerniuntur. Quoad finem primarium autem, ſeu eum, quem Deus, inſtituendo illa, cum maxime intendit, benigniſſimae *ipſius ergo nos voluntatis*, ſeu gratiae euangelicae, *ſigna ſunt, ac teſtimonia*, per quae fides vel excitatur, vel confirmatur. Itaque ſacramenta, quae, formali ſua ratione, *actiones* ſunt divini-

virtutis inſtitutae, finis et effectus intuitu, *ſigna* dicuntur, quia inviſibilis gratiae Dei in Chriſto viſibilia ſunt ſigna, ſeu *verbum viſibile*, quem ad modum ab AVGVSTINO, in *apologia, p. 201*, laudato, appellantur. Neque adeo ſigna ſunt *σημαντικὰ*, ſignificantia tantum, ſed *μεταδοτικὰ*, *exhibitiua*, vtpote quae gratiam Dei re ipſa conferunt, et fidem vel excitant, vel confirmant, et obſignant. Illud per baptiſmum fit in infantibus, hoc in adultis, verbo regenitis, per baptiſmum et ſacram coenam. Atque hoc ſenſu ſacramentis, in *XIII Aug. Conf. articulo*, ſignorum tribui nomen, ex *art. V*, et *VIII*, patet, vbi, *inſtrumenta*, per „quae Spiritus ſanctus, qui fidem efficit, „donatur; et *efficacia* gratiae media eſſe, di-„cuntur. Conf. *Apologia A. C. p. 267, et ſeq.* itemque, *p. 273.* Et vere quidem ſacramenta, efficacia gratiae evangelicae, ac fidei media et organa eſſe, claris, diſertisque ſacrarum litterarum teſtimoniis, *Marc. XVI, 16; Ioh. III, 5; Act. II, 38; XXII, 16; Eph. V, 26; Tit. III, 5; 1 Pet. III, 21*, etc. conſtat.

Maximopere igitur improbandi ſunt errores cum *Socinianorum*, quibus ſacramenta nihil aliud ſunt, quam caerimoniae eccleſiaſticae, aut ritus, ad profeſſionem fidei ſpectantes, quem ad modum SOCINVS, in *tr. de vſu et fine C. D. p. 88*, de illis pronuntiat; tum ZVINGLII, qui illa ipſa tantum

externa acceptae per fidem gratiae, vel iu
ſtitiae ſigna, et chriſtianae profeſſionis nota
quaſdam eſſe, docuit, quibus, apud homi
nes, fideles ab infidelibus diſcernantur, q
qui eo nomine canonem ſextum inter eos
qui ſunt de ſacramentis in genere, patre
Tridentini, teſte SARPIO, *l. c. p. 443.* oppo
ſuerunt; tum eiuſdem et CALVINI ſectato
rum, qui totam ſacramentorum eſſentiam
in ſignificando collocant, ac praecipuum ad
illum errorem ſuum, quo elementis in ſa
cra coena, pani et vino euchariſtico, vi
ſignificatiuam tantum attribuunt, ad ſacra
menta in genere transferentes, formam illo
rum in ſola analogia ſigni ad ſignatum con
ſiſtere, ſtatuunt, eaque gratiae regenerantis
iuſtificantis, et ſaluantis, conferendae, a
fidei donandae organa eſſe, negant. Gra
viſſimum iſtum Caluinianorum errorem, prae
ter caeteros, pluribus confutauit SCHER
ZERVS, in *collegio anti-Caluiniano*, *pag.*
et ſeqq.

TH

THESIS III

Ad ſalutarem ſacramentorum vſum requiritur fides.

Vid. *Aug. Conf. art. XIII, et Apol. ad h. a. p. 203, ſeq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Quanquam ſacramenta efficacia gratiae regenerantis, iuſtificantis et ſaluantis media ſunt atque inſtrumenta, vt in praecedente expoſitum eſt theſi, tamen non ex opere operato hancce conferunt gratiam, ſed ad recipiendam eam, neceſſe eſt, vt in iis, qui ſacramentis vtuntur, adſit fides. Haccce igitur theſi, ſcholaſticis, ſacramenta ex opere operato gratiam conferre, docentibus, a confeſſoribus noſtris vere oppoſita, nequaquam ſacramentorum virtus et efficacia, quae a Dei auctoris inſtitutione, potentia et operatione vnice dependet, noſtrae adſcribitur fidei, ſed ſacramentorum vſum fide ſalutarem nobis reddi, affirmatur. Firmiſſimis autem aſſertio haec nititur ſacratum litterarum teſtimoniis. Huc pertinent cum ea dicta, quae vel explicite, vel implicite, fidem requirunt ab illis, qui fructus ſacramentorum participes fieri cupiunt, *Marc. XVI, 16; Act. VIII, 36, ſeq. II, 38; 1 Cor. XI, 28, 29,*

 etc.

etc. tum illa, quae iuſtificationis gratiam non, niſi per fidem, nos conſequi, docent, *Rom. I*, *17*; *IV*, *3*, *11*, etc. Sacramenta certe prodeſſe nobis nequeunt, niſi promiſſiones, quae iiſdem continentur, fide, quae vnicum apprehenſionis eſt medium, accipiamus, nobiſque applicemus. Vid. *Apologia*, *p 203*. Aſſertionem noſtram comprobant veteres eccleſiae doctores, eoque nomine ſpeciatim AVGVSTINVS, *l. c. p. 204*, laudatur. BELLARMINVS quidem, *de ſacramentis lib. II*, *cap. 10*, *p. 77*, id, quod in Apologia refertur, pronuntiatum: „fidem ſacramenti, non ſa„cramentum, iuſtificare:„ perperam tribui AVGVSTINO, nihilque eiuſmodi expreſſis verbis illum dicere, ait. At enimuero licet verba illa apud AVGVSTINVM, διαῤῥήδην non legantur, ſententiam tamen eius, quam plurimis in locis, in quibus de ſalutari ſacramentorum fructu agit, a GERHARDO, in *loco de ſacram.* *§. 85*, collectis, ab ipſo declaratam, eadem illa exhibent, nec alia ratione in Apologia adducuntur. Conf. CARPZOVIVS, in *iſagoge p. 415*.

Ἀντιθέσεως notatio.

Euangelicam de fidei ad ſalutarem ſacramentorum vſum neceſſitate doctrinam b. LVTHERVS, ſub ipſum reformationis initium, in lucem reuocauit, et contra ſcholaſticorum de ſacramentis, ex opere operato

rato, ſine fide, iuſtificantibus, errorem defendit. Hunc nimirum ſcholaſtici doctores in eccleſiam inuexerunt errorem, ſacramentorum effectum obtineri per *opus operatum*, id eſt, per ſacramentum adminiſtratum, ſeu, barbaro ſtilo ipſorum, operatum, ſine bono motu vtentis, vique adeo actionis ſacramentalis gratiam homini conferri, quemadmodum vi medicamenti aegroto ſanitas, vi ignis aeri calor conferatur. Operi igitur operato ſacramentorum gratiam ita ſcholaſtici adiudicarunt, vt, ex ipſorum ſententia, ex ſcriptis eorum a CHEMNITIO, *exam. C. Trid. P. II, loc. 1, ſect. 9, p. 300, ſeqq.* expoſita, neque adeo a confeſſoribus noſtris, vt pontificii quidam criminantur, per calumniam eis affictа, ad gratiam illam percipiendam fides in vtente non requiratur. Nec ab iſta ſcholaſticorum ſententia re ipſa diuerſa eſt, quam de opere operato Romanenſes hodieque profitentur, doctrina, quo demum cunque modo illam inſtituant ornare. Concilii Tridentini de opere operato ſententia, *ſeſſ. VII can. 8*, his proponitur verbis: „Si quis „dixerit, per ipſa nouae legis ſacramenta *ex* „*opere operato* non conferri gratiam, ſed ſo„lam fidem diuinae promiſſionis ad gratiam „conſequendam ſufficere, anathema ſit.„ Ita nimirum ſophiſtice, fallaciterque patres Tridentini canonem hunc informarunt; quippe quo id tantum negari videtur, fidem

ſolam

ſolam ſufficere ad gratiam conſequendam; ita vt per ſacramenta illa non conferatur: admitti vero, fidem in ſacramentorum vſu adeſſe debere. Hoc autem Tridentinos haud quaquam largiri, ex eo facile intelligi poteſt: quod ad euangelicorum ſententiam, quae tamen falſiſſime refertur, condemnandam, canon iſte ſit comparatus. Vid. CHEMNITIVS, *l. c. p. 302.* Eum vtique in modum doctores pontificii, ſacramenta ex opere operato gratiam conferre, docent, vt ex parte vtentis non requiratur fides, quae tamen organon illud eſt, quo ſacramentorum gratiam apprehendimus, nobiſque applicamus. Pontificiorum hanc eſſe doctrinam, pluribus documentis comprobauit SCHERZERVS, in *Anti Bellarmino, diſp. IX, th 3, p. 472, ſqq.* Ipſe quidem BELLARMINVS, *de ſacram l II, cap. I, p 83,* „ſacramentum ex opere operato gratiam conferre, „idem eſſe dicit, quod conferre gratiam ex „vi ipſius actionis ſacramentalis, a Deo ad „hoc inſtitutae, non ex merito agentis, vel „ſuſcipientis;„ fidem autem, vt diſpoſitionem ex parte ſubiecti, eo ipſo excludi, negat. Sed fucum facit BELLARMINVS. Quodſi eo, quo ipſe exponit, ſenſu opus operatum acciperent pontificii, quatenus nimirum agentis, ſuſcipientiſque *merito* opponitur, nec eo ipſo fidem, quatenus illa neceſſarium gratiae, quae per ſacramenta exhi-

exhibentur, apprehendendae medium eſt, atque inſtrumentum, excluderent, nulla de re ipſa inter nos et ipſos eſſet controuerſia. At enimuero non ſolum in infantibus fidem ad ſalutarem baptiſmi vſum requiri, negant, ſed etiam per fidem, quam, vt diſpoſitionem in adultis, qui ſacramentis vtuntur, adeſſe debere BELLARMINVS dicit, hiſtoricam intelligunt fidem, ſeu eam, quam, vt in Apologia quoque, *p. 203*, notatur, in generali conſtituunt aſſenſu, non ſpecialem, quae in fiduciali promiſſionis gratiae, quae in verbo euangelii et ſacramentis offertur, apprehenſione conſiſtit, quaeque vnicum et ſalutare illud eſt organon, per quod euangelicorum beneficiorum reddimur participes, ſuamque etiam efficaciam ſacramenta in nobis exerunt ad ſalutem aeternam. Conf. GERHARDVS, *l. c. §. 86, p 459.* Realis igitur in hac doctrina inter nos et pontificios omnino eſt diſſenſus, operamque in eo tollendo, more ſuo, luſit IO. FABRICIVS, in *conſideratione controuerſiarum, quae euangelicos inter et romano catholicos, reformatoſque agitantur, p. 59, ſq.*

CAPVT

(***) In *articulo quinto partis tertiae* ARTICVLORVM SMALCALDICORVM, *p. 329*, baptiſmus primo deſcribitur, ita vt in verbo Dei, cum aqua coniuncto, Sacramenti huius, ſecundum inſtitutionem diuinam, ratio conſtituatur. Sic enim authentici textus Germanici verba habent: „*die Tauffe iſt nichts anders, denn Gottes wort im waſſer, durch ſeine einſetzung befohlen,* „*oder, wie* S. PAVLVS *ſagt, Eph. V,* lauacrum in uerbo.„ AVGVSTINI huc etiam refertur dictum: „accedat verbum ad elementum, et fit ſacramentum.„ Poſt haec cum THOMAE et Dominicanorum, tum SCOTI et Franciſcanorum, de baptiſmi vi et efficacia, vnde illa pendeat, notantur errores. In fine, euangelicae de paedobaptiſmo doctrinae veritas eadem, qua in Apologia, ſtabilitur ratione. Latinus interpres prima articuli huius verba ita reddidit: „baptiſmus nihil eſt aliud, „quam verbum Dei cum *merſione in aquam.*„ Quae de immerſione is addidit, authentico haudquaquam tribuenda ſunt textui, adſperſioniſque aquae in baptiſmo, eadem omnino cum merſione in aquam, in vetere eccleſia vſitata, eſt ratio.

(****) In CATECHISMO LVTHERI MINORI, *p. 376 et ſeqq.* doctrina de baptiſmo eo, qui catechumenis inſtituendis conuenit, traditur modo; ac *primo*, quid ſit baptiſmus, et quis eum inſtituerit, *ſecundo*, qua is valeat efficacia, *tertio*, vnde illam habeat efficaciam, et quid ad percipiendam eam requiratur, *quarto*, quid per immerſionem in aquam, ad veteris eccleſiae ritum habito reſpectu, ſignificetur, in reſponſionibus ad quatuor illas quaeſtiones, breuiter, ſimpliciterque exponitur, ac ſingulae reſponſiones ſacrarum litterarum dictis confirmantur. Ad primam quaeſtionem vbi reſpondetur: „*die Tauffe iſt nicht allein ſchlecht waſſer, ſondern ſie iſt* „*das waſſer, in Gottes gebot gefaſſet, und mit Gottes* „*wort verbunden;*„ facile intelligitur, non acroamaticam, ſed popularem, et ad captum plebis accommodatam his verbis tradi baptiſmi definitionem. Ad obie-

rum nimirum, circa quod actio verſatur, ſeu materiam, habito reſpectu, baptiſmus a LVTHERO ita deſcribitur, vt ſacramentum eſſe intelligatur, in quo non ſimpliciter aqua, ſed aqua, verbo Dei mandata, et cum verbo Dei coniuncta, adhibetur. Conf. CARPZOVIVS, in *iſag. p. 1085, ſeqq.*

In CATECHISMO MAIORI, *p. 534, ſqq.* LVTHERVS non ſolum ea, quae in minori de diuina baptiſmi inſtitutione, materia, fructu et effectu, pro inſtituti ratione, breuiter, ſimpliciterque dicta ſunt, ampliſſimo commentario illuſtrauit, ſed etiam de ſubiecto, aliiſque bene multis, quae ad curatiorem ſacramenti huius notitiam pertinent, egit, et totam adeo de baptiſmo doctrinam ſingulari ſtudio explicauit, demonſtrauit, et contra aduerſarios defendit. Δυσνόητον, quod *p. 545*, occurrit, vbi, „nobis non ſummam vim in hoc ſitam eſſe, dicitur, num „ille, qui baptizatur, credat, nec ne?„ facilem habet explicationem. Nam LVTHERVS, contra Anabaptiſtas diſputans, de baptiſmi loquitur eſſentia, non de ſalutari eius vſu. Quam in ſententiam in ſequentibus verbis ait: „Quanquam pueri non crederent, *quod nullo modo* „*affirmandum eſt*, tamen baptiſmus verus eſſet, neque „quiſquam eos rebaptizare debet.„

SECTIO II
THETICO ELENCTICA

THESIS I

Baptiſmus, primum noui teſtamenti ſacramentum, actio eſt, a Deo et Seruatore noſtro, IESV Chriſto, inſtituta, qua, per aquam, cum verbo Dei con-

CAPVT XII
DE BAPTISMO

SECTIO I
HISTORICA

Duo cum ſint noui teſtamenti, vere proprieque ſic dicta, ſacramenta, initiationis alterum, alterum confirmationis; de vtroque in libris noſtris ſymbolicis eccleſiarum euangelicarum exponitur doctrina. De baptiſmo primum id fit in *articulo nono* AVGVSTANAE CONFESSIONIS, (*) *eiuſque* APOLOGIA, (**) deinde in ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *partis tertiae articulo quinto*, (***) tum maxime in VTROQVE CATECHISMO LVTHERI. (****)

(*) *Auguſtanae confeſſionis articulus nonus*, qui eſt *de baptiſmo*, duabus conſtat partibus, theſi et antitheſi. In theſi euangelicorum ſummatim refertur doctrina de baptiſmi neceſſitate, de illius effectu, et de infantibus baptizandis. In antitheſi, Anabaptiſtarum damnantur errores. Exceptus eſt articulus hic ex nono ſeptendecim LVTHERI articulorum, Torgavienſes qui dicuntur. Germanicum inter et Latinum textum, vt in caeteris articulis omnibus, reale nullum eſt diſcrimen. Conf. *Apologia pupillae euang. c. XXIX, p. 527, et ſeqq.*

Supp. In confeſſione variata PHILIPPVS primis ſtatim verbis: „quod (baptiſmus) ſit neceſſarius ad ſalutem,„ addidit: „tanquam *ceremonia*, a Chriſto inſtituta.„ Et ad ea, quae de pueris, ſeu infantibus, qui nomine illo deſignantur, baptizandis dicuntur, adiecit: „quod infantes, per baptiſmum *Deo commendati*, recipiantur „in gratiam Dei, „ etc. Additiones hae, a PHILIPPO temere factae, eo magis improbandae ſunt, quod Calviniano de baptiſmo errori fauere videantur: ad quem etiam priorem illam A. FABRICIVS, *harm. p. 223*, et ex ipſis Reformatis HENR. ALTINGIVS, in *exeg. A. C. p. 63*, retulerunt.

Nonum germanae confeſſionis articulum, quo baptiſmum neceſſarium eſſe ad ſalutem, et infantes baptizari debere, docetur, prorſus approbarunt, et anabaptiſtas, hominum genus ſeditioſiſſimum, recte in eo damnari, adnotarunt theologi pontificii, confeſſionis noſtrae, a Caeſare CAROLO et ſtatibus imperii Rom. catholicis in comitiis Auguſtanis delecti, cenſores. ANDR. FABRICIVS, et caeteri, quorum ille iudicia in harmonia ſua refert, cum in articulo hoc notandum nihil inuenerint, vt aliquid dixiſſe videantur, vel a re aliena, vel iniquiſſimas de anabaptiſticae haereſeos, a LVTHERI doctrina repetenda, origine, proferunt criminationes.

(**) In A. C. APOLOGIA ad hunc articulum *p. 156. et ſq.* a dictis cenſoribus approbatum illum fuiſſe, primo refertur; deinde, quantopere eccleſiae euangelicae ab impia et ſeditioſa anabaptiſtarum factione abhorreant, et cum caeteros illorum errores, tum eum, quo paruulorum baptiſmum inutilem eſſe ſtatuant, deteſtentur et damnent, ſignificatur, tum vero etiam paedobaptiſmus eo maxime argumento, quod promiſſio ſalutis, quae cum baptiſmo offertur, ad infantes quoque pertineat, confirmatur. Quod additur, „promiſſionem ſalutis non pertinere „ad illos paruulos, qui ſunt extra eccleſiam Chriſti, vbi nec „verbum, nec ſacramenta ſunt,„ de ſpeciali ſalutis promiſſione, ſeu ordinaria, certiſque mediis alligata, infantes ſaluandi, voluntate Dei eſt accipiendum.

(***) In

miniſterii ſui in his terris tempore, diſcipulos ſuos baptizandi officio praefecit, *Ioh. IV, 1, 2,* ſed etiam cum maxime, poſt reſurrectionem ſuam, apoſtolis, eccleſiam per vniuerſum terrarum orbem plantaturis, mandauit, vt omnes, quotquot regni ſui ciues futuri eſſent, baptiſmo initiarent, eiuſque rite adminiſtrandi rationem praeſcripſit, *Matth. XXVIII, 19.* Speciatim adeo Chriſtus, Seruator noſter, ſecundum vtramque naturam, efficiens ſacramenti baptiſmi eſt cauſa.

Baptiſmus, *materialis*, *formaliſque* ſui ratione ſpectatus, conſiſtit in adſperſione aquae, vel immerſione in aquam, cum verbo inſtitutionis coniuncta recitatione. *Elementum* ſacramenti huius viſibile eſt *aqua*, vera videlicet et naturalis, ſiue fluuialis ſit, ſiue fontana, frigida, calidaue. A Deo elementum hoc eſſe ordinatum, patet cum ex baptiſmo protobaptiſtae, qui aqua vera et naturali baptizauit, *Matth. III, 6, 11; Ioh. I, 26, 28, etc.* idque ex praeſcripto et mandato diuino, miſſus nimirum a Deo, ad baptizandum *aqua*, *Ioh. I, 33:* tum ex baptiſmo apoſtolorum, qui aqua itidem baptizarunt, *Act. IIX, 36; X, 47;* eoque, Dominum id ipſis praecepiſſe, declararunt. Materia haec ſacramenti baptiſmi confirmatur cum Seruatoris noſtri *de regeneratione ex aqua et ſpiritu* effato, *Ioh. III, 5;* tum PAVLI dicto, quo

baptiſmus λουτρὸν τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, *lauacrum aquae in verbo*, appellatur, *Eph. V, 26.*

Ad *modum* baptizandi aqua quod attinet, cum verbum βαπτίζειν de ablutione, hoc illoue ea fiat modo, vſurpetur, nec, an per *aſperſionem*, *immerſionemue* baptiſmus peragi debeat, in eius definitum ſit inſtitutione; ac proinde vterque modus ἀδιαφόρου habeat rationem; aſperſio, in eccleſias occidentis, ſeculo circiter octauo, nonoue, ſonticas ob cauſas, inuecta, quam vero etiam, praeter immerſionem, in eccleſia primitiua vſitatam fuiſſe, idoneis rationibus comprobatur, in baptiſmi adminiſtratione legitime omnino adhibetur. Pluribus hac de re agere, et, quae cum ii, qui pro immerſione pugnant, tum illi, qui aſperſionem defendunt, afferre ſolent, argumenta expendere, non opus eſſe arbitramur; cum vterque baptizandi modus aequo gaudeat iure, et ex his adeo ille, qui in eccleſia vſu receptus eſt, ſit ſervandus. Eccleſiae quoque inhaerendum eſt conſuetudini, quoad trinam aſperſionem, diuino haud ſancitam mandato, praeſcriptae autem a Chriſto baptiſmi formulae congruam, perſonarumque trinitatis confeſſioni accommodatam.

Cum aqua in baptiſmo coniunctum eſt *verbum Dei*, quippe quod ſacramentalem regenerandi ſaluandique vim tribuit aquae, atque adeo vna cum hac ſalutare hocce con-

conſtituit ſacramentum; quem ad modum LVTHERVS, in *artic. Smalcald.* et *vtroque catechiſmo*, docet. Verbum autem, quod altera ſacramenti baptiſmi pars eſt eſſentialis, ſpeciatim verbum eſt inſtitutionis, quo homo baptizatur *in nomine Patris, Filii, et Spiritus ſancti*. Sunt inter noſtrates theologos, qui, eo quod in euchariſtia cum materia terrena coeleſtis materia ſacramentaliter vnita eſt, in baptiſmo etiam rem ita ſe habere, ſtatuunt; non vno autem iidem modo, quaenam cum aqua in baptiſmo ſacramentaliter vnita ſit res coeleſtis, definiunt, et alii quidem verbum, alii totam ſacroſanctam Trinitatem, alii ſanguinem Chriſti, alii Spiritum ſanctum eo loco habent, nonnulli ſingula haec coniungunt. Quicquid autem ſit de ſacramentali, quae in quaeſtione eſt, materiae terrenae et rei coeleſtis in baptiſmo vnione, id certum eſt indubitatumque, S. S. Trinitatis, ſpeciatimque Spiritus ſancti, gratioſa praeſentia et operatione, et ſanguinis Chriſti merito, baptiſmum ſanctificari, ac per ipſum inſtitutionis verbum, coeleſti, qua gaudet, donari virtute. Hincque adeo per ſe patet, verbum inſtitutionis, in adminiſtratione baptiſmi, aquae adſperſioni neceſſario eſſe addendum; ac, prout Seruator id praeſcripſit, ſine vlla immutatione, recitari debere. Haudquaquam enim, quod quidam opinantur, pro formula baptizandi *in nomi-*

nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti, quae firmiſſimo mandati Chriſti, *Matth.* XXVIII, 19, nititur fundamento, alia, eodem cum illa ſenſu, adhiberi poteſt verborum forma. Gratis eam in rem prouocatur ad locos: *Act. II, 38; VIII, 16; X, 48*, vbi apoſtoli baptizaſſe dicuntur *in nomine*, et *in nomen* IESV *Chriſti*. Neque enim his in locis baptiſmi, qua vſi fuerint apoſtoli, formula refertur, ſed cuius mandato, et quem in finem illi baptizauerint, indicatur.

Effectus, idemque *finis* baptiſmi, eſt regeneratio, cum iuſtificatione, renouatione et ſaluatione coniuncta. Et infantes quidem per baptiſmum regenerantur, id eſt, viribus credendi donantur, tum vero, excitata in eis fide, bonorum omnium regni coelorum participes redduntur: adulti vero qui euangelii verbo regenerati ſunt, per baptiſmum fidei confirmationem, et coeleſtium bonorum, quae ad vere credentes pertinent, obſignationem conſequuntur. Regenerationis medium eſſe baptiſmum, et per hunc illam effici, Seruator noſter clariſſimis verbis docet, *Ioh. III, 5*; itemque apoſtolus, qui baptiſmum *lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus ſancti* appellat, *Tit. III, 5*. Luci tenebras offundunt, qui dicta haec, abſone, et contra omnes legitimae interpretationis regulas, ita exponunt, vt ne, de baptiſmo illa loqui, intelligantur; id quod

ὑποθέσεως χάριν, non Socimiani ſolum, ſed Reformati etiam faciunt doctores. Regeneratio autem, quae per baptiſmum confertur, ſub ſe complectitur remiſſionem peccatorum, *Act. II, 38;* confoederationem cum Deo, *1 Petr. III, 21;* adoptionem in filios Dei, *Gal. III, 26, 27;* ſanctificationem, *Tit. III, 5; Eph. V, 26;* ipſamque ſalutem aeternam, *Ioh. III, 5; Marc. XVI, 16; 1 Petr. III, 21.*

Errorum notatio.

Inter errores, theſi noſtrae oppoſitos, praecipuum locum tenet is, quo ſacramento baptiſmi ea, quam ex inſtitutione divina habet, efficacia denegatur. *Caluiniani*, qui ſacramenta pro ſignis habent, quae gratiam tantum ſignificent, ac praeter ea nihil operentur, de baptiſmo ſpeciatim idem illud profitentur, eumque efficax gratiae diuinae organon et medium, quod regenerationem et ſalutem operetur, haudquaquam eſſe, ſtatuunt, ac proinde etiam illius ad ſalutem neceſſitatem negant. CALVINI, BEZAE, PISCATORIS, VRSINI, et compluriumaliorum, quae Caluinianam hanc de baptiſmo ſententiam exhibent, pronuntiata adduxit SCHERZERVS, in *collegio anticaluiniano, p. 465. ſqq.* Diſertis ſacrarum litterarum, quibus baptiſmo regeneratio, renouatio, ſalutiſque operatio attribuitur, dictis alienum illos affingere

gere ſenſum, paullo ante notauimus. Nempe in verbis Seruatoris, *Ioh. III, 5,* quibus ille per *aquam* et *Spiritum* initiationis in N. T. ſacramentum deſignat, natiuae vocabuli *aquae* notioni metaphoricam ſubſtituunt ſignificationem, quam ipſam vero diuerſis iisdem explicant modis. Ad incongruas eorum interpretationes et illa pertinet, qua FRID. LAMPE, in *commentar. in Euangelium Ioh. t. I, p. 565, ſeq.* de obedientia Chriſti aquam exponit. Pari modo rem inſtituunt in dictis, quibus baptiſmus *lauacrum*, quo regeneramur et renouamur, appellatur, *Tit. III, 5; Eph. V, 26*, peruertendis. Inepte autem Caluiniani arguunt, baptiſmo non regenerari, ſaluarique hominem, eo quod gratiae Dei, merito Chriſti, verbo euangelii, itemque fidei, regeneratio et ſalus noſtra in ſacris litteris adſcribatur. Nec enim per cauſam regenerationis et ſalutis efficientem principalem, ac meritoriam, nec per alterum regenerationis, quoad adultos, medium, nec per apprehenſiuum ex parte noſtra organon, inſtrumentalis, per quam Deus regenerationem in infantibus operatur, excluditur cauſa, baptiſmi videlicet ſacramentum. Ineptum itidem eſt, quod ab aqua elementari, aduerſus ſpiritualem aquae baptiſmi, cum verbo Dei coniunctae, virtutem, iidem ducunt, argumentum. Hanc porro ex falſo illo impugnant dogmate ſuo,

quo infantes nec credere, nec fidei capaces eſſe, ſtatuunt, indeque per baptiſmum eos non regenerari, aiunt. Nempe ex eo, quod fides reflexa, quae rationis ſupponit vſum, infantibus non competit, perperam iiſdem fidem denegant directam, quam Spiritus ſancti operatio ſingulari in eis efficit modo, quaeque in Scriptura ſacra, *Matth. XVIII, 6*, etc. ipſis adiudicatur. Alia ad euertendam infantum per baptiſmum regenerationem comparata illorum eſt aſſertio, qua liberos fidelium ſanctos naſci, et in foedere gratiae ante baptiſmum eſſe, aiunt. Aſſertionem hanc pluribus refellere, non opus eſt, quippe quae ſacrarum litterarum, de inhaerente omnibus hominibus, ſecundum naturam propagatis, peccato originis, doctrinae, quem ad modum, *cap. IV, ſect. 2, th. III*, oſtendimus, ac Seruatoris noſtri effato, *Ioh. III, 5, 6*, directe aduerſatur.

Eundem cum Caluinianis errorem profitentur, et baptiſmum regenerationis medium eſſe, negant *Sociniani*, in *catecheſi Racouienſi*, *ſect. VI*, *cap. 3*, *de baptiſmo aquae*, *edit. recogn. p. 120*; iiſdemque ὁμοψήφους ſe praebent *Arminiani*, *Anabaptiſtae*, *fanatici*, *Quackeri*, infeſto illi omnes animo ſacramenti huius efficaciae aduerſantes.

Pontificii nullos quidem, theſi noſtrae directe oppoſitos, profitentur errores, hic tamen, praeter id, quod in ἐκθέσει notauimus,

mus, de baptiſmi IOHANNIS, τοῦ πρωτοβαπτιστοῦ, et baptiſmi Chriſti diuerſa ratione, Tridentini concilii decretum, ſequentia eiuſdem referri poſſunt pronuntiata: (1) infantes actuali deſtitui fide, *ſeſſ. VII, de baptiſmo, can. XIII;* (2) baptiſmi efficaciam ſe non extendere ad futurum, *ib. can. X;* contra quae vid. CHEMNITIVS, in *exam. part. II, loc. 2. p. 337, et 330, ſeqq.* et SCHERZERVS, in *anti-Bellarmino, diſp. X, p. 493, et 503, ſqq.* (3) baptiſmum in anima imprimere characterem indelebilem; quod ſcholaſticorum commentum ad confirmationem etiam et ordinem refertur, *ſeſſ. VII, de ſacram. in gen. can. IX;* (4) in baptiſmo tolli totum id, quod verum et propriam peccati rationem habeat, ſiue, peccatum originis per baptiſmum, non quoad formale, reatumue ſolum, ſed etiam quoad materiale, tolli, ita vt remanens in renatis concupiſcentia non vere proprieque ſit peccatum, *ſeſſ. V, c. V;* quam quidem aſſertionem ex inſtituto confutauimus, *inſtitutionum harum cap. IV, de peccato, th. V.*

THESIS II

Baptiſmus omnibus hominibus natis ad ſalutem eſt neceſſarius; ac proinde infantes etiam ſunt baptizandi.

Vid. *Aug. Conf. art. IX.; Apolog. p. 156; art. Smalc. P. III, a. 5, p. 329; Catech. mai. p. 544. ſeqq.*

Expo-

Expoſitio, cum βεβαιώσει.

Quanquam ex baptiſmi, quem praecedente theſi expoſuimus, et contra aduerſarios defendimus, effectu, ad ſalutem neceſſarium illum eſſe, ſatis intelligitur, peculiariter tamen de eius agendum eſt neceſſitate, ad quam adeo declarandam, et ad demonſtrandum, qui ea nititur, paedobaptiſmum, haec comparata eſt theſis. Neceſſarius eſt baptiſmus, cum neceſſitate mandati, tum neceſſitate medii. Mandati neceſſitas patet ex verbis Saluatoris, *Matth XXVIII, 19*, quibus omnes, eccleſiae ſuae inſerendos, baptizari, iuſſit. Mandatum autem hoc ad paſſiuum aeque, ac ad actiuum pertinet baptiſmum. *Act. II, 38.* Medii ad ſalutem neceſſitatem, ipſius etiam Seruatoris noſtri effatum, *Ioh. III, 3.* indubitatam reddit. Conf. *Marc. XVI, 16.* Neque vero ita abſolute ad ſalutem neceſſarius eſt baptiſmus, vt ii, qui praeter culpam ſuam, illo priuantur, damnentur; ſed neceſſitas eius poſſibilitatem ſupponit. Itaque infantes, in vtero matris extincti, cum, non nati, renaſci etiam baptiſmo non potuerint, itemque ii, qui, morte praeventi, ἀβάπτιστοι moriuntur, nequaquam damnantur. Recte AVGVSTINVS: „non priuatio, „inquit, ſed contemtus ſacramenti damnat. Qui, abſque ulla culpa ſua, ordinarii huius

gra-

gratiae medii participes fieri nequeunt, procul dubio, per extraordinariam Dei gratiam, regenerantur, ſaluanturque. Conferantur ad *Auguſtanae Confeſſionis articulum II, inſtitutionum cap. IV, p. 201, ſeq.* a nobis dicta, vbi Confeſſorum verba de baptiſmi ad ſalutem neceſſitate ordinata, non abſoluta, oſtendimus eſſe accipienda.

Iamque demonſtratu facile eſt, paedobaptiſmum et praecepti, et medii, ordinarii videlicet, habere neceſſitatem, et infantes adeo omnino eſſe baptizandos. Mandato Chriſti, *Matth. XXVIII, 19,* omnes baptizari iubentur, regno ipſius qui ſunt inſerendi; id quod verbo *μαθητεύειν* indicatur. Hocce igitur mandato cum maxime comprehenduntur paruuli, *τὰ βρέφη, teneri infantes,* quippe quorum *τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* eſſe, Saluator diſerte affirmat, *Matth. XIX, 14. Marc. X, 14; Luc. XVIII, 16.* Conf. *Matth. XVIII, 14.* Cum autem ordinarium non aliud ullum ſit medium, quo infantes regni coeleſtis beneficiorum participes redduntur, quam baptiſmus, conſequitur, hunc ipſum medii quoque neceſſarium eis eſſe neceſſitate. Per baptiſmum enim et regeneratio, et, quae hanc conſequuntur, iuſtificatio, ſanctificatio, ſaluſque aeterna, ex gratioſa Dei voluntate, infantibus confertur. Comprobatur vero etiam paedobaptiſmus, initiationis in V. T. ſacramento, *circumciſione.* Quandoquidem enim

per

per hanc infantes recens nati in foedus gratiae recipiebantur, per baptiſmum, qui, eo reſpectu, in N. T. in locum circumciſionis ſucceſſit, hincque circumciſio ἀχειροποίητος, appellatur, *Coloſſ. II, 11, 12*, idem illud fieri, manifeſtum eſt. Accedit praxis apoſtolorum, et primitiuae eccleſiae chriſtianae. Apoſtolos enim infantes quoque baptizaſſe, cum alii, tum ii maxime loci, in quibus, integras familias baptizatas ab eis fuiſſe, relatum legitur, v. c. *Act. XVI, 15, 33; XIIX, 8; 1 Cor. I, 16,* haud inane praebent argumentum. Seculo autem p. C. N. altero, et ſequentibus, paedobaptiſmum in eccleſia viguiſſe, certis patrum, qui ſeculis iſtis vixerunt, IRENAEI, IVSTINI martyris, ORIGENIS, CYPRIANI, et caeterorum teſtimoniis conſtat. Vid. S. R. WALCHII *hiſtoria paedobaptiſmi quatuor priorum ſeculorum; miſcell. ſacr. l. III, p. 487, ſqq.*

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Notandi primo ſunt *pontificii*, qui abſolutam baptiſmi eſſe ſtatuunt neceſſitatem. In concilio quidem Tridentino, baptiſmum ad ſalutem *abſolute* neceſſarium eſſe, diſertis verbis definitum haud eſt. *Canon* enim *V de baptiſmo* neceſſitatem eius his generatim proponit verbis: „Si quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſ-ſarium

„ſarium ad ſalutem, anathema ſit.„ Abſoluta autem vtique eſt, quam baptiſmo Romanenſes attribuunt, neceſſitas; ſiquidem infantibus, ſine baptiſmo decedentibus, vitam illi denegant aeternam. BELLARMINVS, *de baptiſmo, l. I, c. 4, t. III, p. 131*: „ſemper, inquit, „eccleſia credidit, infantes perire, ſi abſque „baptiſmo de hac vita decedant.„ Et *de amiſſ. gratiae, l. VI, c. 2, t. IV, p. 195*: „fide ca„tholica tenendum eſt, paruulos, ſine ba„ptiſmo decedentes, abſolute eſſe damna„tos.„ Huc pertinent nugaces ſcholaſticorum de infantum ἀβαπτίστων poſt mortem ſtatu, locoque, et num damni et ſenſus, damnine tantum patiantur poenam, diſputationes. Non alio fere BELLARMINVS infantibus, ſine baptiſmo decedentibus, vitam aeternam abiudicat argumento, quam verbis Saluatoris noſtri, *Ioh. III, 5*; quae vero non de abſoluta, ſed ordinata, vt ſupra oſtendimus, baptiſmi loquuntur neceſſitate. Componenda ſunt cum dictis Chriſti verbis ea, quibus, *Marc. XVI, 16*, non baptiſmi priuationem, ſed ſolam ἀπιστίαν damnationis cauſam eſſe, Saluator docet.

Haud minus grauis, immo grauiſſimus eorum eſt error, qui baptiſmo eam, quam ex ordinatione Dei habet, derogant neceſſitatem. Errori huic addictos in praecedente nominauimus theſi, in qua etiam rationes confutauimus, quibus iidem baptiſmi effectum,

ctum, vnde eius, tanquam medii ad ſalutem, pendet neceſſitas, impugnant. Supereſt, vt illorum diſcutiamus argumenta, qui infantes baptizandos eſſe, negant. Praecipui paedobaptiſmi hoſtes ſunt *anabaptiſtae*, qui eo nomine, in *Auguſtana confeſſione*, eiuſque *Apologia*, et in *Form. conc.* c. XII, *p. 623, et 826*, damnantur. Anabaptiſtae, haeretici, quorum dux et auctor fuit THOMAS MVNZERVS, nomen id acceperunt, eo quod illos, qui vt parvuli erant baptizati, iterum baptizarent, baptiſmum ſcilicet, infantibus collatum, pro inualido, nulloue habentes. Quamuis autem haeretici iſti, in plures ſunt diuiſi ſectas, qualem inprimis conſtituunt *Mennonitae*, et nominibus, et ſententiis inter ſe differant, communi tamen omnes conſenſu notatum in libris noſtris ſymbolicis profitentur errorem, et paruulos haud baptizandos eſſe, affirmant. Anabaptiſtis ὁμόψηφοι ſunt *Quackeri*; tum uero iiſdem addendi ſunt *Sociniani*, qui non ſolum, in *catech. Racou. l. c. p. 120*, baptiſmum ad infantes non pertinere, aiunt, ſed et paedobaptiſmum ludibrio habent, ſuiſque obiectionibus eum deſtruere conantur.

Paedobaptiſmum aduerſarii his potiſſimum oppugnant argumentis. Primum praecipuumque eſt, quod ex dato a Seruatore apoſtolis ſuis petunt mandato, *Matth. XXVIII, 19*: μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζο-

βαπτίζοντες αὐτοὺς κ. τ. λ. Nempe τὸ μαθητεύειν de doctrina et inſtitutione accipientes, hanc baptiſmo Chriſtum praemitti voluiſſe, aiunt, indeque arguunt, infantes, cum doceri non poſſint, non eſſe baptizandos. Sed cum verbo μαθητεύειν *docendi* perperam hic tribuatur ſignificatus, falſam eſſe patet, quae illo nititur, argumentationem. Τὸ μαθητεύειν enim hoc loco nihil aliud ſignificat, quam in numerum chriſtianorum, ſeu, quod idem eſt, in eccleſiam Chriſti recipere. Significatio haec nomine μαθητῶν, quo eos appellatos fuiſſe, conſtat, qui poſtea dicti ſunt Χριστιανοὶ, *Act. XI, 26*, prorſus confirmatur. Itaque apoſtoli *l. c.* gentes omnes in eccleſiam Chriſti recipere iubentur, idque cum baptizando, tum, quod adultorum reſpectu ſequitur, docendo. Aliud contra paedobaptiſmum inde ducunt argumentum, quod baptizati ab apoſtolis, ante baptiſmum, fidem in Chriſtum fuerint profeſſi, *Act. II, 38, 41; IIX, 37; X, 48; XIX, 5*; atque ex eo, itemque ex phraſi: *in nomine Chriſti baptizari*, colligunt, baptizandos omnes ante baptiſmum credere, et fidem externe profiteri debere; ac proinde infantes, qui hoc facere nequeant, non eſſe baptizandos. Sed ab eo, quod in adultis requiritur, perperam infertur, id in baptizandis omnibus requiri. Alia baptiſmi quoad adultos, alia quoad infantes eſt ratio.

illis per baptiſmum obſignatur, his confertur fides: illi ante baptiſmum credere debent, hi in baptiſmo ipſo credere incipiunt. Argumentum iſtud aduerſariorum, vel circumciſione, initiationis V. T. conuellitur ſacramento. Nam infantes, in nomine, id eſt, iuſſu et mandato Dei, circumcidebantur, licet nulla in iis fides praecederet circumciſionem, Iamque porro paedobaptiſmi hoſtes conclamant, fidei haud capaces eſſe infantes, neque adeo per baptiſmum hanc conferri. Qui infantes credere contendunt, eos Sociniani id affirmare dicunt, quod omni ratione, ipſoque ſenſu communi repugnet, nec ullum in diuinis teſtimoniis habeat fundamentum. Belle! Fides infantibus Socinianorum iudicio, tribui nequit, quia ratio et ſenſus communis fidem eorum non capit. At enimvero operationes diuinae, ad quas fidei in infantibus pertinet productio, non ex ratione, in rebus diuinis caeca, ſenſuque communi, ſed ex verbo Dei ſunt diiudicandae; ac, licet modus, quo infantes credunt, ratione nequeat comprehendi, non propterea ipſa fides eorum non eſt neganda. Falſo dicitur, nullum eam in diuinis teſtimoniis habere fundamentum. Adduximus, *praecedente theſi*, contra Caluinianos, fidem etiam infantibus denegantes, teſtimonium ipſius Chriſti, *Matth. XIIX, 6.* Add. confeſſio Dauidis, *Pſ. LXXI, 5*, et exempla IACOBI, cuius

cuius fidem in vtero, ex *Hoſ. XII, 4*, ſingulari olim demonſtrauimus diſſertatione, et IOHANNIS baptiſtae, adhuc in vtero Spiritu S. repleti, *Luc. I, 15, 44*.

Enarratis hactenus, profligatiſque rationibus aduerſarii argumentum addunt, a ſilentio Scripturae deſumtum. Nempe paedobaptiſmum in ſacris litteris nec mandatum, nec exemplum ullum habere, aiunt, indeque, infantes baptizandos haud eſſe, concludunt. Sed non eſt cauſa, quare ſpeciale Scripturae deſideretur praeceptum, quo paedobaptiſmus diſertis praecipiatur verbis. Sufficit, generale in ſacris litteris extare mandatum, quo omnes cuiuſuis aetatis, ſexus, conditionis homines baptizari iubentur. Sufficit, baptiſmum, vt medium gratiae, quo infantes aeque, ac adulti, ad ſalutem neceſſario opus habent, in iiſdem proponi. Euidentiſſima enim hinc deducitur conſequentia, paedobaptiſmum mandato niti diuino, Deumque velle, vt infantes baptizentur. Add. *Act. II, 38, 39*. Exemplis vero, quae gratis requiruntur, haud prorſus in Scriptura deſtitui baptiſmum infantum, ex eo, quod apoſtoli integras familias baptizaſſe dicuntur, conſtare arbitramur.

CAPVT XIII
DE SACRA COENA

SECTIO I
HISTORICA

I

De Coena Domini, altero noui teſtamenti ſacramento, vera eccleſiarum euangelicarum doctrina, in libris noſtris ſymbolicis, compluribus proponitur articulis; tum vero etiam oppoſiti et tam Romanenſium, quam Zwinglianorum errores, pontificiiſque ſacramenti huius corruptiones a nonnullis illorum coarguuntur. Primum inter articulos *de ſacra coena* in libris ſymbolicis locum tenet AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulus decimus*, in quo, corpus et ſanguinem Chriſti in eucharistia vere ac realiter adeſſe, et diſtribui iis, qui ſacramento hoc vtuntur, affirmatur; ſecusque docentes improbantur. (*)

(*) Poſteaquam in Aug. Conf. articulo nono de baptiſmo, initiationis expoſitum eſt ſacramento, *articulo decimo*, de coena Domini, altero N. T., quod confirmationis eſt, ſacramento, iuſto ordine, euangelica exhibetur doctrina. Deſumtus eſt hic articulus ex *Torga-*

nien-

[illegible]enſium articulorum decimo, in quo etiam verba inſtitutionis, quorum fundamento propoſita nititur doctrina, commemorantur. Authenticus articuli textus Germanicus diſertis verbis exprimit ea, quae in Latino ſubintelliguntur, ac proinde cum hoc eſt comparandus. Ita vero ille: „*Vom Abendmahl des Herrn wird alſo ge-* „*lehret, daſs* WAHRER *leib und blut Chriſti, wahrhaff-* „*tiglich*, VNTER DER GESTALT DES BRODS VND „WEINS, *im abendmahl gegenwaertig ſey, und da auſ-* „*getheilet*, VND GENOMMEN WIRD. *Derhalben wird* „*auch die gegenlehre verworffen.*„ In prima igitur articuli, quae eſt *θέσει*, parte, euangelica de corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena vera realique praeſentia, et cum pane et vino vnione ſacramentali, doctrina continetur, ſpeciatimque adeo ſacramenti euchariſtiae et *materia*, cum coeleſtis, tum terrena, et vtriuſque *vnio* ſacramentalis, et *forma*, in *δόσει* et *λήψει* conſiſtens, deſignantur. In altera parte, ſeu antitheſi, *ſecus docentium* nomine *Zwingliani* indigitantur, veram et realem corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentiam negantes. Peculiarem, iſti ZWINGLII errori addicti: *Argentinenſes*, *Conſtantienſes*, *Memmingenſes*, *Lindauienſes*, in his ipſis comitiis Auguſtanis, a MARTINO BVCERO conſcriptam, quae *tetrapolitana* vocari ſolet, ediderunt fidei ſuae confeſſionem.

Praecipuam articulo huic corruptelam intulit PHILIPPVS MELANCHTHON, vbi confeſſionem Auguſtanam Latinam multis modis variare inſtituit, ſicque variatam illam edidit Wittembergae, anno MDXL. Etenim in locum verborum: *quod corpus et ſanguis Chriſti vere* ADSINT ET DISTRIBVANTVR, ſubſtituit: *quod cum pane et vino vere* EXHIBEANTVR *corpus et ſanguis Chriſti*; clauſulamque, ſeu antitheſin: *et improbant ſecus docentes*, contra Zwinglianos additam, prorſus expunxit. Zwinglianorum igitur gratia, articulum decimum PHILIPPVS ita immutauit, quod ſperaret, fore, vt ſocias illi Lutheranis manus darent, et Auguſtanae ſub-

ſcriberent confeſſioni, ſi modo articulus ille paullo aliter, et ad eum componeretur modum, vt ne ipſis aduerſari videretur. Conf. *Prolegom. ſect. III, §. XI, p. 47, ſqq.* vbi de hac, priuato conſilio et auſu, a PHILIPPO ſuſcepta, articuli X mutatione, ſeu deprauatione, variataeque ab illo Confeſſionis ſolemni egimus reiectione.

Pontificiae confutationis A. C., in comitiis Auguſtanis compoſitae, auctores articulum decimum comprobarunt, quatenus videlicet in eo, corpus et ſanguinem Chriſti in euchariſtia ſubſtantialiter et vere adeſſe, docetur. Ad confeſſionem autem eam neceſſum eſſe, monuerunt, vt concomitantia, et transſubſtantiatio credatur. Itaque cum in *Apologia Aug. Conf. p. 157*, decimus articulus approbatus dicitur, id non abſolute, ſed de affirmata in illo vera et reali corporis et ſanguinis Chriſti praeſentia ſolummodo eſt accipiendum. Vid. MENZERVS, in *exeg. A. C. p. 348*, et CARPZOVIVS, in *iſag. p. 342*. ANDR. FABRICII aduerſus PHILIPPVM, ob variatum articulum huncce, in *harmonia A. C. p. 226, ſeq.* dicta nihil moramur. Inter caeteros, quorum is iudicia affert, IOH. HOFFMEISTERVS, doctrinam, in hoc articulo, et in *apologia, p. 157, ſeq.* propoſitam, transſubſtantiationis dogmati conſentaneam eſſe, arbitratur.

Cum non inter pontificios ſolum complures, confeſſores noſtros de transſubſtantiatione ſecum conſenſiſſe, dicant, ſed etiam Reformati erroris iſtius eoſdem incuſent, neceſſe eſt, vt Confeſſionem pariter, atque Apologiam eius ab illo ipſo vindicemus. Quod igitur ad ipſum *articulum decimum* attinet, haec maxime illius verba, quibus in textu Germanico dicitur: corpus et ſanguinem Chriſti, *ſub ſpecie* panis et vini adeſſe, et diſtribui, „*daſs wahrer leib und blut Chriſti wahrhaftiglich*, VNTER DER GESTALT *des brods und weins, im abendmahl gegenwaertig ſey, und da außgetheilet, und genommen wird*,„ ad transſubſtantiationis dogma comparata eſſe exiſtimantur. At enimvero vox *ſpeciei* nequaquam, ſenſu pontificio, de externa tantum ſpecie, acci-

accidentibusue, ſed de ipſa panis et vini *ſubſtantia*, ex confeſſorum mente, eſt accipienda, et ſpecies idem hic ſunt, ac ſymbola, res et materia ſacramenti viſibilis. Hanc in ſententiam articuli verba clariſſime exponuntur in *Apologia A. C. p. 157, et ſeq.* vbi, nos ſentire, dicitur: „quod in coena Domini vere et ſubſtantialiter adſint „corpus et ſanguis Chriſti, et vere exhibeantur *cum illis* „*rebus, quae videntur*, pane et vino, his, qui ſacra„mentum accipiunt.„ Additur, PAVLVM dicere: panem eſſe *participationem* corporis Domini, etc. Itaque tranſſubſtantiationis confictionem ab Auguſtana confeſſione egregie depellit APOLOGIA.

Attamen in hac ipſa occurrunt, quae tranſſubſtantiationis dogmati patrocinari, immo illud comprobare videntur, indeque IOH. COCHLAEVS, PHILIPPVM in *Apologia* ſibi ipſi contradicere, ait. Nempe ad veteris eccleſiae Graecae, de vera et reali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia, conſenſum cum prouocatur, primum eo nomine canon Graecorum miſſaticus, (ex liturgiis illorum, quas c. REINECCIVS, in *Concordiae Germ. Lat. editione, ad h. l.* recenſet,) adducitur, „in quo aperte orat ſacerdos, „vt, MVTATO PANE, ipſum corpus Chriſti fiat.„ Deinde VVLGARIVS laudatur, „diſerte dicens, panem „non tantum figuram eſſe, ſed VERE IN CARNEM „MVTARI.„ VVLGARII, ſive, quod idem eſt, BVLGARII nomine THEOPHYLACTVS, Bulgariae archiepiſcopus, deſignatur, ab ERASMO etiam aliiſque ſic dictus. Ipſa eius verba, in *commentario in euangelium Marci, cap. XVI, p. 272, edit. Gr. Lat. Pariſ.* haec ſunt: „Οὐ γὰρ ἀντίτυπος τοῦ κυριακοῦ σώματός ἐστιν ὁ ἄρτος, ἀλλ' εἰς „αὐτὸ ἐκεῖνο ΜΕΤΑΒΑΛΛΕΤΑΙ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ.„ Gemina his leguntur in eiuſdem *commentar. in Matth. c. XXVI, p. 161.* Iam cum haec THEOPHYLACTI pariter, atque canonis Graeci miſſatici verba, panis in corpus Chriſti affirment mutationem, allegatione illorum, tranſſubſtantiationem Apologia vtique approbare videtur. Sed ſalua res eſt, eoque crimine Apologia prorſus vacat. id

id quod manifeſto patet, ſi ad ſcopum, quo teſtimonia iſta adducuntur, reſpiciatur. Etenim id agit Apologiae auctor, vt de vera et reali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia, quam euangelici tenent, et contra Zwinglianos, ſeu *ſacramentarios*, defendunt, ſententiam non in Romana ſolum, ſed Graeca etiam eccleſia, a primis inde chriſtianiſmi temporibus receptam eſſe, oſtendat. Itaque Graecos olim ita ſenſiſſe, allatis canonis miſſatici, et THEOPHYLACTI, de vera et reali praeſentia illa, teſtimoniis, nullo plane ad praeſentiae huius modum habito reſpectu, confirmat. Sed et illae ipſae phraſes, quibus panis *mutari* dicitur *εἰς corpus Chriſti*, licet duriores, et erroneae obnoxiae ſint interpraetationi, vbi a Patribus aliquando adhibentur, ſenſum admittunt orthodoxum, ac de mutatione non ſubſtantiali, μετουσιώσει ſeu tranſſubſtantiatione, ſed de mutatione accidentali, quoad officium et vſum, qua nimirum, per inſtitutionem diuinam, panis ab vſu communi ſeparatur, ſitque κοινωνία et medium exhibitiuum corporis Chriſti, ſunt accipiendae. Apologia certe adeo non fauet tranſſubſtantiationi, vt potius commentum illius diſertis, ſupra adductis, explodat verbis. In altera Aug. Confeſſionis eiuſque Apologiae editione, quae Vitembergae, anno MDXXXI, in forma octopartita, prodiit, omiſſa ſunt canonis Miſſae verba, et a THEOPHYLACTO dicta; id quod etiam factum eſt in Germanica Apologiae verſione, a IVSTO IONA ad editionem illam comparata. Quanquam de vera omiſſionis huius cauſa non conſtat, veriſimile tamen eſt, PHILIPPVM, dicta illa in alienam a confeſſorum mente ſententiam accepitum iri, proſpicientem, ea omiſiſſe.

II

Coenae Dominicae ſacramento, in eccleſia Romana, per communionem ſub vna, corrupto, mutilatoque, diuinitus ad refor-

man-

mandam eccleſiam excitatus, LVTHERVS, ipſiusque adiutores, papiſticam iſtam venerabilis ſacramenti corruptelam grauiter redarguendo, in id operam ſuam contulerunt, vt communio ſub vtraque eccleſiae reſtitueretur. In *altera* igitur AVGVSTANAE CONFESSIONIS *parte*, in qua mutati recenſentur abuſus, *primo* ſtatim *articulo*, *de vtraque ſpecie*, confeſſores noſtri cauſas exponunt, quare laicis apud nos detur vtraque ſpecies ſacramenti in Domini coena; aduerſaeque, ſub papatu in eccleſiam invectae, conſuetudinis iniquitatem demonſtrant. In APOLOGIA CONFESSIONIS, *p. 233*, vtriuſque ſpeciei vſus pluribus confirmatur, et ad confutationem aduerſariorum reſpondetur. (*)

(*) Inter articulos, qui alteram Auguſtanae Confeſſionis conſtituunt partem, quique de pontificiis rituum maxime quorundam corruptelis, ſeu vitiis, errores fidei ſimul et facti inuoluentibus, quae, mitiore vocabulo, *abuſus* appellantur, in eccleſiis euangelicis ſublatis, vberius exponunt, primus eſt, qui *de vtraque ſpecie*, (voce *ſpeciei* ſupra dicto accepta ſignificatu, quo viſibilem ſacramenti materiam, ſymbolumue notat,) inſcribitur; quippe quo, invectam in eccleſiam Romanam communionem ſub vna, ademto per illam laicis calice benedicto, iure abrogatam, et communionem ſub vtraque ſpecie, apud nos reſtitutam fuiſſe, docetur. Nempe *laicis*, quo nomine, vſu in veteri eccleſia recepta loquendi ratione, ii deſignantur, a quibus doctores et miniſtri eccleſiae, *clerici* dicti, diſtinguuntur, *vtramque ſpeciem ſacramenti in coena Domini dari debere*, in hoc articulo probatur: (1) mandato Chriſti, manifeſte praecipientis, de poculo

vt omnes bibant, *Matth. XXVI*, 29; (2) apoſtoli verbis, *1 Cor. XI*, 26, *ſeqq.* ex quibus clariſſime apparet, totam eccleſiam Corinthiacam vtraque ſpecie viſam eſſe; (3) Patrum et canonum veterum aſſertionibus; tum vero etiam (4) aduerſae conſuetudinis, nouiter, contra Scripturam pariter, atque canones, et eccleſiae exemplum, ſub Papatu introductae, receptaeque, iniquitate. Alius in fine articuli mutatus memoratur abuſus, proceſſio videlicet cum ſacramento. Proceſſio iſta cum ſacramenti nitatur diuiſione, haec vero inſtitutioni Chriſti repugnet, hanc, praeter caeteras, ob cauſam, in eccleſiis euangelicis abrogatam illam fuiſſe a confeſſoribus, indicatur.

In confeſſione variata, articulus de vtraque ſpecie inter articulos de abuſibus mutatis ſecundum tenet locum, pluribuſque exponitur verbis, iis, quae in authentici articuli fine de proceſſione addita ſunt, omiſſis. Ad hunc igitur articulum etiam pertinent, quae de temeraria Confeſſionis Auguſtanae, a PHILIPPO facta, mutatione, quippe quam omni modo improbamus, reiicimuſque, ſaepius iam a nobis dicta ſunt, vt adeo huius etiam articuli variatio eccleſiae euangelicae a FABRICIO iniquiſſime crimini detur.

Communionem ſub vna inter abuſus numerari, aegre tulerunt pontificii doctores in comitiis Auguſtanis. Itaque, confutationis ſuae initio, abuſum potius eſſe, aiunt, laicis vtramque ſpeciem dari. Hinc, *primo*, pro defendenda communione ſub vna, rationes afferunt, deſumtas (1) ex illis Scripturae locis, in quibus euchariſtiam *fractionis panis*, paniſue ſolius, appellatione denotari volunt; (2) a communionis laicae et communionis ſacerdotum diuerſitate, in poſteris Heli, *1 Reg. II*, praemonſtrata; (3) ab auctoritate eccleſiae, quae, effuſionis periculi cauendi cauſa, et quod integer ſit Chriſtus ſub qualibet ſpecie, et non minus ſub vna ſumatur, quam ſub duabus, Concilii Conſtantienſis, et ſynodi Baſileenſis decretis, vtramque ſpeciem laicis interdixerit. *Secundo*, ad confeſſorum noſtrorum reſpondetur argumenta; cuius

ius reſponſionis ſumma haec eſt: verba Chriſti, *Matth. XXVI*, ad apoſtolos pertinere ſacerdotes; quamuis in quibuſdam eccleſiis vtraque ſpecies data fuerit, tamen non vniuerſalem hunc fuiſſe morem; GELASIVM, *diſt. 2, de conſecratione, cap. comperimus*, de ſacerdotibus, non de laicis, loqui; proceſſioni falſo imputari diuiſionem ſacramenti, quae ſpecierum tantum ſit ſacramentalium.

Confutationis ſcriptoribus, quorum veſtigia preſſerunt DAVENTRIENSIS, COCHLAEVS, et caeteri, quorum iudicia in *harmonia* ſua refert ANDR. FABRICIVS, abunde ſatiſfactum eſt in *Apologiae Aug. Conf. capite X, p. 233, ſeqq.* vbi primum Chriſtum vtramque euchariſtiae partem pro tota eccleſia, non pro parte eccleſiae, inſtituiſſe, ex ipſius ordinatione, teſtamenti rationem habente, adeoque immutabili, et PAVLI verbis, *1 Cor. XI*, confirmatur; tum vtriuſque ſpeciei vſus more, in eccleſiis Graecis hodienum manente, et in Latinis olim vſitato, comprobatur. Deinde rationes aduerſariorum expenduntur, et, quod (1) ad locos Scripturae attinet, in quibus *panis* ſit mentio, et *fractio panis* memoratur, etiamſi aliqui eorum de ſacramento accipiantur, tamen hoc non conſequi, oſtenditur, vnam partem tantum datam eſſe, cum partis appellatione, communi ſermonis conſuetudine, reliquum ſignificetur. Laicam communionem, ad quam (2) aduerſarii provocant, ſacerdotibus poenae loco iniunctam, nequaquam communionem fuiſſe ſub vna, perperamque inde laicorum et ſacerdotum communionis diſcrimen deduci, et ad id ipſum declarandum, poſterorum Heli hiſtoriam ineptiſſime tranſferri, demonſtratur; eaque occaſione, praecipuam, quare calix interdictus fuerit laicis, cauſam fuiſſe, indicatur, vt ſacerdotum dignitas eo ipſo commendatior redderetur. Ad ea, quae (3) de ſancita ob cauſas quaſdam laicorum ſub vna communione dicuntur, Chriſti ordinationem nulla ratione, nulliſque pontificum et conciliorum decretis mutari poſſe, ac debere, reſpondetur.

III

III

Ad corruptelas, Coenae Domini in eccleſia Romana illatas, cum maxime pertinet ſacramenti, a Chriſto inſtituti, in ſacrificium, quod pro fidelium peccatis, poenis, ſatiſfactionibus, aliiſue neceſſitatibus, itemque pro animarum ex purgatorio liberatione, offertur, mutatio, et ad errorem huncce conformata, compluribuſque impiis et ſuperſtitioſis ritibus cumulata, euchariſtiae celebratio. Itaque graues omnino ii, qui eccleſiae nutu diuino ſuſceperunt reformationem, habuerunt cauſas, quare coenae dominicae ſacramentum a foedo iſto errore atque corruptela repurgarent, et adminiſtrationem illius ad inſtitutionis Chriſti praeſcriptum, et veteris eccleſiae chriſtianae praxin, inſtaurarent. Hacque adeo de re in *articulorum* AVGVSTANAE CONFESSIONIS, in quibus abuſus mutati recenſentur, *tertio* agitur, quo confeſſores noſtri reparatae in eccleſiis euangelicis *miſſae*, id eſt, coenae dominicae celebrationis rationem exponunt, ſublataeque pontificiae miſſae foeditatem demonſtrant. (*)

(*) Articulus hic inſcribitur de *miſſa*, ea videlicet vocabulo hoc accepto ſignificatione, qua euchariſtia, cum precibus et ritibus ſuis, ſpectata, in eccleſia Latina nomine iſto appellari conſueuit. Appellationis huius ratio a ſolemni repetitur voce: *ite, miſſa eſt;* quippe qua formula, ſub finem cultus ſacri, qui euchariſtiae praecede-

cedebat adminiſtrationem, catechumeni, ſub finem autem celebrationis euchariſtiae, fideles dimittebantur: vnde etiam cultui diuino ante euchariſtiam, *miſſae catechumenorum*, euchariſtiae autem celebrationi, *miſſae fidelium* datum eſt nomen. Vid. praeter CARPZOVIVM, in *iſag. p. 645*, et caeteros, IOSEPH. BINGHAMVS, in *originibus eccleſ. vol. V, p. 2, ſeqq.* Miſſae igitur vocem non alio, quam eo, quo euchariſtiae λειτουργίαν ſpeciatim notat, confeſſores noſtri vſurpantes ſignificatu, in principio articuli dicunt: „falſo eccleſias noſtras accuſari, „quod miſſam aboleant, cum ea apud nos retineatur, et „ſumma reuerentia celebretur.„ Declaratur id ipſum eo, quod in celebratione euchariſtiae vſitatae caerimoniae fere omnes, (rejectis impiis, et ſuperſtitioſis,) ſeruentur; quod lingua vulgo nota adhibeatur; et quod omnes, antea explorati, et de dignitate atque vſu ſacramenti admoniti, ad ſacram coenam admittantur. Ad miſſae autem abuſus quod attinet, illos omnino, idque iure, in eccleſiis noſtris abrogatos eſſe, affirmatur. Itaque abolitas apud nos eſſe, indicatur, *miſſas priuatas*, ſiue ſolitarias, in quibus nimirum ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, *kauff- und winckel-meſſen* in textu Germanico quae dicuntur, quippe quibus, ad quaeſtum collatis, euchariſtia, vt pluribus oſtenditur, turpiter profanatur. Prauae hinc notantur opiniones, vnde infinita miſſarum priuatarum profluxerit multitudo, nempe: „Chriſtum ſua paſſione ſatisfeciſſe pro peccato originis, et inſtituiſſe miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus et venialibus, itemque: miſſam eſſe opus, delens peccata viuorum et mortuorum, ex opere operato:„ exitiabileſque hi errores grauiſſimis argumentis, ab oblatione Chriſti, ſemel peracta, et per hanc praeſtita perfectiſſima pro peccatis omnibus ſatisfactione, a iuſtificatione per fidem in Chriſtum, et a fine, cauſiſque inſtitutionis coenae Dominicae petitis, refelluntur. Finis igitur, cuius cauſa Saluator noſter inſtituit euchariſtiam, cum ad communicatio

nicationem ſpectet ſacramenti, ad eam in eccleſiis euangelicis comparata fuit miſſa, ac proinde confeſſores noſtri, ſub finem articuli: „ ſeruari, dicunt, apud „nos vnam communem miſſam, ſingulis feriis atque „aliis etiam diebus, ſi qui ſacramento velint vti, vbi „porrigatur ſacramentum his, qui petunt. „ Addunt PAVLLI et Patrum quorundam teſtimonia, ex quibus patet, eundem hunc in apoſtolica, veterique eccleſia chriſtiana vſitatum fuiſſe morem.

Magnos articulus hic aduerſariorum excitauit clamores. Id enim cum maxime male illos habebat, ſacrificium miſſaticum, quod eccleſiae Romanae ἄγαλμα et διοπετὲς, et in quo religionis pontificiae ſumma conſiſtit, in confeſſione noſtra reiici, et miſſas priuatas, ex quibus praecipuus in clerum Romanum fructus redundat, repudiari. Qui, Caeſaris CAROLI et Romano catholicorum principum iuſſu, ad Auguſtanam noſtram confeſſionem reſponderunt, pontificii doctores, in reſponſione ſua ad hunc articulum, id primum improbant, generales ritus eccleſiaſticos ab euangelicis, non Romana, ſed Alemanica peragi lingua, eamque in rem a confeſſoribus ad PAVLI, qui lingua, populo intellecta, vtendum eſſe, praeceperit, prouocari auctoritatem. Deinde reprehenſione ſummopere dignam eſſe aiunt miſſarum priuatarum abrogationem; miras pro iis ſeruandis afferentes rationes. Chriſtum paſſione ſua pro peccato originis ſatiſfeciſſe, et pro peccatis actualibus inſtituiſſe miſſam, hancque peccata delere, a catholicis doceri, negant: miſſam vero delere poenam, pro peccato debitam, ſatisfactiones ſupplere, et caet. profitentur. Pro damnata denique haereſi habent, negare, in miſſa Chriſtum offerri, et oblationem fieri pro viuis et mortuis: et in ſacrificio miſſatico, ex ſacris literis, Patrum teſtimoniis, et Hebraeo vocabulo *miſbach*, probando inanem operam inſumunt.

Moderatior haec in Confeſſionis Auguſtanae de miſſa articulum videri poteſt animaduerſio, ſi cum ea conferantur A. FABRICII, COCHLAEI, BELLARMINI, FO-

RERI,

RERI, TH. HEINRICI, aliorumque in illum notationes, calumniarum videlicet, conuiciorumque plenae. Ita prima articuli verba, quibus, eccleſias euangelicas falſo accuſati, dicitur, quod miſſam aboleant, mendacii poſtulant BELLARMINVS, in *iudicio de libro Conc. mendacio XVII, p. 681*, et, qui hunc ſequitur, FORERVS, in *überſchlag über den augapffel, c. 2, p. 106*. Nempe veram omnino eam eſſe, aiunt, accuſationem, eo quod miſſam euangelici omnino aboleuerint, ſiquidem vocabulum miſſae non de ſacramento coenae, quippe cuius abrogatio ipſis exprobrari non potuerit, ſed de ſacrificio miſſatico accipi debeat. At enimuero per miſſam, debitam euchariſtiae celebrationem, ſeu λειτουργίαν, eo nomine in veteri eccleſia Latina dictam, vſu tum temporis apud euangelicos recepta loquendi ratione, confeſſores noſtros intellexiſſe, ſupra indicauimus, pluribusque demonſtrari poteſt modis: et hanc adeo, ob mutatos illius abuſus, eccleſias noſtras aboleuiſſe, pontificios, ante exhibitam confeſſionem, criminatos fuiſſe, vere affirmatur. Quod in confeſſione de opinione dicitur, quae miſſas priuatas auxerit in infinitum, videlicet, quod Chriſtus ſua paſſione ſatiſfecerit pro peccato originis, et inſtituerit miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, et rel. „ id confutationis quidem auctores a catholicis doceri, negant; BELLARMINVS vero, *l. c. p. e*, more ſuo, mendacium vocat, quocum eo nomine confeſſores noſtros infectatur THOM. HEINRICI, in *anat. A. C. art. XII, qu. 2, p. 455*. Sed verum omnino hos dixiſſe, ex ſcholaſticorum de ſatiſfactione Chriſti doctrina demonſtrat, differtiſque AMBROSII CATHARINI, et complurium doctorum pontificiorum verbis confirmat CARPZOVIVS, in *iſag. ad h. art. p. 651, ſeq.* Conf. ſupra *cap. VI, ſect. II. th. XV, p. 357. ſeq.* ea de re dicta.

IIII

In APOLOGIA AVG. CONF. *cap XII p, 250, ſeqq.* non ſolum ea, quae in Confeſſionis de

de miſſa articulo, pontificiae confutationis auctores reprehenderunt, contra illos defenduntur, ſed etiam de ſacrificio papiſtarum miſſatico copioſa inſtituitur diſputatio, idque grauiſſimis refellitur argumentis (*).

(*) Repetuntur initio de religioſa miſſae apud nos celebratione in confeſſione dicta, et inanis aduerſariorum de vſu Latinae linguae in miſſa declamatio exploditur. Quod publica tantum, ſeu communis apud nos fiat miſſa, id cum catholicae eccleſiae inſtitutis conuenire, priuatas vero miſſas ex falſiſſimis perſuaſionibus natas, et quaeſtus cauſa in monaſteriis magnopere auctas fuiſſe, indicatur. Hinc miſſatici, de quo praecipua quaeſtio eſt, ſacrificii ratio expenditur, ſtatuque controuerſiae rite formato: num ſcilicet miſſa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro aliis mereatur eis remiſſionem venialium et mortalium peccatorum culpae et poenae; aduerſarios, longa auctoritatum, rationum, teſtimoniorum coaceruatione, in probando ſacrificio miſſatico, operam ludere, oſtenditur. Prolixa inde ſequitur tractatio, quae de ſacrificii et ſacramenti diſcrimine, ac ſpeciebus illius, ſingulari ſtudio exponitur, ea fini inſtituta, vt clariſſime appareat, coenam dominicam pro ſacrificio proprie ſic dicto, eoque propitiatorio, perperam venditari. Reſpondetur inde ad argumenta, quae pro conficto ſacrificio miſſatico, a cenſoribus A. C. pontificiis, ex ſacris litteris, *Mal. I, 11; III, 3; Hebr. V, 1;* Patribus item, et appellationibus miſſae, afferuntur, vt, quam inepte illa adducantur, intelligatur. Cum ad defunctos quoque ſacrificium miſſaticum in Papatu refertur, ſpecialis miſſae pro defunctis ſubiicitur confutatio.

De miſſae appellationibus vbi in apologia agitur, et quam inepte ex illis aduerſarii, miſſam ſacrificium eſſe, probare contendant, oſtenditur, ad id, quod ridi-

cule

eſſe miſſam ab altari מזבח dictam eſſe, fingant, p. 271, additur: „quorſum opus eſt, procul quaerere etymo-„logiam, cum extet nomen *miſſa*, *Deut. XVI, 10*, vbi „ſignificat collationes, ſeu munera populi, non obla-„tionem ſacerdotis.„ Nequaquam vero exiſtimandum eſt, PHILIPPVM perſuaſum ſibi habuiſſe, miſſam Hebraeae originis eſſe vocem, vti quidem BELLARMINVS, *de Euch. l. V, p. 411*, exiſtimat. κατ' ἄνθρωπον ille diſputans, ex hypotheſi aduerſariorum, Latini nominis miſſae natales ex lingua Hebraea longius arceſſentium, Hebraeam vocem מִסָּה eis opponit. Quo loco Hebraeam miſſae etymologiam habuerit, ipſe mox indicio, idum *nugis* eam accenſet. Perperam adeo PACHOMIVS, vero nomine G. G. ZELTNERVS, in *ſynopſi lagomach. p. 79*, admiſſi eo ipſo erroris inſimulat apologiam. BA-[illegible], cum aliis quibusdam huncce admiſit errorem, vt vocis miſſae originem ex Hebraeo [illegible]. Vid. praeter caeteros, IAC. ROESERVS, in exercit. *de fictitia denominatione idololatrici ſacrificii miſſae, a papicolis ex* מסה *Deut. XVI, 10. erui ſolita*, p. p. *Witt. a. MDCLXVII*, et S. R. DEYLINGIVS, in diſſ. *de errorum pontific. nouitate circa S. Eucharistiam, obſeru. miſcell. part. I, p. 280*.

Cum, *ſacrificii miſſae pro mortuis* defendendi cauſa, *aduerſarii* ad Patrum de oblatione pro mortuis teſtimonia prouocaſſent, in Apologia, p. 274, ad horum allegationem reſpondetur: „ſcimus, veteres loqui de oratione „pro mortuis, quam nos non prohibemus, ſed appli-„cationem coenae Domini pro mortuis, ex opere ope-„rato, improbamus.„ Orationem pro mortuis, cuius nullum in ſacris litteris praeceptum, exemplumue extat, quaeque pontificiorum de purgatorio, et de ſacrificio miſſae pro defunctis fauere videtur commentis, his verbis admitti, ad [illegible] librorum ſymbolicorum referri ſolet. Quemadmodum autem de oratione pro mortuis, in veteri eccleſia vſu recepta, ſermo eſt, quae etiam dictis commentis papiſticis, in hoc ipſo Apologiae

 arti-

articulo ex instituto confutatis, profligatiſque, nihil prorſus habuit commune, ita illam ipſam, vt *ἀδιάφορον*, *prohibere* noluerunt Proteſtantes. Hinc etiam hodieque in eccleſiis nonnullis euangelicis more receptum eſt, vt publicae nouiſſime defunctorum commemorationi preces addantur, eo comparatae, vt vſus illorum, quem egregie expoſuit b. MART. GEIERVS, in *diſp. de precibus pro defunctis*, c. I, §. 12, non tam ad ipſos mortuos, quam ad viuos ſpectet.

V

Pergimus ad ARTICVLOS SMALCALDICOS, in quorum *partis ſecundae articulo altero* de miſſa pontificia agitur, et quam damnabilis illa ſit, in ſe pariter, atque coniunctarum cum ipſa abominationum ratione, ſpectata, demonſtratur. (*) In *partis tertiae articulo ſexto*, euangelica de vera et reali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia repetitur doctrina, pontificiique de communione ſub vna, et de transſubſtantiatione, reprobantur errores. (**)

(*) De miſſa, in papatu agi ſolita, b. LVTHERVS, in articulis Smalcaldicis, quibus conſcribendis concilium, eo tempore congregandum, cauſam dedit, vberius exponendum eſſe, duxit, vt, nullo plane modo euangelicos in eam conſentire poſſe, oſtenderet. Hunc igitur in finem compoſito altero partis ſecundae articulo, primum de miſſa pontificia, euangelicae nimirum omnibus contraria modis, generatim docet, „*maximam* „*et horrendam* eam eſſe *abominationem*, et hoſtiliter e „diametro contra primarium de officio Chriſti mediato„rio, et praeſtita ab eo ſatiſfactione articulum pugnare.„ Rationes inde ſuppeditat, in placida cum ſanioribus pon-

pontificiis diſputationes, contra miſſam afferendas. Omnem tamen ea in re operam fruſtraneam fore, et nihil concilium euangelicis conceſſurum eſſe, praedicit, eo quod papiſtae hunc de miſſatico ſacrificio articulum, praeter caeteros omnes, acerrime tueantur, cum facile ſentiant, *cadente miſſa, cadere papatum.* Euangelici vero cum miſſaticum ſacrificium non poſſint non ſummopere deteſtari, et longe maximus adeo de eo inter illos et papiſtas ſit diſſenſus, id quod CAMPEGII dicto, ſuoque illi oppoſito pronunciato declarat, nunquam inter Romanam et euangelicas eccleſias concordiam iniri poſſe, addit.

Progreditur inde LVTHERVS ad multiplices, cum miſſa pontificia coniunctas, ex illaque enatas, abominationes enarrandas; eoque refert *purgatorium; animarum apparitiones; peregrinationes; fraternitates,* ſeu ſocietates; *reliquias ſanctorum; indulgentias,* viuis et defunctis pro pecunia attributas; *inuocationem* denique *ſanctorum.* Neque vero ſolum abominationes haſce recenſet, ſed grauiſſimis etiam rationibus eaſdem conuellit. De purgatorio cum agere inſtituit, confiſta in gratiam eius memorat ſuffragia, quae pro mortuis a viuis in papatu praeſtari ſolent, quaeque ad illud omnia conſpirant. Sunt illa *miſſae pro animabus,* item *vigiliae, ſeptimae et triceſimae,* quibus verbis oblationes, quae pro defuncto, *ſeptimo* et *triceſimo* a morte illius die fiunt, deſignantur, anniuerſariae exequiae, *vulgaris.* ſeu *communis ſeptimana, gemeind woche,* quo nomine ſeptimana intelligitur illa, quae quotannis omnibus animabus, per varia media ex purgatorio liberandis, ſacra eſt, et in qua *omnium animarum dies* celebratur, *balnea* denique, *ſeelbad,* in animarum in purgatorio refrigerium inſtituta. Pluribus impios hos et ſuperſtitioſos ritus deſcribit, et integrum hunc articulum luculentis annotationibus, more ſuo, illuſtrat b. CARPZOVIVS, in *iſagoge, p.* 791, *ſeqq.*

Verba LVTHERI, quibus, *p.* 307, „ſe ipſum communicare, humanam perſuaſionem eſſe, dicit, incertam,

quae non necessariam, immo prohibitam) ad missas in Papatu priuatas, seu solitarias, in quibus solus sacerdos celebrans communicat, nec aliis consecratas species distribuit, spectare, ex contextu patet. Conf. GERHARDVS, l. c. p. 774. Aduersus purgatorium, et sanctorum inuocationem, in hoc articulo a LVTHERO dicta alio edifferemus loco.

(*) In articulorum Smalcaldicorum partis tertiae articulo sexto, qui e mensis, in quibus eucharistia administratur, quaeque altaria, sed improprie vocari solent, petitus, eo tempore vulgo vsitata, indeque a LVTHERO, sano sensu, in scriptis Germanicis adhibita, [illegible] dominicae appellatione, [illegible] inscribitur, primo orthodoxa de sacramentali panis et vini cum corpore et sanguine Christi in sacra coena vnione, [illegible] phrasi ecclesiastica, proponitur; corpusque et sanguinem Christi non tantum dari, et sumi a piis, sed etiam ab impiis christianis, affirmatur. Secundo, communio sub vna reprobatur, et sophisticum aduersariorum pro ea argumentum, de concomitantia [illegible], exploditur; indeque tyrannis communionis sub vtraque prohibitio grauiter reprehenditur. Tertio, sophistica de transsubstantiatione subtilitas damnatur, verbisque apostoli, 1 Cor. [illegible], vs. XI, [illegible] refutatur.

VI.

IN CATECHISMO LVTHERI MINORI, vltimo loco, ea, quae ad communem christianorum *de sacramento altaris*, (qua, vulgo vsitata, vt paullo ante notauimus, appellatione, sacramentum coenae Domini, seu eucharistia a LVTHERO designatur,) informationem necessaria sunt, traduntur, eaque ipso in CATECHISMO MAIORI copiosius explicantur. (*)

(*) Ca-

(*) Catechetica haec inſtitutio tria complectitur capita. *Primo* docetur, quid ſit ſacramentum coenae, popularique illius deſcriptione, ſignificatur, eſſe illud actionem ſacram, qua verum corpus et verus ſanguis D.N.I.C. cum pane et vino, ex ipſius Chriſti inſtituto, nobis chriſtianis ad manducandum et bibendum porriguntur. *Secundo*, de fructu ſacrae coenae exponitur, huncque remiſſionem peccatorum, vitam et ſalutem eſſe, indicatur. *Tertio*, ad dignum atque ſalutarem ſacramenti huius vſum, fidem, verba inſtitutionis Chriſti: *pro vobis datur, et effunditur in remiſſionem peccatorum*, ſibi applicantem, neceſſario requiri, monetur. In Catechiſmo maiori, *p. 559, ſeqq.* horum capitum explicationi prolixa additur tractatio de frequentis communionis vtilitate, ac neceſſitate.

VII.

Euangelicae, de vera et reali corporis et ſanguinis in coena Domini praeſentia, doctrinae veritas ſingulari ſtudio, in FORMVLAE CONCORDIAE *articulo ſeptimo*, aduerſus Zwinglianos, et Crypto Caluinianos, demonſtratur: nec Caluiniani ſolum, ſed etiam pontificii de hoc ſacramento errores in eodem illo articulo reiiciuntur, atque damnantur. (*)

(*) Praecipuam articulo huic condendo cauſam dederunt *Crypto Caluiniani*, ii nimirum inter noſtros theologi, qui Auguſtanae Confeſſionis de coena Domini doctrinae addictos ſe ſimulantes, re ipſa damnato illi Zwinglianorum aſſenſi ſunt errori, ſuamque de praeſentia corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena doctrinam ad eum, quo *verſuti et callidi*, qui in *Formula Conc. p. 598*, dicuntur, et a *craſſis* diſcernuntur, ſacramentarii vſi ſunt, loquendi compoſuerunt modum. Tales inprimis fuerunt PHILIPPI MELANCH-

THONIS, qui propenſam ſuam erga Zwinglianos voluntatem pluribus declarauerat modis, diſcipuli et ſectatores, theologi Vitembergenſes, C. PEZELIVS, H. MOLLERVS, C. CRVCIGER, *Caſp. Filius*, V. WIDEBRAMVS; quibus ducem et adiutorem ſeſe praebuit, ex medicorum ordine, CASPAR PEVCERVS, PHILIPPI gener; et quibuſcum ANDR. FREYHVBIVS, Lipſienſis theologus, eccleſiarumque in Saxonia Electorali antiſtites et paſtores complures conſenſerunt. Crypto-Caluiniſmum illi primum in *Catecheſi*, Vitembergae, anno MDLXXI, edita, indeque in *ſtereomate*, *conſenſu Dreſdenſi*, et *exegeſi controuerſiae de coena Domini*, (quemadmodum *Prolegom.. ſect. V, §. VIII, p. 92, ſeq.* notauimus,) prodiderunt. Acris hinc orta eſt concertatio; ſiquidem Ienenſes theologi, conſociatique cum his complurium eccleſiarum et academiarum euangelicarum doctores orthodoxi, modo dicta ſcripta, ad Caluiniſmum in eccleſias Saxonicas inuehendum comparata, grauiter impugnarunt, expoſitamque in Auguſtana confeſſione de ſacra coena doctrinam a cryptocaluiniſtarum technis ſolide vindicarunt. Piae igitur et ſincerae doctrinae ad poſteritatem tranſmittendae cauſa, et vt noſtri, aliique a peſtilenti ſacramentariorum errore quam diligentiſſime ſibi cauerent, Formulae Concordiae conditores articulum ſeptimum concinnare ſe inſtituiſſe, in *declaratione, p. 725*, profitentur: in qua adeo vera eccleſiarum noſtrarum de hoc ſacramento ſententia accuratiſſime exponitur, et aduerſans ei Caluinianorum doctrina repudiatur.

Praemittitur controuerſiae, quae de hoc fidei chriſtianae articulo, inter nos et ſacramentarios eſt, ſtatus, et, *p. 597, ſeq.* quaeri, indicatur: „an in ſacra coena „verum corpus et verus ſanguis D. N. IESV Chriſti vere „et ſubſtantialiter ſint praeſentia, atque cum pane et „vino diſtribuantur, et ore ſumantur ab illis, qui hoc „ſacramento vtuntur, ſiue digni ſint, ſiue indigni: ita „tamen, vt fideles e coena Domini conſolationem et

vitam

„vitam percipiant, infideles autem eam ad iudicium „ſumant.„ Hanc corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentiam et diſpenſationem, quam nos aſſeueramus, cum Zwingliani negent, ſolidae controuerſiae huius explicationis cauſa, ſacramentarii in *craſſos*, et in *verſutos et callidos* diſtinguuntur, quorum illi aperte profitentur, in coena Domini nihil amplius, quam panem et vinum eſſe praeſentia, ibique diſtribui, et ore percipi; hi, qui omnium nocentiſſimi ſacramentarii dicuntur, noſtris ex parte vtuntur verbis, ac prae ſe ferunt, ſe ipſos etiam veram veri, ſubſtantialis, atque viui corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentiam credere; eam vero praeſentiam et manducationem ſpiritualem eſſe, ac fide fieri dicunt; ſicque adeo, ſub ſpecioſis verbis occultatam craſſorum illorum tenent opinionem.

His praemiſſis, ſincera et orthodoxa de coena Domini contra ſacramentarios proponitur, et explicatur doctrina: cumque *prima* et praecipua, quae inter nos et illos controuertitur, quaeſtio ſit de corporis et ſanguinis Chriſti in S. C. praeſentia, aduerſus hos, qui vel aperte illam negant, vel ſpiritualem dicunt, „corpus et ſanguinem Chriſti *vere* et *ſubſtantialiter* praeſentia eſſe, „affirmatur, ita vt vna cum pane et vino vere diſtri„buantur, atque ſumantur.„ *Epit. p.599.* Hanc ipſius Auguſtanae Confeſſionis ſententiam eſſe, ex ſcriptis maxime LVTHERI demonſtratur, in *declar. p.728, ſeq.* Firmiſſimum inde, quo euangelica noſtra de reali praeſentia corporis et ſanguinis Chriſti in S. C. doctrina nititur, fundamentum verba inſtitutionis eſſe, docetur, in vſitata nimirum, propria et communi ſignificatione accipienda. Vid. *Epis. p.599,* et *Declar. p.737, ſeqq.* vbi τὸ ῥητὸν verborum inſtitutionis ſolidis rationibus, et apoſtoli verbis, *1 Cor. X, 16*, confirmatur. De propoſitione illa, qua, *panis et vinum corpus et ſanguis Chriſti eſſe*, dicuntur, notandum eſt, non biblicam, ſed eccleſiaſticam illam eſſe, et, ſenſu ortho-

doxo, ad realem corporis et ſanguinis C. praeſentiam, et ſacramentalem cum pane et vino vnionem ſignificandam, adhiberi. Cum et noſtri hac vtantur loquendi forma: *ſub pane*, *cum pane*, *in pane* adeſſe, et exhiberi corpus Chriſti, graues, quare id fiat, cauſae, in *declar. p. 731.* enarrantur. Alia quidem etiam, ex LVTHERI *maiori de coena Domini confeſſione*, in *epit. p. 598. ſeq.* et *declar. p. 752, ſeqq.* verae corporis et ſanguinis Chriſti in S. C. praeſentiae afferuntur fundamenta, in primis perſonalis duarum in Chriſto naturarum vnio, et ſeſſio eius ad dexteram Dei, conſequenterque carnis ipſius omnipraeſentia. Fundamenta vero illa tantum reſpectum habent ad argumenta Caluinianorum, quibus illi realem corporis et ſanguinis Chriſti in S. C. praeſentiam impugnant. Praeſentiae enim huius, in ſe ſpectatae, vnicum fundamentum verba ſunt inſtitutionis. Conf. *praefatio ad librum Concordiae, p. 18, et ſeq. edit. Reinecc.* Cum, vi conſecrationis, ſiue verborum inſtitutionis recitatione, vnionem corporis et ſanguinis Chriſti cum pane et vino effici, A. C. theologi quidem ſtatuerint, contra opinionem illam, in *epit. p. 599.* docetur, »nullum opus humanum, neque ullam miniſtri »eccleſiae pronuntiationem, praeſentiae corporis et »ſanguinis Chriſti in S. C. cauſam eſſe, ſed hoc ſoli »omnipotenti virtuti D. N. I. C. eſſe, tribuendum»: neceſſariam autem omnino eſſe, additur, verborum inſtitutionis in vſu S. C. recitationem. Pluribus hac de re agitur in *declar. p. 747. ſeqq.*

Altera quaeſtio, de qua potiſſima inter nos et Caluinianos controuerſia agitur, haec eſt: an communicantes corpus et ſanguinem Chriſti *ore* accipiant cum pane et vino. Eccleſiarum noſtrarum de quaeſtione illa ſententia, in *epit. p. 600*, his proponitur verbis: »corpus et ſanguinem Chriſti, non tantum ſpiritualiter »per fidem, ſed etiam ore, non tamen capernaitice, »ſed ſupernaturali et coeleſti modo, ratione ſacramentalis vnionis cum pane et vino, ſumi, oraliterque [illegible]

[illegible]

ducatio et bibitio verbis Christi, quibus, accipite, edite, bibite, praecipit; itemque PAVLI, 1 *Cor. X, 16*, confirmatur; conſentientesque laudantur antiquiſſimi eccleſiae doctores. Hinc etiam ad coniunctam cum hac quaeſtionem *tertiam*; an omnes, qui ſacramento vtuntur, ſiue digni, ſeu indigni ſint, verum corpus et ſanguinem Chriſti accipiant? affirmando reſpondetur; ſimul vero etiam, quam diuerſo acceptio ea ab his, illisque fiat cum effectu, indicatur, in *epit. p. 600, ſeq.* et in *declar. p. 743. ſeqq.* vbi etiam diſcrimen inter ſpiritualem manducationem carnis Chriſti, de qua *Ioh. capite VI*, agitur, et ſacramentalem explicatur. Sequitur, *locis citatis*, dignorum et indignorum conuiuarum deſcriptio. *Indigni* ſunt, qui ſine vera poenitentia et contritione, et ſine fide, et abſque bono propoſito vitam emendandi, ad coenam Domini accedunt, *p. 746*; *digni* ſunt vere credentes. Dignitatem inde conuiuarum non ex virtutibus, praeparationibusue noſtris pendere, ſed in ſolo merito Chriſti, fide apprehenſo, conſiſtere, affirmatur.

Euangelicae de coena Domini doctrinae explicationi ſubiungitur errorum, de hoc ſacramento, tam pontificiorum, quam Caluinianorum, reiectio; et, quod ad pontificios attinet, tranſſubſtantiationis dogma, ſacrificium miſſaticum, communio ſub vna, elementorum item eucharisticorum adoratio, et Romanenſium de illorum, qui ſacramento vtuntur, dignitatis ratione, placita reiiciuntur; tum vero, quae in hoc ſpeciatim articulo expoſitae de vera et reali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia ſententiae orthodoxae aduerſantur, et repugnant, ſacramentariorum propoſitiones, ſingulatim recenſentur, atque damnantur. Cum deteſtatione denique repudiantur curioſae omnes, ſarcaſmis tinctae, et blaſphemae quaeſtiones, craſſique, carnales, et capernaitici, qui de ſupernaturali et coeleſti ſacramenti huius myſterio proferuntur, ſermones; graui addita ſacramentariorum, capernaiticam corporis Chriſti manducationem malitioſe nobis affingentium, mentione.

SECTIO II

THETICO ELENCTICA

THESIS I

Sacra coena, alterum noui teſtamenti ſa- cramentum, actio eſt, a Domino et Saluatore noſtro,[1] IESV Chriſto inſti- tuta, qua verum corpus Chriſti, cum pane benedicto, ore, ſupernaturali modo, manducandum, et ſanguis ipſius, cum vino benedicto, conſimiliter bibendus, communicantibus chriſtianis exhibentur, ad ſatiſfactoriae mortis Chriſti recordationem, remiſſioniſque peccatorum obſignationem, et fidei ad vitam aeternam confirmationem.

Vid. *Aug. Conf. art. X, et Apol. ad h. art. p. 157, ſeq. Art. Smalc. part. III, art. VI; Catech. min. p. 380, ſeqq. mai. p. 552, ſeqq. Form. Conc. art. VII, epit. p. 591, ſeqq. declarat. p. 725, ſeqq.*

Expoſitio, cum βεβαιώσει.

Sacra coena, alterum quae eſt N. T. ſacra- mentum, compluribus nominibus appel- lari ſolet. Horum praecipuum eſt, quo *coena dominica*, ſiue, *Domini*, vocatur; ſi- qui-

quidem hoc ipſo nomine ab apoſtolo, *1 Cor. XI, 20*, inſignitur. Nam per Κυριακὸν δεῖπνον euchariſtiae ſacramentum ibi ſignificari, quod pontificii perperam negant, ex *v. 23, et ſeqq.* manifeſto apparet. Conſentientes veterum eccleſiae doctorum expoſitiones, contra MALDONATVM, IS. CASAVBONVS, in *exercitat. ad annales eccl.* BARONII, *exerc. XVI, n. 32, p 453, ſeqq.* affert. Appellationis ratio haec eſt: *coena* dicitur, ad inſtitutionis tempus habito reſpectu; *dominica*, a *Domino*, qui eam inſtituit; cuius corpus et ſanguis in illa exhibentur; et in cuius mortis eadem inſtituta eſt annuntiationem. Ab eodem apoſtolo *menſae Domini* nomine deſignatur, *1 Cor. X, 21.* Ex ſacrarum litterarum, quibus de ſacramento hoc agitur, verbis, *Matth. XXVI 26, 27; 1 Cor. X, 16; XI, 20*, deductis nominibus, id ipſum εὐλογία, εὐχαριστία, κοινωνία, *communio*, itemque σύναξις, appellatur. Haec, et magno numero alia, quae Patrum pietas adinvenit, et eccleſiae vſus comprobauit, ſacrae coenae nomina luculento commentario explicauit CASAVBONVS, *l. c. p. 441, ſeqq.* Add. IOH. CASP. SVICERVS, *obſerv. ſacr. cap. IV, p 85. ſeqq.* De appellationibus *miſſae*, et *ſacramenti altaris*, quarum illa confeſſores noſtri, in *articulo III C. A. de abuſ.* hac LVTHERVS, vſi ſunt, earumque ratione, in *ſectione prima* expoſuimus.

Sa-

Sacram coenam veri nominis eſſe ſa-
mentum, cum omnia, quibus gaudet,
cramenti, propriiſſime ſic dicti, requi
id manifeſtum faciant, non opus eſt,
pluribus demonſtremus. Auctorem, ſi
cauſam, quam vocant, efficientem illa hab
Dominum et Seruatorem noſtrum, IES
Chriſtum, non excluſis Patre, et Spi
ſancto. Etenim Chriſtus θεάνθρωπος,
cte illa, qua traditus eſt ad mortem, ſac
coenam, vt ſacramentum noui teſtame
ſolemniter inſtituit, perpetuam illius in
cleſia adminiſtrationem, ad eum modu
quo ipſe eam tunc adminiſtrauit, perag
dam, ſanciendo. Mandatum Chriſti de
crae coenae, vt ſacramenti, perpetuo in
cleſia vſu, ex ipſis inſtitutionis eius ve
clariſſime cognoſcitur; eodemque pert
id, quod apoſtolus ad Corinthiacam ec
ſiam ſcribit, *1 Cor. XI, 26.* Hinc etiam,
tieſcunque ſacra coena, per miniſtros ec
ſiae, legitime conſtitutos, debito admi
ſtratur modo, cauſa illius efficiens eſt C
ſtus, eo dum corpus et ſanguinem ſu
cum ſymbolis, rite conſecratis, vt vna c
iis accipiantur, coniungit, ſicque adeo
ficit, vt ea, quae circa ſymbola externa
te verſatur, actio ſacramenti indolem
turemque naneiſcatur.

De ſacramenti huius, quae dicitur,
teria, vere IRENAEVS, *contra haereſes lib*

c. 18, *edit.* R. MASSVET, p. 251. εὐχαριστία, inquit, ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου, *euchariſtia ex duabus conſtat rebus, terrena et coeleſti.* Terrena, *panis* eſt atque *vinum*; coeleſtis, *corpus et ſanguis Chriſti.* Vtramque ſacramenti huius materiam conſtituit Seruator. Ad terrenam enim illam quod attinet, cum euchariſtiam inſtitueret, diſcipulis ſuis *panem*, ῥητῶς, nominatum, manducandum dedit, et ex calice, τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλου, vt ex *Matth. XXVI, 29,* et *Marc. XIV, 25,* liquet, in ſe continente, adeoque *vinum* illos bibere iuſſit. Haec igitur res terrena cum ab ipſo Domino ſit ordinata, ac proinde ad ſacramenti huius pertineat eſſentiam, per ſe patet, in omni legitima ſacrae coenae adminiſtratione haecce elementa, panem videlicet et vinum, neceſſario eſſe adhibenda, illicitamque prorſus eſſe ſub aliis elementis, ſeu ſymbolis, eiuſdem celebrationem. De panis euchariſtici qualitate et quantitate, externaue forma diſputationes, concertationeſque non moramur, cum ſint de ἀδιαφόροις, ſeu de iis, quae diuino carent praeſcripto. Id tantum ex ordinatione Chriſti neceſſarium eſt, vt verus, quoad ſubſtantiam, panis, ex farina nimirum frumentacea et aqua confectus, in euchariſtiae adminiſtratione adhibeatur. Vinum item in illa adhiberi debet verum atque naturale, ſiue rubrum ſit, ſiue album; ſiue merum,

merum, ſeu aqua dilutum: aquam enim neceſſario miſcendam eſſe vino, quod Tridentini, *ſeſſ. XXII, c. 7,* edicunt, nullo nititur mandato diuino.

Rem, ſiue materiam coeleſtem ſacramenti euchariſtiae, verum ac ſubſtantiale *Chriſti corpus*, et verum ac ſubſtantialem *Chriſti ſanguinem* eſſe, luculentiſſime docent inſtitutionis coenae Dominicae verba, prout ea a tribus euangeliſtis, MATTHAEO, MARCO, LVCA, et ab apoſtolo PAVLO, *1 Cor. XI, 23, ſqq.* exhibentur. Etenim panem benedictum porrigens Seruator, diſerte dicit: *hoc eſt corpus meum*, quod pro vobis datur; ſimiliterque ex poculo benedicto bibere iubens, ait: *hoc eſt ſanguis meus*, noui teſtamenti ſanguis, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Veram, realemque corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentiam, his ipſius verbis declarari, nec aliter, quam in vſitata, propria et communi ſignificatione, illa accipi poſſe et debere, omnes omnino inſtitutionis coenae dominicae circumſtantiae teſtantur. Accedit, teſtamenti ea eſſe verba, in quibus τὸ ῥητὸν cum maxime eſt ſeruandum; tum vero proprium eorundem ſenſum egregie prorſus confirmat PAVLVS, *1 Cor. X, 16*, vbi panem et vinum benedictum κοινωνίαν eſſe dicit τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, eoque ipſo, eodem, quo panis et vinum adſunt, modo, id eſt, vere

vere ac realiter, corpus et ſanguinem Chriſti in ſacra coena adeſſe, docet. Pluribus hae rationes, quibus germana verborum Chriſti ſententia ſtabilitur, in *Form. Conc. art. VII. p. 739. ſeqq.* ediſſeruntur.

Explicanda iam eſt rei coeleſtis cum terrena *unio*. Haec in vera et reali corporis Chriſti cum pane, et ſanguinis ipſius cum vino, in legitimo ſacramenti huius vſu, coniunctione conſiſtit, ita, vt, dum pro corporis panis et vinum naturali et ſenſibili accipitur modo, ſimul cum pane et vino corpus et ſanguis Chriſti, ſupernaturali et inſenſibili accipiatur modo. Ad ipſum igitur ſacramenti vſum *unio* haec ſpectat, indeque dicitur *ſacramentalis*; nec pontificia ſolum *tranſſubſtantiatio*, ſed etiam, quas Reformati eccleſiis noſtris falſo imputant, *impanatio*, et *conſubſtantiatio*, per illam repudiantur. Deſcripta hoc modo vnio ſacramentalis in ipſa etiam fundata eſt coenae dominicae inſtitutione. Seruator enim noſter, cum coenam hanc inſtitueret, praeſentibus in illa verum panem manducandum, et verum vinum bibendum dedit; panem autem benedictum iis porrigendo, dicens: *accipite, edite: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, hoc*, quod cum pane vobis exhibeo, EST CORPVS MEVM; et ex calice benedicto bibere ipſos iubens, his additis verbis τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, κ. τ. λ. *hoc enim eſt* SANGVIS MEVS, eo

ipſo

ipſo verum corpus ſuum cum pane ſimul edendum, et verum ſanguinem ſuum cum vino dedit bibendum. Vnde adeo conficitur, talem inter rem ſacramenti huius coeleſtem, corpus videlicet et ſanguinem Chriſti, et rem terreſtrem, panem et vinum, eſſe vnionem, qua vtraque in eſſe ſuo permaneat, vtraque vero etiam ſimul, vere ac realiter, vno ab his, qui ſacramento vtuntur, accipiatur actu. Panis ſubſtantiam per conſecrationem non aboleri, verumque adeo a communicantibus edi panem, apoſtolus, 1 Cor. *XI, 26, ſeqq.* luculenter confirmat.

Ex corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia, et ſacramentali cum pane et vino vnione conſequitur, omnes qui ſacramento hoc vtuntur, non pios tantum et credentes in Chriſtum, ſed indignos etiam, impios, hypocritas, verum corpus et verum ſanguinem Chriſti, ore, in ſacramento accipere; ſiquidem ſacramenti ſubſtantiam non fides conſtituit vtentis, nec ab hac, ſed ab inſtitutionis diuinae virtute vnio pendet ſacramentalis; omneſque adeo, quibus panis benedictus, et vinum benedictum in coena diſtribuuntur, vna cum his corpus etiam accipiunt, et ſanguinem Chriſti. Integrum omnino, quoad ſubſtantiam, ſacramentum indignos etiam percipere, in *Form. Conc. art. VII, p. 743, et 751,* ſolide demonſtratur, et Pauli teſtimonio, *1 Cor. XI, 27, 29,* luculenter

que

que τοῦ προδότου, qui coenae Domini cum caeteris apoſtolis interfuit, exemplo comprobatur. Tantum vero abeſt, vt indigni conuiuae ſalutarem ſacramenti fructum percipiant, vt potius manducatio et bibitio, teſte apoſtolo, *l. c.* ad iudicium, et damnationem iis cedat, ſi non conuertantur, et poenitentiam agant.

Finis inſtitutae a Domino ſacrae coenae, mortis ipſius recordatio eſt, et commemoratio, *Luc. XXII, 19*; *1 Cor. XI, 24, 25, 26*, vera nimirum peragenda fide. Complures cum fine illo coniuncti ſunt fructus et effectus ſalutares, quorum digni et fideles conuiuae participes fiunt, euangelicae in primis de remiſſione peccatorum promiſſionis obſignatio, et fidei ad ſalutem aeternam confirmatio. v. *Catech. min. p. 381; mai. p. 555, ſqq.*

Errorum confutatio.

Valde controuerſus eſt articulus de ſacra coena, veraque et orthodoxa eccleſiarum noſtrarum de illa doctrina acres aduerſarios habet, tam *Caluinianos*, ſeu *Reformatos*, et, cum illis in eo conſentientes, *Socinianos* et *Arminianos*, qui corporis et ſanguinis Chriſti veram et realem in euchariſtia praeſentiam, oralemque cum pane et vino manducationem ac bibitionem, maximopere impugnant, itemque ſacramenti huius efficaciam negant; quam *Pontificios*, qui panis et

vini in corpus et ſanguinem Chriſti ſtatim conuerſionem. Pontificium tranſſubſtantiationis dogma, et coniunctos cum illo errores, tum vero etiam introductam in eccleſia Romana communionem ſub vna, miſſamcumque ſacrificiolum, ſingularibus, quae ſequentur, theſibus refellere, nobis eſt conſtitutum. Iamque adeo rationes, quibus [illegible] formati, et qui illis ſunt ὁμόψηφοι, noſtram de reali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia, connexiſque capitibus, doctrinam euertere conantur, diſcutiemus. Sententia noſtra cum ipſis inſtitutionis Chriſti nitatur verbis, id omnibus aduerſarii agunt modis, vt firmiſſimum hocce fundamentum labefactent, conuellantque. Nempe verba inſtitutionis improprie accipienda eſſe, contendunt, ex ea maxime ratione, quia, ſi κατὰ τὸ ῥητὸν illa exponantur, id praeter alia ἄτοπον inde ſequatur, vnum corpus in pluribus ſimul eſſe poſſe locis. Sensum ſcilicet, coecaeque in rebus diuinis rationis iudicio ſacramentum ſubiiciunt, quod CHRYSOSTOMVS vere μυστήριον φοβερὸν καὶ φρικτὸν vocat; et a corporis, mere humani, ſecundum proprietates naturales ſpectati, conditione ad corpus Chriſti, quod, per propter vnionem perſonalem, per quam humanae Chriſti naturae omnia idiomata diuina communicata ſunt, omnipraeſentia gaudet, ſeu rebus creatis omnibus adeſt, inepte ſum[...]

ſime conſequentiam ducunt. Verba inſtitutionis Chriſti in proprio omnino, vt ſupra oſtendimus, accipienda ſunt ſenſu, a quo, ſecundum communem bonae interpretationis regulam, neutiquam hic diſcedendum eſſe, ex eo liquet, quia teſtamenti Domini rationem illa habent, et a tribus euangeliſtis, et PAVLO, eodem plane modo, nullo, ne minimo quidem, impropriae acceptionis indicio dato, referuntur; tum vero proprie intelligenda ea eſſe, apoſtoli verbis, 1 *Cor. X*, 16, et *XI*, 27, 29, confirmatur.

Videamus nunc, quam inanem aduerſarii, in ſenſu improprio verbis inſtitutionis adiudicando, operam inſumant. Mirus in conſtituendo illo inter ipſos, luculento malae cauſae indicio, deprehenditur diſſenſus. CAROLOSTADIVS, qui primus inter ſacramentarios extitit, Chriſtum menſae aſſidentem, dicendo: »hoc eſt corpus meum, corpus ſuum digito oſtendiſſe, ſtatuit; quam vero eius ſententiam, vt abſonam, ſacramentarii caeteri omnes reiecerunt. Neque vero minus perperam hi ipſi pronomen HOC ad ſolum *panem*, quem Chriſtus accepiſſe, et fregiſſe dicitur, referunt; cum neutrius generis pronomine TOYTO totum deſignetur complexum, panis videlicet, et corpus Chriſti, verbaque Saluatoris exhibitiuae rationem habeant propoſitionis, qua, vbi duae res, certo modo vnitae, exhibentur, ea, quae

principalis eſt, nominari ſolet. Iamque tropicum iidem verbis Chriſti tribuentes ſenſum; in copula EST alii, alii in praedicato conſtituunt tropum, nonnulli in tota propoſitione eum latere, fingunt. Copulam EST metaphorice accipiendam eſſe, idemque notare, quod SIGNIFICAT, primus ſtatuit ZWINGLIVS, et in eo MVSCVLVM, ZANCHIVM, alioſque complures nactus eſt ſuffragatores. Contra ea OECOLAMPADIVS et CALVINVS metonymiae tropum in praedicato inueniſſe, ſibi viſi ſunt, et ille quidem, per metonymiam ſignati pro ſigno, CORPVS pro ſigno, ſymboloue corporis Chriſti; hic autem idem illud, per metonymiam ſubiecti pro adiuncto, pro efficacia corporis Chriſti poſitum eſſe, exiſtimauit. Falſos eſſe artifices iſtos, et, qui hos illoſue ſequuntur, reformatos, ex eo facile patet, quod, in verbis inſtitutionis, τὸ ἘΣΤΙ-EST, συνδετικὸν, ſeu *copulatiuum*, tropique adeo ſit incapax; CORPVS autem et SANGVIS CHRISTI, ob προσδιορισμὸν, cum illi addatur: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, huic: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, de vero ſubſtantiali corpore et ſanguine neceſſario accipi debeant, ac proinde nulla praedicatione metonymicam admittant interpretationem. Ἀπροσδιόνυσα prorſus ſunt, quae tropicarum iſtarum verborum inſtitutionis expoſitionum auctores pro iiſdem tuendis attulerunt, argumenta, ſub examen reuocata, e

expl

exploſa omnia a noſtratibus theologis, ex quibus nominaſſe, ſufficiat, GERHARDVM, in *loco de S. Coena, cap. X, de retinenda τῶν ῥητῶν in verbis coenae, §. 88, ſqq.* et, qui ſingulari ſtudio id praeſtitit, SCHERZERVM, *in collegio anti Caluiniano, p. 555, ſqq.*

Orali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena manducationi et bibitioni, cum infeſti maxime ſint Caluiniani, verbis, quibus illa firmatur, EDITE, BIBITE, duplicem attribuunt ſignificatum, *proprium*, quoad panem et vinum, *improprium*, credendi ſcilicet, quoad corpus et ſanguinem Chriſti; contra communem illam regulam, qua unum idemque verbum in vna ſimplici propoſitione duplicem, eamque diuerſam ſignificationem habere nequit. Rationes, quibus oralem manducationem oppugnant, potiſſimum haec ſunt. Chriſti corpus ſpiritualem cibum eſſe, et ſpiritualiter, id eſt, fide edi, aiunt. Sed probe diſtinguendae ſunt ſpiritualis corporis Chriſti manducatio, de qua *Ioh. capite VI* agitur, et ſacramentalis manducatio, quemadmodum in *Formulae Concordiae articulo VII, p. 743, ſqq.* oſtenditur, vbi duplicis huius manducationis diſcrimen explicatur. Per ſpiritualem illam manducationem, quae omnibus chriſtianis, omni tempore, ad ſalutem neceſſaria eſt, ſacramentalis neutiquam tollitur manducatio, qua in ſacra coena ore corporis accipimus ſubſtantiale cor-

 pus

pus Chriſti; quin etiam ſpiritualis illa neceſſario requiritur ad ſalutarem ſacramentalis manducationis percipiendum fructum. Altera aduerſariorum ratio falſa nititur de manducatione orali opinione. Oralem nimirum corporis Chriſti manducationem non, niſi naturali modo, fieri poſſe, ſentiunt, indeque, oralem, et naturalem ſeu phyſicam, pro vna eademque habentes manducatione, re ipſa capernaiticam, deteſtabilemque adeo, illam eſſe, dicunt. Hinc conuicia illa, quibus oralem manducationem ZWINGLIVS, BEZA, et, horum exemplo, alii proſcindunt; hinc iniquiſſimae illae, quae nobis, aſſertoribus illius, fiunt, imputationes. Enimuero ſacramentalis corporis Chriſti manducatio, oralis quidem omnino et propria, vt ex inſtitutione coenae dominicae, ſaepiuſque iam laudatis PAVLI dictis liquet, nequaquam vero naturalis, ſeu phyſica eſt comeſtio; nec naturali, ſed ſupernaturali et incomprehenſibili, coeleſtique modo, vt *F. C. p. 600. et 746*, docet, cum pane et vino, ore accipitur corpus et ſanguis Chriſti. Itaque oralis corporis Chriſti manducatio, in ſacramento ab ipſo Domino inſtituta, quam nos profitemur, non ſine graui iniuria capernaiſmi incuſatur. Capernaiticam manducationem quantopere deteſtemur, ex *F. C. p. 604*, ſatis ſuperque coguoſci poteſt. Corporis et ſanguinis Chriſti ſubſtantialis in ſacra coena

acce-

acceptionem fidelibus cum denegent Caluiniani, facile hinc intelligitur, ſupra expoſitae, confirmataeque, de *indignorum* corporis et ſanguinis Chriſti *manducatione et bibitione*, doctrinae noſtrae eoſdem etiam cum maxime aduerſari, illamque repudiare. Quam indignis id ipſum fiat modis, oſtendit GERHARDVS, in *loca de ſacra coena, §. 240, ſqq.*

Sociniani, quorum de coena Domini aſſertiones ad ſacramentum hocce prorſus euertendum comparatae ſunt, ſacram coenam, quam *panis ſacri fractionem* appellant, in *Catech. Rac. edit. recogn. p. 123,* definiunt, quod ſit „Chriſti Domini inſtitutum, vt fide„les ipſius panem ſimul frangant, et come„dant, et ex calice bibant, ipſius commemo„randi, ſeu mortem eius annuntiandi cauſa.“ Verba inde Domini: *hoc eſt corpus meum*, *p. 128*, ita exponunt, quaſi Chriſtus dixerit: „panem hunc, qui frangitur, eſſe corpus „ſuum, pro nobis tradendum, hoc eſt, ſignum memoriale, et figuram quandam eſſe corporis ſui, noſtra cauſa, mox frangendi, id eſt, „lacerandi, configendi, conuulnerandi atque „excruciandi; ſimiliter et calicem, ſeu vinum „calice contentum, eſſe ſuum ſanguinem, „pro nobis mox effundendum, eandem ob „cauſam.“ Atque hac ratione „tum ritum „fractionis panis, tum panem et calicem „ipſum, Chriſti corpus et ſanguinem dici „poſſe,“ addunt. Peruerſiſſime ita inſtitu-

anno MDCCXXX edita, *p.* 157. *ſqq.* propoſuit, vt talem, quae apta maxime ſit, ad conciliandas diuerſas Lutheranorum maxime et Reformatorum opiniones. Summa eſt: panem et vinum in ſacra coena vicaria eſſe corporis et ſanguinis Chriſti; ſymbola illa omnem virtutem et efficaciam ſacrificii Chriſti, in morte ſua Deo oblati, in ſe continere; panem et vinum, per conſecrationem, ex ſtatu ſuo naturali in ſupernaturalem, citra conuerſionem in corpus et ſanguinem Chriſti, transferri; acceptionemque eorum aequiualere corporis et ſanguinis Chriſti acceptioni. Ecquis non videt, mera haec omnia eſſe commenta, ac, per iſtam ſententiam, realem corporis et ſanguinis cum pane et vino vnionem, quae firmiſſimo ſacrarum litterarum nititur fundamento, tolli. Ex inſtituto id oſtendit IO. CHRISTOPH. COLERVS, in peculiari ſcripto, quod recenſetur in *der fortgeſezten Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen, ad an.* 1735. *p.* 638. *ſqq.*

Finem et *effectum* coenae Domini, qui praecipue in euangelicae de remiſſione peccatorum promiſſionis obſignatione, fideique conſiſtit confirmatione, ſiquidem in hac coena nobis illud ipſum corpus, quod in mortem pro nobis eſt traditum, et ille ipſe ſanguis, qui pro peccatis noſtris in ara crucis effuſus eſt, exhibentur, pernegant *Sociniani*, ex praeiudicata illa ſua quam de euchariſtiae

natura

natura et fine fouent, opinione. Vid. *Catech. Racou. p. 123, ſq.* Inanes eorum contra verum ſacrae coenae finem obiectiones a SCHERZERO, in *coll. anti-Socin. p. 956, ſqq.* refelluntur. *Caluiniani*, qui memoratum fructum et effectum S. C. inficiantur, ab eodem, in *coll. anti-Caluin. p. 620, ſqq.* confutantur. *Pontificiorum* de fine et effectu eucharistiae, in *Concil. Trid. ſeſſ. XIII, cap. 2*, expoſitam, doctrinam ſub examen reuocauit, et, *canone V*, qui ita habet: „ſi quis dixerit, vel, „praecipuum fructum ſanctiſſimae euchari„ſtiae eſſe remiſſionem peccatorum, vel, ex „ea non alios effectus prouenire, anathema „ſit,“ euangelicos, prius illud vere affirmantes, poſterius neutiquam negantes, iniuſte damnari, oſtendit CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid. part. II.* Add. GERHARDVS, *de S. C. § 215, ſqq.*

THESIS II

In ſacra coena corpus et ſanguis Chriſti vere quidem adſunt, et cum pane, vinoque benedicto ſacramentaliter vniuntur; nequaquam vero panis in corpus Chriſti, et vinum in ſanguinem Chriſti, per tranſſubſtantiationem, mutatur.

Vid. *Art. Smalc. part. III, art. VI, p. 330; Form. Conc art. VII, epit. p. 602, declarat. p. 756.*

AVT-

Ἀντιθέσεως confutatio.

Theſis haec oppoſita eſt ei, qui primum inter grauiſſimos eccleſiae Romanae in doctrina de ſacra coena locum tenet, errori, pontificio videlicet de tranſſubſtantiatione commento. Non de vera, reali, et ſubſtantiali corporis et ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia, ſed de praeſentiae modo inter nos et Romanenſes eſt controuerſia. Etenim corpus et ſanguinem Chriſti in euchariſtia vere ac ſubſtantialiter adeſſe, nos omnino affirmamus, defendimuſque: eum vero in modum adeſſe, profitemur, vt, in legitima ſacramenti adminiſtratione, cum pane et vino vniantur, et vna cum his ab omnibus, qui ſacramento vtuntur, ore corporis accipiantur; prout praecedente pluribus expoſuimus theſi. Monſtroſum igitur illum, quem Romanenſes confinxerunt, modum reiicimus, damnamuſque. Nempe ſtatuunt, ſubſtantiam panis et vini conuerti in ſubſtantiam corporis et ſanguinis Chriſti, ita vt ſubſtantia panis et vini intereat, et annihiletur, inque locum eius ſuccedat ſubſtantia corporis et ſanguinis Chriſti, remanentibus ſolis panis ac vini accidentibus; indeque adeo, confictam panis et vini in corpus et ſanguinem Chriſti conuerſionem, *tranſſubſtantiationem* vocant. Vid. *Concilium Tridentinum, ſeſſ. XIII de euchariſtia, cap. 4.* et *can. 2.*

Falſo

Falſo patres Tridentini aiunt; *perſuaſum ſemper in eccleſia Dei fuiſſe*, in eucharistia, per conſecrationem panis et vini, horum ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam corporis et ſanguinis Chriſti. Nullum enim ſententiae iſtius in genuinis antiquitatis monumentis indicium extat, pontificiumque transſubſtantiationis dogma in veteri eccleſia incognitum plane fuit, atque inauditum: id quod, ſingulari opera, ſolideque, IO. COSINVS, epiſcopus Dunelmenſis, in *hiſtoria transſubſtantiationis papalis*, et EDMVNDVS ALBERTINVS, in eo, quod *de ſacramento eucharistiae* edidit, opere, demonſtrarunt. Tantum abeſt, vt priſci eccleſiae doctores illi addicti fuerint errori, vt potius, panis et vini, poſt conſecrationem, ſubſtantiam remanere, perſpicue docuerint. Hanc in ſententiam dicta eorum, poſt CHEMNITIVM, in *exam. Conc. Trid. part. II, loc. IIII. ſect. 4. p. 380, ſqq.* laudatoſque duumuiros, et caeteros, adducit, vindicatque S. R. DEYLINGIVS, in *exercitat. de nouitate errorum pontificiorum circa eucharistiam*, *obſeruat. miſcellan p. 355, ſqq.* Conuerſionem panis et vini in corpus et ſanguinem Chriſti primus in ſcenam produxit PASCHASIVS RADBERTVS, abbas Corbeienſis, ſeculo poſt C. N. nono: cui vero plures contradixerunt, ac diu multumque acriter ea de re diſputatum eſt. Anno demum, ſupra milleſimum et ducenteſimum, quinto

quinto ac decimo, INNOCENTIVS, Papa III, in Lateranenſi concilio quarto, tranſſubſtantiationem Romanae eccleſiae fidei conſtituit dogma. Etenim primo illius *de fide catholica* definitum eſt decreto: „corpus et ſanguinem Chriſti in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis et vini veraciter contineri, TRANSSVBSTANTIATIS pane in corpus, et „vino in ſanguinem Chriſti.“ Vid. *Concil. ex edit.* LABBEI *et* COSSARTII, *tom. XI, p. 143.* Atque ab illo maxime tempore Latini doctores, in nouo iſto dogmate, quod BERNHARDINVS de SENIS, principaliſſimum catholicae fidei et cultus diuini fundamentum vocat, quodque ad ſummam ſacerdotum, creatorem ſcilicet ſuum creantium, dignitatem, auctoritatemque a GABRIELE BIEL refertur, tradendo, exornando, confirmandoque, ſtudium et operam omnem ponere coeperunt.

Eſt vero pontificia *tranſſubſtantiatio*, (ampliſſima nimirum, vt Tridentini aiunt, ad id ſcilicet, quod ſtatuunt, exprimendum, iſta eſt appellatio; nam monſtroſo dogmati monſtroſum vtique conuenit nomen,) non ἄγραφος ſolum, ſed etiam ἀντίγραφος, coeleſtiſque doctrinae veritati multis modis repugnat. Aduerſatur ea *primum* diſertis apoſtoli verbis, *1 Cor. XI, 26, ſqq.* vbi panem ille benedictum, ſiue conſecratum, qui in ſacra coena [illegible]tur, et vinum, quod bibitur, his ipſis nomini-

minibus appellat, quod facere non potuiſſet, ſi quidem, per conſecrationem, panis et vini ſubſtantia deſtrueretur. Accidentia enim panis haudquaquam panis et vinum, quod pontificii volunt, appellari poſſunt; nec accidentia panis et vini eduntur, ac bibuntur. Ita et Seruator ipſe, vinum, cui benedixerat, quodque cum ſanguine ſuo biberant apoſtoli, γέννημα τῆς ἀμπέλου, *germen vitis* appellat, *Matth.* XXVI, 29; *Marc.* XIV, 25. Repugnat, *ſecundo*, tranſſubſtantiatio cum maxime aſſertioni Paulinae, 1 *Cor.* X, 16, qua panis et vinum κοινωνία *communicatio* eſſe dicuntur corporis et ſanguinis Chriſti. Ad κοινωνίαν enim, qua duae res inter ſe vnitae ſunt, neceſſario requiritur, vt vtraque vere adſit: nam, commutata vna in alteram, tollitur earundem κοινωνία. Itaque, cum panis benedictus ſit communicatio corporis Chriſti, nequaquam ſubſtantia eius aboletur, et in nihilum redigitur; nec, cum panis medium ſit ſacramentaliter communicandi corporis Chriſti, in hoc ipſum ſubſtantialiter is commutatur. Pugnat, *tertio*, tranſſubſtantiatio cum analogia fidei, ſiquidem euchariſtiam neceſſario ſacramenti, quod extra controuerſiam veriſſime illa eſt, requiſito, externo videlicet elemento, ſeu materia priuat terrena. Sanae rationi quam abſonum ſit tranſſubſtantiationis commentum, non opus eſt, vt pluribus ediſſeramus.

Ecquis

Ecquis enim neſcit, accidens ſine ſubiecto, cui inhaereat, eſſe non poſſe. Panis igitur et vini ſubſtantiam in eucharistia deſtrui, vtriuſque vero accidentia remanere, quod dogma iſtud dicit, manifeſta eſt contradictio in adiecto.

Videamus nunc, quaenam ſint, quas, pro tuendo inani illo ſuo tranſſubſtantiationis commento, Romanenſes, praeſertimque BELLARMINVS, *de ſacramento eucharistiae lib. III, c. 19, et ſeqq. controuerſ. t. III. p. 328, ſqq.* afferunt; rationes. Ingenue quidem Papiſtae nonnulli, a SCHERZERO, in *anti-Bellarmino, p. 529*, nominati, fatentur, dogma iſtud ex Scriptura demonſtrari non poſſe, nec in illa contineri; patres tamen Tridentini ex ipſis inſtitutionis verbis illud repetunt, et in eo, quod Chriſtus id, quod ſub ſpecie panis obtulerit, corpus ſuum vere eſſe dixerit, tranſſubſtantiationis fundamentum ponunt. Tridentinorum veſtigiis inſiſtit BELLARMINVS, *l. c. p. 328*, et ex verbis Domini: *accipite, et manducate, hoc eſt corpus meum*, arguit, haec verba neceſſario inferre aut veram mutationem panis, aut metaphoricam. Non improprie et figurate panem mutatum eſſe, ait: hanc enim Sacramentariorum eſſe ſententiam, quam et catholici, et Lutherani communi conſenſu reiiciant. Remanere igitur, „Dominum panem, benedicendo, in „corpus reipſa, vere, et proprie, mutaſſe, „muta-

„mutatumque illum dediſſe, ac de eodem „mutato veriſſime dixiſſe: *hoc eſt corpus* „*meum*; hoc ſenſu: *quod ſub ſpecie panis con*„*tinetur, non eſt amplius panis, ſed corpus.*“ Nullam mutationem fieri affirmantibus, (quae vera euangelicorum eſt ſententia,) obiicit, „eos cogi dicere, panem non muta„tum datum eſſe apoſtolis, et de illo eſſe di„ctum: *hoc eſt corpus meum*, id eſt, hic panis „verus, ac triticeus, vere, et proprie eſt cor„pus meum:“ id vero nullo modo admitti poſſe, addit. Quanquam autem non infrequens eſt in ſacris litteris, illa inuicem praedicari, quae, diuina ordinatione, peculiari modo vniuntur, iiſque propoſitionibus vnionem tantum, et praeſentiam vnius rei cum altera ſignificari; cuiuſmodi exempla adduxit CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid. part. II, l. c. p. 377*, a BELLARMINO nequicquam oppugnata: tamen negamus, in verbis inſtitutionis: *hoc eſt corpus meum*, pronomen τοῦτο, *HOC*, ſignificare: *hic panis*. Etenim τὸ HOC totum notat complexum, et, vſitato in propoſitionibus exhibitiuis more, quo id, quod in complexo eſt nobilius, in praedicato exprimitur, res ſacramenti euchariſtiae coeleſtis, corpus videlicet Chriſti, eſt praedicatum. Quo ipſo adeo plane conuellitur, quod ex verbis inſtitutionis coenae dominicae, ad probandam mutationem, ſeu tranſ-

ſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, a Romanenſibus petitur, argumentum.

BELLARMINVM vtique ratio deficit, ad negandum germanum, quem declarauimus, verborum Chriſti ſenſum. Hinc, ad conciliorum et patrum confugiens auctoritatem, in fine *capitis XIX, p. 330*, „licet, inquit, in „verbis Domini eſſet aliqua obſcuritas, vel „ambiguitas, ea tamen ſublata eſt, per multa „concilia catholicae eccleſiae et patrum con-„ſenſum;" indeque, iſto ſcilicet conſenſu, *cap. XX, et XXI*, probare aggreditur tranſſubſtantiationem.

Quam inanem autem ea in re inſumſerit operam, ſupra laudati auctores ſatis ſuperque oſtenderunt. Nos quidem conciliorum decreta et patrum dicta non aliter admittimus, quam ſi cum ſacra conſentiant ſcriptura, quippe quae vnica doctrinae fidei regula eſt atque norma, et ex qua ſola firma et immota in articulis fidei peti poſſunt argumenta. Falſiſſimum tamen eſt, eccleſiae patres, qui primis poſt Chriſtum natum ſeculis vixerunt, (poſteriorum enim ſeculorum ſcriptores eo loco numeroque minime ſunt habendi,) tranſſubſtantiationem panis et vini in corpus et ſanguinem Chriſti in euchariſtia fieri, docuiſſe. Per μετάληψιν, μεταβολὴν, μεταποίησιν, quae, ſimileſque voces de ſacramentalibus elementis ab iiſdem aliquando, cum maxime autem in liturgiis, adhibentur,

(μετου-

(μετουσίωσις enim recens confictum eſt vocabulum, quod in veterum Graecorum ſcriptis nuſpiam occurrit,) nequaquam eſſentialis eorum in corpus et ſanguinem Chriſti conuerſio, ſed accidentalis mutatio, ſeu βελτίωσις, in alium et nobiliorem ſtatum tranſlatio, deſignatur, ita vt panis, quoad ſubſtantiam, ſit ac maneat, quod ante conſecrationem fuit, ſed ex inſtitutione et promiſſione Chriſti, virtute ipſius, ſymbolum fiat ſacramentale, per quod corpus Chriſti omnibus, ſacramento vtentibus, diſtribuatur, ſiue κοινωνία corporis Chriſti; prout ſolide demonſtrauit b. GERHARDVS, in *loco de S. coena*, § *138*; qui et, § *139 et 140*, omnia ac ſingula, quae pro tranſſubſtantiatione BELLARMINVS adduxit, patrum et conciliorum teſtimonia excuſſit, nec quidquam iiſdem eum profeciſſe, oſtendit. Quae in tertia claſſe BELLARMINVS ponit, et quibus commentum, ſanae rationi prorſus contrarium, ex conuenientia rationis probare inſtituit, argumenta, ἀπροσδιόνυσα plane ſunt atque inepta. Profligarunt illa ipſa GERHARDVS, *l. c.* § *141*, et SCHERZERVS, *l. c. p. 534, ſeqq.*

Ex tranſſubſtantiatione tres profluxerunt, quorum cauſa illam ipſam pontificii pertinaciter propugnant, grauiſſimi errores atque corruptelae, ad idololatricum eccleſiae Romanae cum maxime pertinentes cultum, *panis* videlicet *conſecrati aſſeruatio*, *circumge-*

ſtatio, adoratio. Non eſt, cur de iis pluribus agamus. Exploſo enim tranſſubſtantiationis commento, quam deteſtabiles illae ſint, quas nominauimus, quaeque dicti commenti fundamento vnice nituntur, corruptelae, per ſe patet. Manifeſto eaedem omnes aduerſantur coenae dominicae inſtitutioni, ſiquidem Seruator noſter panem euchariſticum edere, et vinum euchariſticum bibere, neutiquam vero aſſeruare, multo minus adorare, eaque fini circumgeſtare, iuſſit. De panis euchariſtici aſſeruatione ſpeciatim Tridentini, *ſeſſ. XIII, cap 6,* docent, S. euchariſtiam in ſacrario aſſeruandi, et ad infirmos deferendi antiquiſſimam conſuetudinem eſſe; et ſalutarem hunc ac *neceſſarium* morem omnino retinendum eſſe, ſtatuunt: indeque, *canone 7,* anathemate feriunt aliter ſentientes. Quicquid autem ſit de conſuetudinis illius antiquitate, quam vero Romanenſes nequicquam iactare, CHEMNITIVS, *l. c. ſect. 7, p 393, ſqq.* ex inſtituto oſtendit, panis euchariſtici repoſitionem et aſſeruationem, ſalutarem et neceſſarium morem eſſe, falſo aiunt Tridentini, cum illa prorſus ſit ἀγγραφος: ſiquidem extra vſum, a Chriſto inſtitutum, et in verbis inſtitutionis determinatum, non eſt ſacramentum, paniſque conſecratus in legitima tantum euchariſtiae diſpenſatione, vbi communicantibus diſtribuitur, eſt κοινωνία corporis Chriſti. Pontificiae autem panis euchariſtici aſſeruationis

πρῶτο

πρῶτον ψεῦδος eſt tranſſubſtantiatio, qua panem, per conſecrationem, in ſubſtantiam corporis Chriſti conuerti, fingunt.

Ex eodem putido fonte deriuanda eſt panis conſecrati adoratio, et circumgeſtatio, quae in eccleſia Romana religioſiſſime ſeruatur. Tridentini de illa, *ſeſſ. XIII, c. 5*, praecipiunt, et hunc, qui *ſextus* eſt, ſubiungunt canonem: „Si quis dixerit, in S. euchariſtiae „ſacramento Chriſtum non eſſe cultu latriae „etiam externo adorandum, atque ideo nec „feſtiua peculiari celebritate venerandum, „neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem et vniuerſalem E. S. ritum et con„ſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandum, „vel non publice, vt adoretur, populo pro„ponendum, et eius adoratores eſſe idolo„latras, anathema ſit.“ De adoratione Chriſti non eſt quaeſtio. Chriſtum, Dominum ac Saluatorem noſtrum, ſemper et vbique adorandum eſſe, toto animo confitemur. Sed quaeritur, an adoratio, qua Chriſtus in ſacramento adoratur, ad ſymbola euchariſtica ſit dirigenda, ſeu, vt Tridentini, *cap 5*, loquuntur, id, *quod a Domino, vt ſumatur, inſtitutum eſt*, ſit adorandum. Hoc vero eſt, quod, verbi diuini ductu, negamus, ac pernegamus; cumque Romanenſes non in miſſa ſolum ſymbolis euchariſticis, ſed etiam pani conſecrato, qui aſſeruatur, et circumgeſtatur, λατρείας, quem vocant, deferant cul-

tum, idololatriae, ſpeciatimque ἀρτολατρείας meritiſſimo iure ipſos poſtulamus. Euchariſtiae, latriae cultu adorandae, morem in eccleſia ſemper receptum fuiſſe, contra omnem veritatem Tridentini aiunt. Nam plus mille annis ignotus is fuit orbi chriſtiano, inuentoque tranſſubſtantionis dogmate in eccleſiam demum introductus eſt Romanam. Nouitatem eius, contra BELLARMINVM et PERRONIVM, ſolide demonſtrauit IO. DALLAEVS, in praeſtantiſſimo *de cultibus religioſis Latinorum* opere, *libro VII*, qui eſt de euchariſtiae adoratione, *p. 815, ſeqq.* itemque in *diſp. aduerſus Latinorum de cultus religioſi obiecto traditionem, lib. II, p. 216, ſqq.* Add. S. R. DEYLINGIVS, in ſupra laudata exercitatione, *de pontificiorum errorum circa S. euchariſtiam nouitate, obſ. X, et XI, obſeruatt. miſcell. p. 389, ſqq.* Feſtum corporis Chriſti VRBANVS Papa IIII, anno MCCLXI, ex mulierculae reuelatione, inſtituit, eiuſque conſtitutionem, annis quinquaginta poſt, CLEMENS V in concilio Viennenſi confirmauit: a quo adeo tempore, multis inde additis caerimoniis, magnaque cum pompa, ſingulis annis, a Romanenſibus illud celebrari ſolet. Quantopere coenae dominicae inſtitutioni, et diuino, qui Domino ac Seruatori noſtro debetur, cultui repugnet, ad ſuperſtitionem et idololatriam totum compoſitum feſtum iſtud, quamque iuſtae id repudiandi nobis

nobis ſint cauſae, expoſuit CHEMNITIVS, *l. c. ſect. VI, p. 388, ſeqq.* Conſerri meretur luculentus D. IOH. ZVINGERI *de feſto corporis Chriſti tractatus hiſtorico theologicus*, editus Baſileae, anno MDCLXXXV, in quo etiam ab aduerſariis, pro feſti huius confirmatione, obiecta diluuntur. Caeterum, quam ineptae ſint, quas BELLARMINVS, pro tuenda panis euchariſtici repoſitione et aſſeruatione, *de ſacram. euchariſtiae lib. IV, c. 2, 3, 4, p. 347, ſqq.* et pro ſymbolorum adoratione, *c. 29, p. 407, ſq.* affert, rationes, GERHARDVS, *l. c. cap. XVII, XVIII, XIX*; HENR. HOEPFNERVS, in *diſp. de tranſſubſtantiatione, veneratione, circumgeſtatione, et adoratione ſacramenti euchariſtiae, p. p. Lipſiae, a. MDCXX*; SCHERZERVS, in *anti-Bellarmino, p. 539, et p. 568*, praeter alios complures, oſtendunt.

THESIS III

Ad legitimam ſacramenti euchariſtiae adminiſtrationem neceſſario requiritur, vt omnibus omnino, ad ſacram coenam accedentibus, panis pariter, atque vinum euchariſticum diſtribuantur.

Vid. *Aug. Conf. art. I de abuſ. mut. Apol. A. C. a. X, p. 233, ſeqq. Art. Smalc. part. III, art. VI; Form. Conc. art. VII, epit. p. 602, declar. p. 757.*

Erroris oppoſiti confutatio.

Ad praecipuos pontificiorum circa euchariſtiam errores, ſiue corruptelas, ſacramento huic in Romana eccleſia illatas, referenda quoque eſt *communio*, quae dicitur, *ſub vna*. Pontificia nimirum conſtitutum eſt lege, vt laici et clerici, non conſecrantes, ſub vna tantum panis ſpecie, accipiant ſacramentum: hiſque non porrigatur calix benedictus. Damnabilis iſta euchariſtiae mutilatio, ſacrilegii rationem habens, ac proinde iuſtiſſimas ob cauſas, quas pii Confeſſores noſtri, in *Auguſtanae confeſſionis articulorum, quibus abuſus mutati recenſentur, primo* exponunt, in eccleſiis euangelicis abrogata, poſteaquam, inde a ſeculo XIII, in nonnullis occidentis eccleſiis. auſu priuato in eaſdem inuecta, vſurpari coepit, antiqua nihilo minus, communionem ſub vtraque ſpecie dandi, paſſim vigente conſuetudine, ſeculo demum XV, lege, in tota eccleſia Romana perpetuo valitura, ſancita eſt in *Concilio Conſtantienſi.* Decretum, eo nomine, in *ſeſſione XIII*, anno MCCCCXV, habita, conditum, in *conciliorum collectionibus*, ſpeciatimque LABBEANA, *tom. XII, p. 99.* exhibetur.

Notanda in eo cum maxime ſunt haec verba, quibus concilium Conſtantienſe declarat, decernit, et definit: *licet Chriſtus ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie panis*

„*et vini hoc venerabile ſacramentum, tamen*, „HOC NON OBSTANTE, eccleſiae ſeruan„dam eſſe conſuetudinem, quae, ad euitan„dum aliqua pericula et ſcandala, rationabi„liter introducta ſit, nempe vt a conficienti„bus ſub vtraque ſpecie, et a laicis tantum„modo ſub ſpecie panis, id ſuſcipiatur; cum „firmiſſime credendum, et nullatenus dubi„tandum ſit, integrum Chriſti corpus et ſan„guinem, tam ſub ſpecie panis, quam ſub „ſpecie vini, veraciter contineri.“ Ita vero concilium Conſtantienſe perperam introductam conſuetudinem humanam Chriſti praetulit inſtitutioni, edixitque: licet Chriſtus ſub vtraque ſpecie inſtituerit, adminiſtraueritque euchariſtiam, tamen, *hoc non obſtante*, velle ſe, vt ſub vna panis ſpecie tantum laicis ea adminiſtretur: qua de cauſa, et ob adhibitam formulam iſtam, b. LVTHERVS concilium iſtud *obſtantienſe* vocauit. Conſtantienſis concilii de communione ſub vna decretum ſolemniter confirmauit CONCILIVM TRIDENTINVM *ſeſſione XXI*. Tribus Tridentini rem conficere inſtituerunt capitibus. *Primo* docent, laicos, et clericos, *non conficientes*, quos conficientibus, ſtilo, ad hypotheſin ſuam compoſito, ſic dictis, opponunt, non adſtringi *iure diuino* ad communionem ſub vtraque ſpecie: *altero*, eccleſiae circa diſpenſationem ſacramenti euchariſtiae competere *poteſtatem*: *tertio*, totum

et integrum Chriſtum, ac verum ſacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi. Tres ſubiecerunt canones, quibus propoſitae dictis capitibus doctrinae contradicentibus, et communionem ſub vna legitimam eſſe, negantibus, anathema dicunt.

Veriſſime autem, communionem ſub vna, in eccleſia Romana introductam, illegitimam, et euchariſtiae foedam corruptionem eſſe, nos affirmamus. Ad legitimam enim ſacramenti huius adminiſtrationem neceſſario, vt theſis noſtra habet, requiri, vt omnibus omnino, ad ſacram coenam accedentibus, calix benedictus aeque, ac panis benedictus, porrigatur, probamus, *primo*, ex inſtitutione Chriſti; ſiquidem is ſub vtroque illo ſymbolo hoc inſtituit ſacramentum. Ad ipſius autem Seruatoris inſtitutionem, quae teſtamenti etiam rationem habet, euchariſtiae omnino conformanda eſt diſpenſatio, nullique adeo mutationi in iis, quae ad eſſentiam ſacramenti pertinent, relictus eſt locus. Vid. *Gal. III, 15.* Accedit, *ſecundo*, diſertum Chriſti mandatum, quo de calice benedicto omnes, quotquot panem euchariſticum edunt, bibere iuſſit: notatuque cum maxime dignum eſt, Seruatorem, ποτηριοκλεψίαν, in pontificia laicorum communione, proſpicientem, praecepto de bibendo ex calice benedicto addidiſſe vocem: *omnes.* πίετε, dixit, ἐξ αὐτοῦ ΠΑΝΤΕΣ, *bibite ex hoc*

OMNES,

OMNES, *Matth. XXVI, 27*; conſ. *Marc. XIIII, 23*. Inſtitutioni et mandato Chriſti conuenienter, eucharistiam adminiſtrarunt apoſtoli, vt ex *1 Cor. X, 16; XI, 26, ſeqq.* planiſſime liquet: hocque adeo, ab apoſtolorum praxi deſumto, argumento theſin noſtram, *tertio*, valide probamus. Nec ab inſtitutione Chriſti, et apoſtolorum praxi, eccleſia diſceſſit primitiua, quin potius coenae dominicae ſub vtroque ſymbolo diſpenſatio, per duodecim ſecula, perſancte, conſtanterque ſeruata eſt in orbe chriſtiano. Veterum doctorum, et ſcriptorum eccleſiaſticorum eam in rem teſtimonia magno numero exhibent GERHARDVS, *l. c.* § 43, et IO. DALLAEVS, *de cultibus religioſis Latinorum, lib. V, cap. VII-XIII, p. 608, ſqq.* Hos inter GELASIVS Papa, cuius verba in iure canonico, *c. comperimus, diſt. 2 de conſecr.* citantur, diuiſionem ſacramenti huius grande *ſacrilegium* eſſe, pronuntiat. Atque his maxime, firmiſſimis certe, rationibus, cum maioribus noſtris, *A. C. art. cit.* et *Apolog. p. 233, ſqq.*, laicis vtramque ſpeciem ſacramenti in coena Domini dari oportere, confirmamus, iiſdemque adeo, ſancitam in eccleſia Romana, communionem ſub vna illegitimam eſſe, demonſtramus.

Videamus nunc, quibus technis, ad illas ipſas eludendas, vtantur Romanenſes. Chriſtum ſub vtroque panis et vini ſymbolo eucharistiam inſtituiſſe, negare illi nequeunt; idque

idque ipſi, qui contrarium inſtitutioni eius condiderunt decretum, *Conſtantienſes* pariter, atque *Tridentini*, aperte profitentur. Inſtitutionem vero eam praecepti vim habere, vt laici, ad euchariſtiae ſacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum, obligentur, Tridentini, dicto capite primo, negant. At enimuero inſtitutionem Chriſti eo, quo illi negant, omnino tendere, legiſque ac praecepti, in euchariſtiae adminiſtratione ſancte ſeruandi, rationem habere, prorſus eſt indubitabile; ſiquidem diuina inſtitutio omnis, natura ſua, legem in ſe continet, ac praeceptum, quoad *ſpeciem actus*, hoc eſt, conſtitutionem, qua res a voluntate Dei ad certam ſpeciem ita determinatur, vt hoc, et non alio fiat modo. Quandoquidem igitur Chriſtus ſub vtraque ſpecie inſtituit ſacram coenam, hac ipſa inſtitutione vtique ſanxit, ac praecepit, vt hoc et non alio ea adminiſtretur modo, nec panis euchariſticus tantum, ſed calix benedictus etiam communicantibus porrigatur. Diſertum cum ſit Chriſti de calice ab omnibus, ſacramento vtentibus, accipiendo, mandatum, cum dixit: *bibite ex hoc* OMNES; eoque laicorum communio ſub vna plane proſternatur, BELLARMINVS, vt ne ad id obmutuiſſe videatur, *lib. IV de euchar. c. 25, p. 347. ſq.* verba haec ſolis apoſtolis dicta eſſe, et ad hos adeo tantum, eorumque ſucceſſores, non ad laicos, illa ſpe-

ctare,

ſtare, ait. Ineptiſſimum εὕρημα, quo is luculentiſſimi Chriſti mandati vim elidere conatur. Quod ſi enim τὸ *bibite* ſolis dictum eſt apoſtolis, ita vt ad ſolos illos, et ſucceſſores eorum, bibitio ex calice ſpectet, τὸ *edite* quoque neceſſario ad illos ſolos pertinet; cum Seruator iiſdem, quos panem euchariſticum edere iubet, praecipiat, vt de calice benedicto bibant omnes. Hoc igitur poſito, verba Chriſti: *bibite ex hoc omnes*, ſolis apoſtolis dicta eſſe, et ad laicos haud pertinere, ſequitur abſurdum illud, nec panem benedictum laicis dari licere, hoſque adeo euchariſtiae ſacramento prorſus eſſe arcendos. Inepta itidem ſunt, quae ad infirmandum BELLARMINVS affert argumentum, quo communio ſub vtraque ex *prioris ad Corinthios epiſtolae capite XI* vere comprobatur, vbi nimirum apoſtolus, repetita euchariſtiae inſtitutione, chriſtianos, debito modo, panem euchariſticum edere, calicemque bibere, iubet. Vid GERHARDVS, *l. c. § 37, 38, 39.*

Firmiter igitur cum perſiſtant argumenta, quibus, vtramque ſpeciem ſacramenti in coena Domini laicis dandam eſſe, conficitur, rationes iam diſcutiendae ſunt, quibus BELLARMINVS, *cap XXIIII, p 301, ſqq.* communionem ſub vna ſpecie, cum diuinis litteris, ſeu cum Chriſti mandato, non pugnare, probat. Prima ratio, a figuris, iiſque incongruis,

gruis, ſumta, nullius plane eſt momenti. Alteram rationem ſumit ex doctrina, et exemplo Chriſti. Nempe ex verbis Seruatoris, *Ioh. c. VI*, manducantibus carnem ſuam, non ſemel, ſed quater, ſalutem promittentis aeternam, infert, docere ipſum, vnam ſpeciem ſufficere, non vtramque neceſſariam eſſe ad ſalutem. Perperam omnino. Dicto enim capite non de euchariſtia agi, nec de ſacramentali, ſed ſpirituali carnis ſuae manducatione Chriſtum loqui, manifeſto conſtat; tum vero ex illo ipſo, quem pontificii *Iohannis* capiti ſexto inferunt, ſenſu, κατ' ἄνθρωπον arguimus, vtramque euchariſtiae ſpeciem ad ſalutem vtique eſſe neceſſariam, ſiquidem bibitio ſanguinis cum manducatione carnis, non ſemel etiam, ſed ſaepius, ibidem coniungitur, et Dominus, *v. 53, et 54,* diſerte dicit: *niſi ederitis carnem filii hominis, et* BIBERITIS SANGVINEM EIVS, *non habetis vitam in vobis: qui manducat carnem meam, et* BIBIT SANGVINEM MEVM, *vitam habet aeternam.* Add. *v. 55 et 56.* Ad exemplum Chriſti, et primo quidem abſurdiſſime refert id, quod de multiplicatis a Chriſto panibus, nullo ſcilicet potu multiplicato, neque dato, *Ioh. VI, 23,* relatum legitur: deinde coenam, in qua Dominus, poſtquam cum duobus diſcipulis accubuiſſet, ſumto pane, benedixiſſe, fractumque eis dediſſe, dicitur, *Luc. XXIIII, 30.* Quem ad modum autem nullo

nullo certo indicio conſtat, Emmaunticam illam coenam, ſacram fuiſſe euchariſtiam, cum coenae communis potius, vt et patres nonnulli, pluresque veteres ſentiunt ſcriptores, ea habuerit rationem; ita ſi vel maxime de ſacra coena illa ipſa accipiatur, ex eo, quod panis tantum mentio fit, ad vini abſentiam falſo pontificii conſequentiam ducunt, cum hac ratione fatendum eis ſit, Chriſtum, ſub vna panis ſpecie, conſecraſſe; id quod contra ipſorum eſt doctrinam, qua ad conficiendam a ſacerdote euchariſtiam, vini aeque, ac panis conſecrationem neceſſario requirunt. Tertiam rationem BELLARMINVS ex doctrina et vſu apoſtolorum ſumit, huncque ex *Act. II, 42*, probat. Maiori vtique veri ſpecie, quae hoc in loco memoratur, κλάσις τοῦ ἄρτου, *fractio panis*, ad euchariſtiam refertur, licet percommode de communi conuictu, ex comparatione cum *v. 46*, et *Act. XXVII, 35, 36*, exponi poſſit. Nequicquam vero ex appellatione illa Romanenſes colligunt, in ſolius panis diſtributione euchariſtiae conſtitiſſe vſum. Peruulgata enim ſynecdochica haec eſt loquendi ratio, qua, *panis* nomine, cibus potuſque ſignificatur, *Matth. VI, 11*, et caet., quaque Hebraei victus communionem per *fractionem panis* deſignant, ſicut et Graeci conuiuium a *potu* tantum συμπόσιον appellant. Vid. IS. CASAVBONVS, in *exercitat. Anti-Baronian. p. 466.*

p. 466. Perperam igitur ſolius panis in breui hiſtoria illa commemoratio pro indicio communionis ſub vna habetur, venditaturque. Conf. *Apologia A. C. p. 234.* Quas hactenus memoratis BELLARMINVS addit rationes, a re prorſus alienae ſunt. In eo enim cum ſit, vt rationes afferat, quibus probare contendit, *communionem ſub vna ſpecie non pugnare cum diuinis litteris, ſeu cum Chriſti mandato*, illas porro deſumit a teſtimonio veteris eccleſiae, a conſenſu eccleſiae poſterioris, et ab incommodis, quae ſequerentur ex neceſſitate vtriuſque ſpeciei. Mirum videri debet, prouocari ab eo ad teſtimonium veteris eccleſiae, cui, vt ſupra notauimus, per duodecim ſecula ignota fuit communio ſub vna. Praecipuum autem aſſertionis huius ſuae praeſidium ponit in variis eccleſiae veteris ritibus, aſſeruatione videlicet ſacramenti, communicatione domeſtica, infantum, aegrotorum, communione laica, et communione praeſanctificatorum. Sed falſo ex his ipſis vnius ſpeciei colligit vſum. Nam ritus iſti ad communionem ſub vna, contra omnem rei veritatem, referuntur. Vid. CHEMNITIVS *exam Conc. Trid. part. II. loc 5. art. 7, p 449, ſqq.* GERHARDVS, *l. c. §. 60, ſqq.* et DALLAEVS *l. c. cap. XIX-XXIII. p 674, ſqq.*

Reſtat, vt decretorum, quibus *Conſtantienſes* et *Tridentini* communionem ſub vna;

con-

contra inſtitutionem Chriſti et primitiuae eccleſiae praxin, quod ipſimet profitentur, ſanxerunt, fundamenta conuellamus. Nempe, „totum et integrum Chriſtum, ac verum „ſacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi, „aiunt; ac propterea, quod ad fructum atti„net, nulla gratia, neceſſaria ad ſalutem, eos, „qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt, defraudari, Tridentini, *ſeſſ. XI, cap. 3*, addunt. Ita etiam iidem, *ſeſſ. XIII, c 3*, vi naturalis connexionis, et *concomitantiae*, ſub quauis ſpecie totum et integrum Chriſtum eſſe, affirmant, eum ſcilicet in finem, vt euchariſtiae ſacramentum ſub vna panis ſpecie recte diſpenſari, intelligatur. Quam inane autem ſit, quo ſacramenti integritatem pontificii euertere conantur, a *concomitantia* ductum argumentum, b. LVTHERVS, in *articulis Smalcaldicis, p. 330*, his declarat verbis: „non indigemus „doxoſophia iſta, quae nos doceat, ſub vna „ſpecie tantum eſſe, quantum ſub vtraque, „ſicut ſophiſtae et Concilium Conſtantienſe „docent. Etſi enim verum eſſe forte poſſit, „quod ſub vna tantum ſit, quantum ſub vtra„que; tamen vna ſpecies non eſt tota ordina„tio, et inſtitutio, per Chriſtum facta, tradi„ta, et mandata.“ Etenim eſſentialis ſacramentorum ratio ex inſtitutione vnice diiudicanda, et ad hanc illorum diſpenſatio neceſſario eſt conformanda. Quicquid ſit de naturali corporis et ſanguinis Chriſti vnione,

ab hac ad ſacramentalem vnionem non valet conſequentia, ſiquidem in euchariſtia corpus Chriſti cum pane, et ſanguis ſacramentaliter vnitus eſt cum vino, et illud edere, hunc bibere iubemur. Pontificia aſſertio, verum ſacramentum ſub vna ſpecie ſumi, cum manifeſta in Seruatorem noſtrum, qui ſub vtraque illud inſtituit, et ſumi mandauit, iniuria eſt coniuncta. Et quare, quaeſo, ſi ſub vna panis ſpecie verum laici accipiunt ſacramentum, eoque nomine calix eis adimitur, ſacerdotibus conficientibus vtraque conceſſum eſt vti. Sicque adeo primum illud, quo communionis laicorum ſub vna nititur ſanctio, corruit fundamentum; oleumque et operam perdidit BELLARMINVS, qui, *l. c. capp. XXI-XXIII, p. 384 ſqq.* hanc ποτηριοκλεψίας rationem fuſius enarrauit.

Alterum ſanctionis iſtius fundamentum Tridentini, *l. c. cap. 2*, conſtituunt eccleſiae circa diſpenſationem ſacramenti euchariſtiae poteſtatem. Perpetuam nimirum hanc eccleſiae poteſtatem fuiſſe dicunt, vt in ſacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quae ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi magis expedire iudicaret. Ad id probandum, apoſtoli verbis, *1 Cor. IIII*, 1, et *XI*, 34, abutuntur, indeque pronunciant; „quare agnoſcens ſancta mater eccleſia

„hanc

„hanc ſuam in adminiſtratione ſacramento-
„rum auctoritatem, licet ab initio chriſtia-
„nae religionis non infrequens vtriuſque ſpe-
„ciei vſus fuiſſet, tamen, progreſſu temporis,
„latiſſime iam mutata illa conſuetudine, gra-
„uibus et iuſtis cauſis adducta, hanc conſue-
„tudinem ſub altera ſpecie communicandi,
„approbauit, et pro lege habendam decre-
„uit; quam reprobare, aut ſine ipſius eccle-
„ſiae auctoritate pro libito mutare non licet."
En cumulum ψευδολογιῶν! Pro tuenda lege,
qua calicis vſus laicis interdicitur, eccleſiam
poteſtatem habere dicunt, in ſacramentorum
diſpenſatione, *ſalua illorum ſubſtantia*, ſta-
tuendi, vel mutandi, quicquid e re viſum
fuerit. Ergone euchariſtia vna ſui parte
mutilari poteſt, ſalua tamen ipſius ſubſtantia?
Chriſtus pro elemento in coena ſua, non
panis tantum, ſed calicis etiam inſtituit
vſum. Quo igitur modo ſalua manet coe-
nae dominicae ſubſtantia, ſi altera eius pars,
calix videlicet, quem aeque, ac panem eu-
chariſtiae materiam Seruator conſtituit, et
in diſpenſatione ſacramenti bibere, diſerte
praecepit, abrogetur, et prohibeatur? Apo-
ſtoli, quae in ſententiam ſuam adducunt,
verba manifeſto ipſis aduerſantur. Nam in
priore loco PAVLVS, ſe alioſue eccleſiae do-
ctores *aeſtimari* vult, *Chriſti miniſtros, et di-
ſpenſatores myſteriorum Dei*, οἰκονόμους μυστη-
ρίων Θεοῦ. Iam, ſicut μυστηρίων nomine tota

doctrina euangelica reuelata ſignificatur, ita illorum οἰκονομία non mutandi abrogandiue infert poteſtatem, ſed fidelitatem requirit, vt, qui oeconomorum officio funguntur, iuxta inſtitutionem, praeſcriptum, et mandatum Domini, ea diſpenſent, quae ipſis ſunt commiſſa. Vnde adeo conſequitur, malos myſteriorum Dei eſſe oeconomos, qui, calicem populo adimendo, inſtitutum a Chriſto euchariſtiae mutilant ſacramentum. Tantum abeſt, vt Apoſtolus ea, quam Tridentini perperam illi attribuunt, circa ſacramenti euchariſtiae diſpenſationem, vſus fuerit poteſtate, vt potius inſtitutionem illius, a Chriſto factam, eique conuenientem, communionem ſub vtraque perſancte ſeruandam eſſe, *1 Cor. capite XI*, docuerit; inepteque adeo ad vltima capitis huius prouocatur verba, quibus caetera, ea nimirum, quae nullum praeſcriptum, mandatumue Chriſti habebant, coram ordinare ſe velle, Corinthiis pollicetur. Falſum vero etiam eſt, quod Tridentini dicunt, ab initio chriſtianae religionis *non infrequentem* vtriuſque ſpeciei fuiſſe vſum. Per duodecim enim ſecula, vt ſupra laudati demonſtrarunt auctores, perpetuus et conſtans is ipſe fuit, et, ſeculo demum XIII, ſub vna panis ſpecie communicandi conſuetudo in eccleſiam irrepere coepit. His praemiſſis fallaciis, concludunt, ſanctam matrem eccleſiam, pro ſua ſcilicet in adminiſtratione ſa-

cramen-

cramentorum auctoritate, grauibus et iuſtis cauſis adductam, ſub altera ſpecie communicandi conſuetudinem approbaſſe, et pro lege habendam decreuiſſe. Sancta mater eccleſia ab eo, quod a Chriſto, Domino et capite ſuo, inſtitutum eſt, ordinatumque, nec diſceſſit vnquam, nec diſcedere poteſt. Pontificis, et conciliorum pontificiorum, quae perperam illo nomine appellantur, leges ſunt atque decreta, quibus Chriſti tollitur ordinatio; cuiuſmodi iniquiſſimam illam de communione ſub vna, in conciliis, Conſtantienſi, et Tridentino, ſancitam legem eſſe, ſatis ſuperque hactenus demonſtrauimus. Sed, graues, iuſtaſque ob cauſas, communionem ſub vtraque abrogatam fuiſſe, Tridentini aiunt. Manifeſta ex hac etiam aſſertione in Chriſtum, qui illam inſtituit, iniuria redundat. Si quaeras, quaenam graues iſtae et iuſtae fuerint cauſae, periculum effuſionis ſanguinis Chriſti eo nomine in primis allegari, in *Apologia*, *p. 235*, notatur. Vid. BELLARMINVS, *l. c. cap. 24, p. 396.* Inani nimirum ratio haec nititur tranſſubſtantiationis commento. Aliae, eaeque praecipuae abrogationis calicis cauſae fuiſſe videntur, vt pontificia de iure diuino diſpenſandi poteſtas, praerogatiua item ſacerdotum prae laicis ſtabiliretur, et amplificaretur. Vid. *Apologia*, *p. 234.*

In Concilio Tridentino, vt P. SARPIVS, in *hiſtoria eius*, *l. VI*, refert, ex ipſis patribus

complures, calicis vſum laicis concedendum eſſe, exiſtimarunt, Regumque et Principum legati reſtitutionem illius petierunt; ſed fruſtra. Horum enim petitionem, quid ad eam ſtatuendum ſit, alii reſeruando occaſioni, indeque, *ſeſſione XXII*, edito decreto, rem omnem pontificis arbitrio permittendo, ſynodus eluſit.

THESIS IIII

Sacra Coena, N. T. ſacramentum, neutiquam eum etiam inſtituta eſt in finem, vt verum et proprium ſit ſacrificium propitiatorium, cum pro viuorum peccatis, poenis, ſatiſfactionibus, et aliis neceſſitatibus, tum pro mortuis offerendum.

Vid. *Aug. Conf. art. III, de abuſ. mut. Apolog. art. XII, p. 250, ſqq. Art. Smalc. part. II, a. II, p. 305, ſqq. Form. Conc. art. VII, epit. p. 602; declar. p. 757.*

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Quantopere ſacrificium miſſaticum, quod pro religionis ſuae arce habent, et pro quo acerrime pugnant Romanenſes, ſacramenti eucharistiae inſtitutioni pariter, atque Seruatoris noſtri, in ara crucis peracto, ſacrifi-

crificio aduerſetur, et quot, quantiſque cum abominationibus id ſit coniunctum, Confeſſores noſtri, in *articulo tertio*, *partis ſecundae Auguſtanae Confeſſionis*, eiuſque maxime *Apologia*, itemque b. LVTHERVS, in *articulis Smalcaldicis*, vt in ſect. prima huius capitis oſtendimus, planiſſime demonſtrarunt. Quandoquidem autem, pro inſtituti noſtri ratione, id ipſum a nobis iam eſt refellendum, rem ita inſtituemus, vt Tridentini maxime concilii de miſſatico ſacrificio decreta, et, pro eodem tuendo, allatas rationes diſcutiamus.

Ad ſtatum quaeſtionis quod attinet, nos neutiquam negamus, ſacram euchariſtiam ſacrificium appellari poſſe, ſacrificii videlicet voce in generaliori quadam et impropria accepta ſignificatione. Etenim, cum in euchariſtia commemoratio fiat ſacrificii Chriſti, quo corpus ſuum in ara crucis pro nobis obtulit, et ſanguinem ſuum pro nobis effudit, idque ipſum corpus, pro nobis oblatum, cum pane benedicto manducandum, et ille ipſe ſanguis, pro nobis effuſus in remiſſionem peccatorum, cum vino benedicto bibendus in ſacra coena nobis porrigantur, hoc intuitu euchariſtia ſacrificium, nempe *μνημονικὸν*, vtique vocari poteſt. Tum vero etiam illa, ratione precum, et gratiarum actionis, et operum charitatis, quae in celebratione eius, vel poſt eam, fieri ſolent, ac

debent, *euchariſtici* ſacrificii rationem habet. Vid. *Apologia A.C. p. 255, ſqq.* Atque, priore illo ſenſu, veteres eccleſiae doctores ſacram euchariſtiam frequenter θυσίαν, et *ſacrificium* appellarunt, nihil aliud eo nomine intelligentes, quam ſolemnem mortis Chriſti et ſacrificii, in cruce peracti, commemorationem. Nec aliter τὸ προσφέρειν, *offerre*, de illo vſurparunt; quippe quod CHRYSOSTOMVS, homil. XVII in *epiſt. ad Hebr. opp. t. XII, p. 169*, per τὸ ἀνάμνησιν ἐργάζεσθαι θυσίας τοῦ Χυ, *commemorationem facere ſacrificii Chriſti*; et THEODORETVS, in *comm. in ep. ad Hebr. opp. t. III, p. 431*, per τὸ τῆς μιᾶς ἐκείνης καὶ σωτηρίου (Χριστοῦ θυσίας) τὴν μνήμην ἐπιτελεῖν, *unius illius et ſalutaris Chriſti ſacrificii memoriam peragere*, exponunt. Communem hanc veterum patrum et doctorum ſcholaſticorum de ſacrificio, et oblatione euchariſtica, quatenus commemoratio et repraeſentatio vnici, conſummatiſſimique Chriſti ſacrificii, in ara crucis peracti, iiſdem denotatur, ſententiam fuiſſe, compluribus teſtimoniis confirmat GERHARDVS, in *conf. cath. p. 1202.* Quaeſtio igitur, quae inter nos et pontificios controuerſiam habet, haec eſt, num euchariſtia externum etiam, viſibile, ac vere proprieque dictum ſit ſacrificium propitiatorium, quo Chriſti corpus et ſanguis, vt victima, offerantur pro peccatis viuorum et mortuorum. Id pontificii affirmant. Ita enim in Concilio

lio Tridentino, *ſeſſ. XXII, cap. 2*, definitum eſt, „in ſacrificio, quod in miſſa peragatur, „Chriſtum *incruente* immolari; ſacrificium „iſtud *vere propitiatorium* eſſe; non ſolum „pro fidelium *viuorum* peccatis, poenis, ſa„tiſfactionibus, et aliis neceſſitatibus, ſed et „pro *defunctis* in Chriſto, nondum ad ple„num purgatis, rite iuxta apoſtolorum tra„ditionem, offerri." In canonibus ſubiectis, *I et III*, anathematizantur ii, qui dixerint, „in miſſa non offerri Deo *verum et proprium* „ſacrificium; miſſae ſacrificium tantum eſſe „laudis et gratiarum actionis, aut nudam „commemorationem ſacrificii, in cruce per„acti, non autem *propitiatorium*, vel ſoli „prodeſſe ſumenti, neque pro vivis et de„functis, pro peccatis, poenis, ſatiſfactioni„bus, et aliis neceſſitatibus offerri debere."

Nos, ſacram euchariſtiam vere proprieque dictum ſacrificium propitiatorium eſſe, negamus, et miſſaticum pontificiorum ſacrificium, a Tridentinis patribus dictis deſcriptum verbis, maximopere, grauiſſimaſque ob cauſas, improbamus. Repugnat illud *primo* coenae dominicae inſtitutioni. Seruator noſter hanc ita inſtituit, vt cum pane benedicto corpus ipſius manducandum, et ſanguis eius cum vino benedicto ſit bibendus. Itaque, contra Chriſti ordinationem, corpus et ſanguis eius in miſſa ſacrificantur, et ſacramentum, a Chriſto inſtitutum, in

ſacrificium, ſublato, quod inter haec duo intercedere, *Apologia A. C. p. 253*, recte oſtendit, diſcrimine, commutatur. *Secundo*, ſacrificium miſſaticum multis modis iniurium eſt in ſacrificium Chriſti, quod in ara crucis ille obtulit, et quo peccata hominum pleniſſime expiauit. Chriſtum vnicum ac perpetuum N. T. eſſe ſacerdotem, ſemel, iterumque, ac ſaepius in epiſtola ad Hebraeos apoſtolus docet. Vid. in primis *Hebr. VII. 23, ſqq.* Nullos igitur in ſacerdotio ſuo habet ſucceſſores, nec vere proprieque dicti in eccleſia N. T. dantur ſacerdotes, miſſificeſque adeo ſunt explodendi. Chriſtus ſemet ipſum *ſemel* obtulit Deo, et hac *vnica oblatione in perpetuum conſummauit eos, qui ſanctificantur*. *Hebr. IX, 12, 26, 28; X, 10, 12, 14;* conf. *1 Pet. III, 18.* Neutiquam igitur Chriſtus quotidie in miſſa offerri debet. Sacrificium Chriſti, in cruce peractum, perfectiſſimo modo propitiatorium eſt pro hominum peccatis, *Hebr. I, 3; Eph. I, 7*, et caet. Iniquiſſime igitur ſempiterni pretii et infiniti valoris ſacrificio miſſaticum ſufficitur ſacrificium, eique propitiandi vis adiudicatur. Nequicquam illius pretium per hoc applicari, dicitur; ſiquidem Scriptura non docet, unicae oblationis Chriſti applicationem per nouam et iteratam fieri oblationem, ſed alia media ab ipſo Filio Dei inſtituta eſſe, oſtendit, nempe vt verbo et ſacramentis applicetur, et fide accipiatur.

piatur. Repugnat, *tertio*, ſacrificium miſſaticum, veri, proprii, eiuſque propitiatorii, ſacrificii, pro quo illud venditant Romanenſes, indoli atque naturae. *Incruentum* enim, qua illius appellatione argumenti huius vim eludi a ſe poſſe putant, re vera non propitiatorium et expiatorium eſt ſacrificium, cum ad hoc, teſte apoſtolo, *Hebr. IX*, 22, αἱματεχυσία. *ſanguinis effuſio*, neceſſario requiratur.

Hiſque adeo potiſſimum rationibus conficitur, miſſaticum eccleſiae Romanae ſacrificium ſacrarum litterarum doctrinae ex diametro repugnare. Quam deteſtabile illud ſit, vberius apparet, ſi ad ea, quae id circumſtant, et, quo modo, quibuſque ex cauſis peragatur, reſpiciamus. Vt de theatralibus non dicam ritibus, quibus ſacerdotes, hiſtrionicos agentes geſtus, preceſque demurmurantes, ex praeſcripto Concilii Tridentini, *ſeſſ. cit. cap. 5*, miſſam celebrare ſolent, linguaeque Latinae in illa vſum, eiuſdem Concilii decreto, *cap. 8*, confirmatum, ſilentio praeteream, animaduerſionem in primis commeretur *canon miſſae*, quo in celebratione eius miſſifices vti debent. Tridentini quidem, *l. c. cap. 4*, „eccleſiam catholicam „canonem hunc, multis ante ſeculis, inſti„tuiſſe dicunt, ita ab omni *errore* purum, vt „nihil in eo contineatur, quod non maxime „ſanctitatem ac pietatem quandam redoleat, „menteſque offerentium in Deum erigat:

„con-

„conſtare enim eum, cum ex ipſis Domin
„verbis, tum ex apoſtolorum traditionibu
„ac ſanctorum quoque pontificum piis inſti
„tutionibus.“ Hinc etiam, *can. 6*, anathem
ei irrogant, „qui dixerit, canonem miſſa
„errores continere, ideoque eſſe abrogan
„dum.“ LVTHERVS vero, in *formula miſſ
et communionis pro eccleſia Vvittembergenſi, op
Lat. edit. Ienenſ. t. II, f. 588, b*, non iniuria, c
nonem vocat lacerum et abominabilem, e
multorum lacunis, ceu ſentina, collectum
Etenim, exceptis verbis inſtitutionis coena
et oratione Dominica, canon miſſae, totu
quantus eſt, ex humanis pontificum conſi
inſtitutis, fruſtulatim, ſeu per partes, conſ
cinatus, foedoſque complures in ſe contin
errores. Quam abſone, immo impie, pr
cationes, in priſcis liturgiis, ad ſanctifican
dona, ab accedentibus ad euchariſtiam affe
ri ſolita, alioue reſpectu adhibitae, in cano
miſſatico Romanenſi ad ſacrificialem corp
ris et ſanguinis Chriſti oblationem tranſ
tae, ſicque in alium plane ſenſum et vſu
transformatae fuerint, abominandis aliis a
iectis, ſingulari opera oſtendit CHEMNITI
in *exam. Concil. Trid. part. II, loc. VI, ſect
quae eſt de canone miſſae, p. 497, ſqq.* Ad fo
ditatem canonis declarandam, ex multis p
ca haec adduxiſſe, ſufficiat. In princip
ſtatim canonis miſſifex, pro corpore et ſa
guine Chriſti, hac ad Deum Patrem vti
dep

deprecatione: „ſupplices rogamus, ac peti„mus, vti accepta habeas, et benedicas haec „dona, haec munera, haec ſancta ſacrificia „illibata;“ indeque verborum inſtitutionis coenae recitationi praemittit: „quam obla„tionem tu, Deus, in omnibus, quaeſumus, „benedictam, adſcriptam, ratam, rationabi„lemque facere digneris.“ Poſt conſecrationem, corpus et ſanguinem Chriſti offerens ſacrificulus, Deum Patrem orat, „vt „ſupra ea propitio ac ſereno vultu reſpicere „dignetur, et *accepta habere, ſicuti* accepta „habere dignatus ſit munera pueri ſui iuſti „*Abel*, et ſacrificium *Abrahae*, et quod ipſi „obtulerit *Melchiſedech*.“ Pergit orare: „ſup„plices te rogamus, omnipotens Deus, iube „haec *perferre per manus ſancti angeli tui*, *in* „*ſublime altare tuum*, in conſpectu diuinae „maieſtatis tuae.“ Sequuntur preces pro mortuis et viuis; hiſque, hoſtiam et calicem manu tenens, ſacrificulus ſubiicit verba: „per quem (Chriſtum, D. N.) haec omnia, „Domine, ſemper bona *creas*, ſanctificas, be„nedicis et praeſtas nobis.“ Vel ex his ſatis ſuperque apparet, quot, quamque deteſtabiles in Chriſtum, ſummum ſacerdotem noſtrum, ipſiuſque corpus et ſanguinem, iniurias canon eccleſiae Romanae miſſaticus in ſe complectatur. Ineptae precum iſtarum explicationes, quas pontificii canonis miſſae interpretes afferre ſolent, indignae ſunt, quae refe-

referantur. Sed et ea maxime notanda eſt illius oratio, qua euchariſtia ad memoriae ſanctorum celebrationem refertur, et per horum merita auxilium expetitur, vtpote quae ita habet: „*communicantes, et memo-„riam venerantes*, inprimis glorioſae ſemper „virginis Mariae, et *omnium ſanctorum* tuo-„rum; quorum *meritis*, precibuſque conce-„das, vt in omnibus protectionis tuae mu-„niamur auxilio, per C. D. N. Amen. Hucque etiam ſpectant miſſae, quae ſigillatim in honorem et memoriam ſanctorum in eccleſia Romana celebrari ſolent, quippe quibus, vt Concilium Tridentinum, *ſeſſ. cit. cap.* 3, diſertis praecipit verbis, „eorum patrocinia „imploranda ſunt, vt ipſi pro nobis interce-„dere dignentur in coelis, quorum memo-„riam facimus in coelis.“ Ita nimirum Romanénſes miſſam ad grauiſſimum etiam illum, quem de meritis et invocatione ſanctorum fouent, quemque alio loco ex inſtituto refellemus, conformarunt errorem.

Quod ſi iam porro ad eum, quem miſſae ſuae pontificii tribuunt, fructum, effectumque reſpiciamus, falſiſſimis is ipſe de opere operato, de ſatiſfactionibus, et de purgatorio hypotheſibus nititur, atque commentis. Nempe, euchariſtiae ſacramento in ſacrificium propitiatorium perperam tranſmutato, hocce in eccleſia Romana non ſolum pro viuorum peccatis, poenis, ſatiſfactionibus, et

aliis

aliis neceſſitatibus, ſed etiam pro animarum ex purgatorio liberatione, offertur. Itaque inani homines in papatu perſuaſione imbuti, peccatorum ſuorum culpam et poenam ex opere operato in miſſa deleri; a ſatiſfactionibus, pro poena ſcilicet peccatorum temporali, ſecundum eccleſiae ſuae placita, praeſtandis, immunes ſe reddi; in neceſſitatibus quibusſuis miſſam ſibi prodeſſe; tum vero, illius celebratione, animas ex conficto eam in rem purgatorio liberari, ad ſacrificium miſſaticum confugere ſolent. Ex hac vulgi perſuaſione infinita illa priuatarum, quae in eccleſia Romana, cum pro viuis, tum pro mortuis celebrari ſolent, miſſarum profluxit multitudo; cumque longe maxima in clerum Romanum inde redundet vtilitas, ac vere adeo, quod in *Conſ. Aug. p. 24*, et *Apol. p. 251*, dicitur, ad quaeſtum collatae ſint miſſae, facile intelligitur, ad fallendum compoſita eſſe ea, quae de miſſatici ſacrificii effectis Romanenſes tradunt; et ratio patet, quare illud ipſum tam acriter propugnent.

Diſcutienda iam ſunt argumenta, quibus, in euchariſtia verum et proprium, idque propitiatorium, pro viuis et mortuis, ſacrificium offerri, Romanenſes probare contendunt. Neque vero omnes, quas hi, illius confinxerunt, refellere iuuat rationes, cum harum pleraeque tam ineptae ſint et abſurdae, vt ipſum Concilium Tridentinum indi-

gnas

gnas eas iudicauerit, quibus vteretur. Ea tantum confutabimus argumenta, quae pro tuendo ſacrificio miſſatico Tridentini afferunt, quaeque adeo in prima acie collocare ſolent pontificii doctores. Horum fere praecipuum eſt, quod a conficta ſacrificiali *Melchiſedeci* panis et vini petunt oblatione. Ita nimirum arguunt: Melchiſedecus, Dei altiſſimi ſacerdos, typus fuit ſummi ſacerdotis noſtri, Chriſti, quippe qui ſacerdos dicitur *ſecundum ordinem*, ſeu *ad ſimilitudinem Melchiſedech. Pſ. CX, 4; Hebr. V, 6; VI, 20; VII, 15, 17.* Melchiſedech Deo Patri obtulit panem et vinum. Ergo, vt figuram veritas impleret, Chriſtum oportuit, ſub ſpeciebus panis et vini, Deo Patri offerre corpus et ſanguinem ſuum; idque adeo re ipſa factum eſt in ſacra coena. Melchiſedecum ſummi et vnici N. T. ſacerdotis, Domini noſtri IESV Chriſti, typum fuiſſe, extra controuerſiam poſitum eſt. Melchiſedecum autem panem et vinum Deo ſacrificaſſe, eoque ſacrificii oblationem, qua Chriſtus corpus et ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis et vini, Deo Patri in ſacra coena, obtulerit, praefiguraſſe prorſus negamus. Falſum enim primo eſt, quod de Melchiſedeci dicitur oblatione. Nam, vt *Geneſ. XIIII, 18*, narratur, Abrahamo, deuictis quinque regibus, redeunti, Melchiſedech, rex Salem, idemque ſacerdos Dei altiſſimi, *attulit panem et vinum*, quo nomi-

nomine cibi, potuſque genus omne deſignari ſolet, ad reficiendos videlicet milites, laetitiaeue teſtandae cauſa, ipſique benedixit. Male adeo fingitur, Melchiſedecum panem et vinum ſacrificaſſe, cum haec notio nullo modo competat verbo הוציא, quod ipſe vulgatus interpres vertit: *proferens;* nec *ſacerdotis*, quod ei tribuitur, nomine: והוא כהן, ſacrificandi deſignetur actus. Deinde, ſi vel maxime id, quod falſum eſſe oſtendimus, concederemus, nequaquam tamen inde concludi poſſet, Melchiſedecum ea in re Chriſti ſacerdotium praefiguraſſe. Nam, vt taceamus, in Aaronitico etiam ſacerdotio panis et vini ſacrificium fuiſſe quotidianum, *Exod. XXIX, 38, ſq. et caet.* figurae in concludendo nulla vis eſt, niſi applicatio eius manifeſto aliquo nitatur Scripturae ſacrae dicto, nec, ſine diſerta huius explicatione, ex figuris dogmata ſint fabricanda. Iam vero alia prorſus ſunt, in quibus apoſtolus, in *epiſtola ad Hebraeos*, eiuſque maxime *capite VII*, Melchiſedecum Chriſti typum fuiſſe, oſtendit; indeque pleniſſime cognoſcitur, quare Chriſtus *ſacerdos* dicatur, *ſecundum ordinem Melchiſedech.* Nequicquam Tridentini ex eo, quod additur: *εἰς αἰῶνα, in aeternum*, inferunt, „Chriſtum, quod per ipſius mortem „ſacerdotium eius non fuerit extinguendum, „in coena nouiſſima eccleſiae ſuae viſibile, „ſicut hominum natura exigat, ſacrificium

„reliquiſſe; et vt *ſacerdotem, ſecundum ordinem* „*Melchiſedech*, ſe *in aeternum conſtitutum* de„clararet, corpus et ſanguinem ſuum ſub ſpe„ciebus panis et vini Deo Patri obtuliſſe." Ita nimirum ſacerdotii Chriſti perennitas ad confictum ſacerdotium miſſaticum, hominum ſcilicet quod inepte dicitur exigere naturam, iniquiſſime refertur; cum Chriſtus, ratione ſempiterni ſacrificii, in ara crucis oblati, valoris, et interceſſionis, qua in coelis pro nobis fungitur, intuitu, dicatur, vereque ſit *ſacerdos aeternus*. Vid. *Hebr. VII, 24, ſeqq.*

Deſtructo, quod in Melchiſedeco Romanenſes ponunt, ſacrificii, in coena nouiſſima a Chriſto oblati, fundamento, id iam conuellendum eſt argumentum, quo Chriſtum, in eadem illa coena, apoſtolos noui teſtamenti ſacerdotes conſtituiſſe, et iiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt in euchariſtia corpus et ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis et vini offerrent, praecepiſſe, Tridentini probare conantur. Hoc ſcilicet praeceptum a Seruatore hiſce eis datum fuiſſe aiunt verbis: *hoc facite in meam commemorationem*. Cum nullius prorſus oblationis ſacrificialis, a Chriſto factae, in euchariſtiae inſtitutione mentio fiat, perperam verbo ποιεῖν *ſacrificandi* hic affingitur notio. Ex contextu clarum et manifeſtum eſt, verba illa: τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν; *hoc facite in meam commemorationem*, ad manda-

tam

tam modo panis benedicti manducationem, et calicis benedicti bibitionem referri debere. Extra omnem dubitationem id ponit apoſtolus, vbi verbis his addit: *quoties enim cunque ederitis panem hunc, et calicem hunc biberitis, mortem Domini annuntiate. 1 Cor. XI, 26.* Falſiſſime igitur Tridentini verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, quae ad omnes, qui ſacramento euchariſtiae vtuntur, pertinent, apoſtolis, et eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus, ſacrificialem corporis et ſanguinis Chriſti oblationem iniunctam fuiſſe, dicunt. Pudendus eſt error, quo BELLARMINVS, *de miſſa, lib. I, c. 13, p. 439*, pontificiique alii complures, ex falſo, quem verbo λειτουργεῖν, *Act. XIII*, 2, attribuunt, ſignificatu, in eccleſia apoſtolica ſacrificium miſſaticum peractum fuiſſe, probant.

Ad illud ipſum ſacrificium comprobandum Tridentini *agnum paſchalem* adducunt, quem in veteri teſtamento non manducari ſolum, ſed ſimul etiam oportuerit immolari. Agnus igitur paſchalis cum figura fuerit Chriſti, hinc colligunt, in euchariſtia non manducationem ſolum, ſed immolationem etiam ipſius fieri oportere. Contra ea Scriptura ſacra docet, agnum paſchalem quatenus is immolabatur, figuram fuiſſe Chriſti, agni Dei, pro totius mundi peccatis ſemel in ara crucis immolati; quatenus vero ille manducabatur, figuram eius ad euchariſtiae ſpe-

ctaſſe ſacramentum. Agni paſchalis mactatio et immolatio quam belle, ſcilicet, conueniat cum miſſatico pontificiorum ſacrificio, vel ex eo intelligi poteſt, quod non incruento illa fiebat modo, ſed cum ſanguinis effuſione, non in propitiationem pro peccatis, ſed in memoriam liberationis ex Aegyptiaca ſeruitute.

Prouocant porro ad vaticinium MALACHIAE, *c. I, v. 11*, vbi Deus praedixit: *a ſolis ortu vſque ad occaſum eius, magnum fore nomen ſuum inter gentes, et in omni loco ſuffimentum allatum iri nomini ſuo*, ומנחה טהורה *et oblationem mundam.* Hac nimirum *oblatione munda* ſacrificium ſuum miſſaticum deſignari volunt. Sed inani prorſus conatu ad iſtud ſacrificium ſuum oraculum hocce accommodare laborant Romanenſes. Etenim luculenta in illo, de ſpirituali Dei cultu, inter gentes per praeconium euangelii conſtituendo, praedictio continetur, iſque ipſe cultus ſtilo prophetico, vocibus *ſuffitus* et *oblationis* mundae, ſignificatur. Hunc verum oraculi ſenſum eſſe, cum ex contextu, tum et ſacrificiorum, quibus Deus a fidelibus in nouo teſtamento colitur, deſcriptione, *Rom. XII, 1*; *Philipp. IV, 18*; *Hebr. XIII, 15*; *1 Pet. II, 5*, clariſſime patet. Spiritualibus his ſacrificiis mundae oblationis competit appellatio, quia ab illis, quorum corda fide purificata ſunt per Chriſtum, in quo omnia munda ſunt

offeruntur. Hinc et veteres eccleſiae doctores, quos CHEMNITIVS, l. c. p. 475, ſqq. excitat, locum hunc *Malachiae* de ſpiritualibus N. T. ſacrificiis expoſuerunt. Nequicquam adeo pontificii ex hoc oraculo miſſatici ſacrificii praeſidium petunt, idque pro palladio eius habent. Nam et ipſum, in quo ſententiam ſuam fundant, nomen *minchah*, miſſae ipſorum aduerſatur, quippe quo non propitiatoria, ſed euchariſtica oblatio, in ſacro codice denotatur, et quod aeque, ac coniunctum cum eo מקטר, *ſuffimentum*, ſpiritualiter hic neceſſario accipi debet. *Menſa Domini*, 1 *Cor. X*, 21, neutiquam altare ſignificat, vt egregie docet DALLAEVS, *de cultibus Latinorum religioſis*, *lib. VIII*, *c.* 24, *p.* 1115, *ſqq.* diciſque adeo cauſa ratio additur, inde deſumta.

Et haec quidem illa ſunt, quibus ad probandum ſacrificium miſſaticum, non ἄγραφον ſolum, ſed etiam ἀντίγραφον, Concilium Tridentinum vtitur, frigida, vt oſtendimus, et ieiuna, argumenta. In ipſo Concilio, vt PAVLVS SARPIVS, *hiſt. Conc. Trid. lib. VI*, *edit. Lat. Francof. p.* 611, *ſqq ed. Gall.* P. F. LE COVRAYER, *p.* 271, *ſqq.* refert, acriter diſputatum fuit de eo, an Chriſtus, in ſacrae coenae inſtitutione ſemetipſum obtulerit, id quod complures negarunt; tum vero GEORGIVS ATAIDES, theologus Luſitanus, miſſaticum ſacrificium non alio, quam traditio-

nis apoſtólicae, fundamento niti, profeſſus eſt, nec argumentorum, éx Scriptura adductorum, vllo id probari poſſe, oſtendit. Quas BELLARMINVS, *de miſſa, lib. I, c. 6, et ſeqq. controuerſ. t. III, p. 418, ſqq.* affert rationes, pluribus refellere non opus eſt, cum pleraeque omnes illa ipſa, quae iam confutauimus, et quibus pontificii doctores miſſaticum ſacrificium communiter propugnare ſolent, Tridentinorum ſint argumenta.

Cum Romanenſes ſacrificium ſuum miſſaticum inde ab apoſtolorum aetate in eccleſia chriſtiana ſemper vſitatum fuiſſe, dicant, falſiſſime id ab eis affirmatur; ſiquidem nouitas illius certiſſimis demonſtrari poteſt documentis. Etenim priſcis ſeculis prorſus ignotum illud, ſenſim ac pedetentim in eccleſiam irrepſit. Variis id enatum fuit ex cauſis, ad quas ordine pertinent oblationes, pro mortuis inſtitutae; nimia ſymbolorum euchariſticorum veneratio, et hinc orta patrum quorundam rhetorica exaggeratio; miſſae ſolitariae, ex falſa ratione, eucharistiam non ſumentibus tantum, ſed adſtantibus prodeſſe, ſeculo circiter VIII et IX, introductae; apparatus miſſaticus, et ritus ſuperſtitioſi, in celebranda euchariſtia adhibiti: ſicque gradatim ad ſacrificium miſſae propitiatorium acceſſu facto, id ipſum tandem, ſancito, ſeculo XIII, tranſſubſtantiationis dogmate, pluribuſque inuectis erroribus,

for-

formatum, exſtructumque eſt, Tridentino inde decreto, brutoque fulmine ſtabilitum. Breuiter, ſummatimque a nobis dicta, praeter caeteros, fuſe, luculenterque enarrauit B. IO. FRANC. BVDDEVS, in *diſſ. hiſt. th. de origine miſſae pontificiae*, inſerta *diſſertatt.* ipſius *theolog. ſyntagmati, p. 1, ſqq.* Add. S. R. DEYLINGIVS, in ſaepius laudata *diſſ. de err. pontific. nouitate circa euchariſtiam, p. 290, ſqq.* et DALLAEVS, *de cultibus religioſis Latinorum, lib. III, et ſeqq.* quibus miſſae pontificiae nouitatem, quoad omnes eius partes, demonſtrat.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE CAPVT XIIII DE ECCLESIA

SECTIO I HISTORICA

I

Extra eccleſiam non eſſe ſalutem, cum confeſſa res ſit, neceſſe eſt, vt, quae ad verae eccleſiae conſtitutionem, indolemque pertinent, cognita probe ac perſpecta habeamus, ne technis pontificiorum, qui *Romanam* ſuam, vnice veram eccleſiam eſſe, contendunt, et ab illius auctoritate, pro tuendis erroribus ſuis, primum ac praecipuum petere ſolent argumentum, decipi nos patiamur. Ad ſacrarum litterarum normam compoſita a piis confeſſoribus noſtris de eccleſia doctrina in AVGVSTANA CONFESSIONE, duobus articulis, *ſeptimo* et *octauo*, exhibetur, (*) et in APOLOGIA, *capite quarto*, declaratur, atque vindicatur. (**)

(*) In *articulo VII Aug. Conf.* de eccleſia, proprie dicta; in *VIII*, de externa eccleſiae agitur ſocietate. Poſteriori haudquaquam congruit in vulgo receptis librorum ſymbolicorum editionibus ei appoſitus titulus: *quid ſit eccleſia*. Hinc etiam theologi quidam aliis, minus aptis

aptis tamen omnibus, titulis eundem inſigniuerunt. A b. MENTZERO, in *exegeſi A. C.* inſcribitur: *de hypocritis et malis in eccleſia admixtis fidelibus.* Argumenti, et nexus cum antecedente articulo habita ratione, optime illi conuenit titulus: *de eccleſia externa*, ſiue, *de externa ſignorum eccleſiae ſocietate*; quem Apologia quoque *p. 144, et p. 150*, ei aſſignare videtur. Vterque articulus deſumtus eſt ex duodecimo *Torgauienſium* articulorum. Textus Latinus cum Germanico quoad rem prorſus conuenit; hunc tamen cum illo comparare, iuuat. In variata confeſſione PHILIPPVS aliis nonnulla expreſſit verbis, et ad eccleſiae in *articulo VII* deſcriptionem, quod ſit congregatio ſanctorum, haec, quae ad *articulum VIII* pertinent, addidit: „etſi in hac vita huic congregationi „multi mali et hypocritae admixti ſunt vſque ad nouiſſi„mum iudicium.“

In *articulo VII* eccleſiae, proprie dictae, deſcriptio exhibetur, itemque *adiuncta* illius indicantur. Deſcribitur eccleſia, quod ſit „congregatio ſanctorum, in qua „euangelium recte docetur, et recte adminiſtrantur ſa„cramenta.“ Cum ii, qui eccleſiam, proprie dictam, conſtituunt, ſint *ſancti*, ſeu credentes in Chriſtum, vere illa definitur per congregationem ſanctorum, eſtque hac ratione inuiſibilis. Adduntur verae eccleſiae, quatenus viſibilis, et in florenti conſtituta eſt ſtatu, notae ac ſigna, ſincera videlicet verbi diuini praedicatio, et legitima ſacramentorum adminiſtratio. *Adiuncta* eccleſiae in principio articuli tria haec memorantur: *vnitas*, *ſanctitas*, *perennitas*. De *vnitate* eccleſiae, ſpeciatim in fine docetur, vnanimem ad illam ſufficere, quoad ſinceram euangelii praedicationem, et legitimam ſacramentorum adminiſtrationem, conſenſum, nequaquam vero neceſſariam eſſe ſimilium traditionum humanarum, ſeu rituum, aut caerimoniarum, ab hominibus inſtitutarum, obſeruationem; idque ipſum dicto apoſtoli, *Eph. IIII, 5, 6*, confirmatur.

Articulus VIII theſi conſtat et antitheſi. Theſis duas continet aſſertiones. Altera eſt: in eccleſia, quoad externam ſocietatem ſpectata, ſanctis et vere credentibus multos admixtos eſſe hypocritas, et malos: altera, verbum et ſacramenta, etiamſi per impios miniſtros exhibeantur, tamen efficacia eſſe, propter ordinationem et mandatum Chriſti; quam in rem dictum *Matth. XXIII*, 2, 3, affertur. In antitheſi damnantur *Donatiſtae*, et *ſimiles*, qui, malorum miniſterium inutile et inefficax eſſe, docuerunt, ac propter ea vti illo licere, negarunt. *Donatiſtae*, ſiue *Donatiani*, a DONATO, Carthaginenſi, cui adhaeſerunt, nomen ſortiti, ſeculo p. C. N. quarto, eccleſiam turbarunt. Non hunc ſolum, quo, indignorum miniſtrorum functiones fructu omni et efficacia deſtitui, ſtatuerunt, ſed graues alios compluſes profeſſi ſunt errores, quibus profligandis operam in primis dederunt AVGVSTINVS, et OPTATVS MILEVITANVS. Vid. THOM. ITTIGIVS, in *hiſtoria ſchiſmatis Donatiſtarum, appendici diſſertat. de haereſiarchis*, p. 241, *ſqq. inſerta*. Per illos, qui Donatiſtis *ſimiles* in antitheſi dicuntur, *Wicleſitas*, quorum auctor, IOH. WICLEFIVS, ſacerdos Anglus, ſeculo XIIII clarus, conſimili errore, ab impio miniſtro nec baptiſmum, nec euchariſtiam vtiliter conferri poſſe, docuit, ſpeciatim indigitari, ex *Apologia Confeſſionis*, p. 150, clariſſime apparet.

Confutationis pontificiae auctores *octaui* quidem *articuli* de verbi et ſacramentorum, quae per miniſtros eccleſiae malos et hypocritas adminiſtrantur, efficacia aſſertionem comprobant, et confeſſores laudant, quod *Donatiſtas* et veteres damnauerint *Origeniſtas*, qui, malorum in eccleſia miniſterio vti licere, negantes, haereſeos huius *Vualdenſes*, et *pauperes de Lugduno*, itemque IOH. VIKLEFF et IOH. HVSS nacti fuerint ſectatores. De *ſeptimo* autem articulo aliter ſentiunt, ac primo, aſſertionem illam, quod eccleſia ſit congregatio ſanctorum, citra fidei praeiudicium, admitti non poſſe, aiunt, ſi per id ab eccleſia ſegregentur mali et peccatores. Damnatam enim eam eſſe in Concilio

cilio Conſtantienſi, et plane contradicere euangelio; eamque in rem parabolas ac ſimilitudines quaſdam afferunt, quae, in eccleſia bonis malos admixtos eſſe, docent. Deinde ad id, quod de rituum varietate, fidei haud tollente vnitatem, a confeſſoribus noſtris dicitur, monent, id quidem recte ſe habere, ſi de ſpecialibus ritibus loquantur, falſum autem eſſe, ac prorſus reiici, ſi ad vniuerſales eccleſiae ritus aſſertionem eam extendant. Hos enim a fidelibus omnibus obſeruandos eſſe, AVGVSTINI teſtimonio conſtare; illoſque ab apoſtolis dimanaſſe, praeſumendum eſſe, dicunt.

(**) Ad has animaduerſiones ſolide reſpondetur in *Apologia A. C. c. IIII, p. 144, ſqq.* et, quod ad eccleſiae definitionem attinet, ante omnia controuerſiae ſtatus rite formatur. Nempe in controuerſiam non venit: „an „hypocritae et mali in hac vita ſint admixti eccleſiae, et „ſint membra eccleſiae, ſecundum externam ſocietatem „ſignorum eccleſiae, hoc eſt, verbi, profeſſionis, et ſa„cramentorum;" id enim a nobis concedi, articulus octauus diſertis verbis teſtatum reddit; in quo etiam ſacramenta, quae per malos tractantur, efficacia eſſe, docetur: ſed haec eſt quaeſtio: „an eccleſia, *proprie* dicta, „ſit congregatio ſanctorum, id eſt, eorum, qui vere cre„dunt euangelio, et habent Spiritum ſanctum." Vid. *p. 144*, et *p. 150*. Atque hoc veriſſime in Confeſſione noſtra affirmari, ex ſacrarum in primis litterarum dictis, *Eph. I, 22, 23; V, 25, ſqq.* quibus eccleſia eundem in modum deſcribitur; itemque ex ſymbolo apoſtolico, quo credere iubemur, quod ſit *ſancta* eccleſia, *ſanctorum*, vt additur, *communio*, quae eiuſdem fidei, et eiuſdem Spiritus ſancti, corda renouantis, ſanctificantis et gubernantis, quam vera eccleſiae membra inter ſe habent, infert ſocietatem, et quod ſit *catbolica*, ex omnibus videlicet, per totum terrarum orbem ſparſis, conſtans fidelibus; tum vero etiam ex indole regni Chriſti, cui oppoſitum eſt regnum diaboli, ad quod impii pertinent, aliiſque rationibus, compluribus confirmatur. Hiſque adeo pro tuenda

da eccleſiae, proprie dictae, definitione expoſitis argumentis, Platonicam ciuitatem nos ſomniare, impie quosdam cauillari, oſtenditur, *p. 148*; pontificia autem eccleſiae definitio, qua in Romani pontificis ea transformatur monarchiam, *p. 149, et ſq.* grauiter notatur. Quod in *articulo VII* de traditionum et caerimoniarum diuerſitate, non ſoluente eccleſiae vnitatem, dicitur, firmis itidem rationibus, aduerſus cenſorum iſtorum animaduerſionem defenditur, et demonſtratur.

Ἐναντιοφανὲς aliquod occurrit in APOLOGIA, *p. 155*, vbi, contra quam, in *articulo IIX*, malorum miniſterio vti licere, docetur, *impios doctores deſerendos eſſe*, affirmatur. Sed facilis eſt conciliatio. Etenim *impiorum* nomine non eos, qui, quoad vitam et mores, impii ſunt, quique in Confeſſione *mali* dicuntur, ſed eos, quorum doctrina falſa et impia eſt, hic denotari, ex iis, quae mox adduntur, clariſſime apparet; idemque illud ea, quae, *p. 296*, leguntur, confirmant. Ad vitae quod attinet impietatem, miniſterium ſacrum per hanc non inutile et ineſſicax reddi, taleſque impios doctores audiendos eſſe, in Apologia, paullo ante, *p. 150*, diſertis pronuntiatur verbis.

II.

In ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *parte tertia*, eiuſque *articulo XII, p. 335*, b. LVTHERVS, Papatum non eſſe eccleſiam, ex vera eccleſiae indole paucis demonſtrat. Ab eodem, in CATECHISMO MAIORI, *p. 498, ſqq.* quae ad planiorem articuli tertii ſymbolici apoſtolici de eccleſia verborum intelligentiam ſpectant, traduntur.

SECTIO

SECTIO II THETICO ELENCTICA

THESIS I

Eccleſia proprie eſt congregatio ſanctorum.

Vid. *Aug. Conf. art. VII; Apolog. A. C. p. 144, 150; Art. Smalc. p. 335; Catech. mai. p. 498.*

Expoſitio.

Eccleſia, vocabulum Graecum, *ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν* deductum, vi originis, *euocationem* populi notat. Hoc ſignificatu ἡ ἐκκλησία apud τοὺς ἔξω crebro vſurpatur, et ab HESYCHIO et SVIDA exponitur: *σύνοδος, συναγωγὴ, πανήγυρις*. Ea notione etiam occurrit *Act. XIX, 39, ſq.* Sacra ciuitate donata vox haec, proprie, ſtricteque, congregationem ſanctorum ſeu fidelium, improprie et late, vocatorum ſignificat coetum, qui eandem verbi diuini doctrinam profitentur. Aliquando etiam in ſacris litteris, v. c. *Matth. XVIII, 17; Act. XX, 28; 1 Tim. III, 5*, ſynecdochice, vel de presbyteris, verbique diuini miniſtris, vel de auditoribus dicitur; et apud ſcriptores eccleſiaſticos metonymice conuentuum ſacrorum locum notat.

Eccle-

Eccleſia Dei, accidentium habito reſpectu, generatim diſtinguitur in *triumphantem*, quae ex caelitibus conſtat, *Hebr. XII, 23*, et *militantem*, quae in his terris Chriſto colligitur, ita dictam, quod iis, qui eam conſtituunt, ſub vexillo Chriſti, cum diabolo, mundo et carne perpetuo eſt pugnandum. Militans eccleſia primo diſtinguitur in *internam* et *externam*, quarum illa, vt paullo ante diximus, proprie, ſtricte et ἰδικῶς. haec improprie, late et γενικῶς, eo nomine appellatur. Secundo, in *vniuerſalem*, per vniuerſum quae ſparſa eſt terrarum orbem, et *particulares*, in diuerſis quae exiſtunt regionibus, vrbibuſque; quibus etiam *domeſticae*, quae in epiſtolis PAVLI memorantur, eccleſiae ſunt annumerandae. Tertio, in *viſibilem* et *inuiſibilem*. Haudquaquam duae diſtinctione hac conſtituuntur eccleſiae ſpecies, ſed vnam eccleſiam, diuerſo intuitu, et viſibilem, et inuiſibilem eſſe, ſignificatur. *Inuiſibilis* eſt, reſpectu credentium, quippe quorum fides, qua cum Chriſto capite coniunguntur, in ſenſus non incurrit, et quorum quamplurimi hinc inde ſunt diſperſi: *viſibilis*, quatenus in ea, ἔξωθεν ſpectata, verbum Dei pure docetur, et ſacramenta legitime adminiſtrantur. Vtroque reſpectu, in Aug. Confeſſionis *articulo VII*, eccleſia deſcribitur, quod ſit: „congregatio ſanctorum, in qua, „(vbi nimirum viſibilis illa eſt, et euadit.)

Euan-

„Euangelium recte docetur, et recte admi-„niſtrantur ſacramenta.“ Quoad viſibilem eccleſiam diſtinguendum etiam eſt inter ſtatum eius *florentem* et *preſſum*. In hoc enim viſibilis deficere poteſt eccleſia, ita vt non appareant verae eccleſiae ſigna, notaeque, pura videlicet verbi diuini praedicatio, et legitima ſacramentorum adminiſtratio. Ad inuiſibilem igitur eccleſiam pertinent, quae, in principio articuli VII, de perpetua eccleſiae duratione dicuntur. In theſi noſtra ſubiectum eſt *eccleſia*, *proprie* ſic dicta, non ἔξωθεν, ſed ἔσωθεν, *interne* ſpectata, *catholica*, *inuiſibilis*. Hocque adeo illa ipſa deſcribitur praedicato, quod ſit *congregatio*, coetus, ſocietaſue *ſanctorum*. Eo nomine deſignantur vere credentes in Chriſtum, ἡγιασμένοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, qui tum imputata Chriſti, tum inhaerente praediti ſunt ſanctitate, cuius vero prioris intuitu tantum *ſancti* habentur fideles.

Confirmatio.

Eccleſiam, proprie ſic dictam, et interius ſpectatam, congregationem eſſe ſanctorum, ſeu, ſolos fideles illius eſſe membra, ex ipſius, in ſacris litteris ab oculos poſita, natura et proprietate probatur. Etenim eccleſia *Chriſti corpus* eſt myſticum, *Rom. XII*, 5; *1 Cor. XII*, 27; *Eph. I*, 23; *IV*, 15, *ſq. Col. I*, 18. Membra igitur eius non niſi ii ſunt, qui per fidem

fidem cum Chriſto capite intime ſunt vniti, ac ſpiritu eius animantur atque reguntur. Conf. *Eph. V, 25, ſqq.* Eſt illa *regnum Chriſti*, cuius adeo ſubditi ſunt, qui credunt in Chriſtum, ductumque eius ſequuntur: contra ea infideles, impii, hypocritae non ſunt ciues regni Chriſti, ſed membra regni diaboli. Vid. *Apologia A. C. p. 147.* Huc porro pertinent encomia illa, quibus eccleſia ornatur, et repraeſentatur vt *ſponſa Chriſti*, vt *virgo pura*, *2 Cor. XI, 2*; appellationeſque, quibus membra illius *oues Chriſti*, vocem paſtoris ſui audientes, et ipſum ſequentes, *Ioh. X, 27*, *lapides viui* ſpiritualis aedificii, *1 Pet. II*, *Chriſti peculium*, λαὸς περιούσιος, *Tit. II, 14*, vocantur. Comprobat theſin noſtram Symbolum Apoſtolicum, quo credere iubemur, quod ſit *ſancta* catholica eccleſia, et in qua eadem illa declaratur per *ſanctorum communionem*. Vid. *Apologia A. C. p. 145.* Egregia Patrum, IGNATII, CHRYSOSTOMI, ISIDORI PELVSIOTAE, hanc in ſententiam dicta refert I. C. SVICERVS, *theſ. eccl. tom. I, p. 1050.*

Vindicatio.

Expoſitam, confirmatamque eccleſiae deſcriptionem iis maxime ſacrarum litterarum pontificii impugnant dictis, quae, in eccleſia bonis malos admixtos eſſe, teſtantur. Sed cum dicta illa de eccleſia improprie

dicta,

dicta, ſeu externa ſignorum eccleſiae loquantur ſocietate, quae piis et fidelibus multos hypocritas et malos, vt in *articulo IIX* ipſimet confitemur, admixtos habet, perperam ea eccleſiae proprie dictae, *ἔσωθεν* ſpectatae, catholicae, inuiſibilis deſcriptioni obuertuntur, indeque, eccleſiam proprie congregationem ſanctorum eſſe, negatur. Neque vero, quae falſa BELLARMINI, *de eccleſia lib. III, c. 2, controuerſ. t. II, p. 64*, eſt imputatio, duas nos ſtatuimus eccleſias, veram vnam et internam, nominalem alteram et externam: ſed de vna eademque eccleſia, quatenus ea interne, externeque conſideranda eſt, diſtincte loquimur; quemadmodum ipſe Spiritus ſanctus in ſacris litteris facit, qui nonnullis in locis totum vocatorum coetum, alibi vero vere fidelium et ſanctorum, qui in illo ſunt, ſocietatem eccleſiae nomine deſignat. Graues vtique ob cauſas, notante GERHARDO, *de eccleſia c. VI, § 51, p. 647*, duae hae vocis eccleſiae acceptiones ſunt diſtinguendae, primo, vt ne, qui ſunt in coetu vocatorum, vera autem deſtituuntur fide, ad ſe pertinere putent promiſſiones, quae eccleſiae proprie dictae in Scriptura tribuuntur, neue exiſtiment, ſe damnari non poſſe, cum membra ſint viſibilis eccleſiae; ſecundo, ne quis ſentiat, eccleſiam nihil aliud eſſe, quam externam quandam politiam bonorum et malorum. Falſo porro noſtrae eccleſiae defini-

Vu tioni

tioni obiicitur, ciues eccleſiae fingi *ἀναμαρτήτους*. Aliam enim *ſanctorum* appellationis rationem eſſe, ſupra oſtendimus. Friuola hinc eſt cauillatio, Platonicam nos ſomniare ciuitatem. Vid. *Apologia A. C. p. 148.*

Vt de pontificia eccleſiae deſcriptione nonnihil addamus, eccleſiae formam Papiſtae in vnione cum capite, Romano pontifice conſtituunt, et omnes, quotquot pontificem pro capite agnoſcunt, ipſiuſque ſubiecti ſunt imperio, ſiue pii ſint, ſiue impii, pro veris eccleſiae membris habent. BELLARMINVS, *l. c. p. 65*, eccleſiam, vnam quam dicit, et veram, ita deſcribit, quod ſit: „coetus hominum, eiuſdem chriſtianae fidei „profeſſione, et eorundem ſacramentorum „communione, colligatus, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac praecipue vnius „Chriſti in terris vicarii, Romani pontificis". Addit: „eccleſiam eſſe coetum hominum „ita viſibilem, et palpabilem, vt eſt coetus „populi Romani, vel regnum Galliae, aut „reſpublica Venetorum". Ecquis non videt, quantopere deſcriptio haec verae eccleſiae Chriſti naturae et indoli repugnet? Praeterquam enim, quod praecipuum membrorum eius requiſitum in externa fidei, Romanae ſcilicet, ponitur profeſſione, deteſtabili modo, eccleſia in Romani pontificis conuertitur monarchiam, iſque in locum Chriſti, qui vnus et ſolus eſt eccleſiae caput

(Eph.

(*Eph. I, 22; IV, 15, ſq. V, 23*, et caet.) ſub ementito ipſius in terris vicarii titulo, ſurrogatur. Conf. *Apologia A. C. p. 149, ſq.*

THESIS II

Eccleſiae notae ſunt, ſincera verbi diuini praedicatio, et ſacramentorum legitima adminiſtratio.

Vid. *Aug. Conf. art. VII; Apologia A. C. p. 145.*

Expoſitio, et confirmatio.

Eccleſia vera notas habet et ſigna, quibus agnoſci, et a falſa dignoſci poteſt. Eccleſia videlicet, ἔξωθεν, *externe* ſpectata, *viſibilis*, eaque in florente conſtituta ſtatu. *Notae* cum ita comparatae eſſe debeant, vt rei notatae ſoli et ſemper conueniant, et ab aliis eam diſtinguant, euidenterque eandem demonſtrent, tales vtique ſunt, quae eccleſiae verae viſibili in theſi attribuuntur: pura verbi diuini doctrina, et ſacramentorum legitima adminiſtratio. Nihil certe magis infallibiliter aliquid notum facere poteſt, quam id, ex quo illud conſtituitur. Vera igitur eccleſia cum per ſinceram verbi diuini praedicationem, et legitimam ſacramentorum adminiſtrationem conſtituatur, foueatur, conſeruetur, (*Matth. XXIIX, 19, ſq. Rom. X, 14. ſqq.*

Eph. V, 26, et caet.) conſequitur, has infallibiles illius notas eſſe atque ſigna. Non aliis, quam his ipſis notis ſignifque veram Chriſti eccleſiam, tempore apoſtolorum, conſpicuam fuiſſe, ex actibus et epiſtolis apoſtolicis patet. Puram euangelii doctrinam, certiſſimam verae eccleſiae notam eſſe, Seruatoris verba, *Ioh. VIII, 31*, confirmant.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Complures eccleſiae notas, non eaſdem tamen omnes pontificii conſtituunt doctores. In coaceruandis illis laborioſus in primis fuit BELLARMINVS, quippe qui, *de eccleſia lib. IV, cap. 3-18, p. 101, ſqq.* quindecim has enumerat notas: 1) nomen catholicum, 2) antiquitatem, 3) durationem, 4) amplitudinem; 5) ſucceſſionem epiſcoporum, 6) conſenſum cum eccleſia antiqua, 7) vnionem membrorum inter ſe et cum capite, 8) doctrinae ſanctitatem, 9) eiuſdem efficaciam, 10) ſanctitatem vitae, 11) gloriam miraculorum, 12) lumen propheticum, 13) confeſſionem aduerſariorum, 14) infelicem hoſtium exitum, 15) felicitatem temporalem. Operam autem luſit BELLARMINVS, ſiquidem non adaequatae, propriae, perpetuae, eſſentiales verae eccleſiae notae hae ſunt praeſaeque omnes, tum vero ad eccleſiam Romanam apoſtaticam abſone illae referuntur. Vberrime id, ſigillatimque noſtrates demonſtra-

ſtrarunt theologi, praeſertim GERHARDVS, de eccleſia cap. XI, p. 874, ſqq. et SCHERZERVS, in Anti-Bellarmino, p. 372, ſqq.

THESIS III.

In eccleſia, quoad ſignorum ſocietatem ſpectata, multi ſunt hypocritae, et mali, ſed illi non ſunt eccleſiae, proprie dictae, membra.

Vid. *Aug. Conf. art. IIX; Apologia A. C. p. 144. ſqq.*

Confirmatio, et Vindicatio.

In eccleſia, ἔξωθεν ſpectata, ſeu, vocatorum coetu, vere credentibus et ſanctis multos admixtos eſſe hypocritas, et non ſanctos, cum res ipſa ſatis teſtatum reddat, tum id ipſum comprobatur parabolis, quibus in ſacris litteris eccleſia comparatur cum *agro*, in quo non ſolum triticum, ſed etiam Zizaniorum magna copia datur, *Matth. XIII, 24, ſqq.* cum *ceti*, in quo ſunt piſces mortui et vivi, *ib. v. 47;* cum *conuiuio*, cui interſunt et digni et indigni hoſpites, *Matth. XXII, 11;* cum *domo magna*, in qua vaſa ſunt munda et immunda, *2 Tim. II, 20;* cum *vinea*, in qua vuae bonae et labruſcae reperiuntur, *Ieſ. V, 1, ſqq.* et caet. Ita in eccleſiis, quae hoc nomine ab apoſtolo inſigniuntur, Corinthiaca, Galatiae, ſeptem

item coetibus Aſiaticis, complures erant non ſancti. Refellitur hoc ipſo veterum quorundam haereticorum, praeſertim *Donatiſtarum*, itemque *Anabaptiſtarum*, in *F. C. p. 827*, damnatus error: non eſſe eam veram et chri„ſtianam eccleſiam, in qua peccatores repe„riantur. Contra Donatiſtarum errorem iſtum vid. BERNH. WAGNERI *diſputatio ad articulum VIII A. C. de malis eccleſiae admixtis, p. p. Argentorati, a. 1708.* Quanquam autem hypocritae et mali ſint ſocii verae eccleſiae, ſecundum externos ritus, tamen non ſunt membra eccleſiae, proprie dictae; id quod iis probatur argumentis, quibus eccleſiam proprie congregationem ſanctorum eſſe, in *theſi I* demonſtrauimus. Nam cum eccleſia proprie dicta, corpus Chriſti myſticum, communio ſanctorum, regnumque Chriſti ſit, diſtinctum contra regnum diaboli, non illius, ſed huius hypocritae et mali ſunt membra. Vid. *Apologia A. C. p. 146 et ſequ.* Ad haec pontificii, qui non ſanctos etiam pro veris eccleſiae membris habent, illos ſcilicet, qui eccleſiae Romanae doctrinam exterius profitentur, et pontificis ſubiecti ſunt imperio, inaniter reſpondent, ad corpus et regnum Chriſti, communionemque ſanctorum, profeſſionis et vnionis externae ſufficere ſanctitatem. Conuellitur reſponſio iſta, *Matth. VII, 22; 2 Cor. VI, 15.*

THE-

THESIS IIII

Vna ſancta eccleſia, vniuerſalis ea et inuiſibilis, perpetuo manſura eſt.

Vid. *Aug. Conf. art. VII.*

Expoſitio, et confirmatio.

Perpetuitas proprie dictae competit eccleſiae, quae vniuerſalis eſt, et inuiſibilis. Ad eccleſiam autem ἔξωθεν ſpectatam quod *attinet*, quae eſt coetus vocatorum, in quo euangelium recte docetur, et recte adminiſtrantur ſacramenta, quaeque propter ea *viſibilis* vocatur, non ea haec gaudet perpetuitate, vt ſemper ac perpetuo duret. Non ſolum enim, quod innumeris conſtat exemplis, particularis quaeuis eccleſia publici verae religionis exercitii obnoxia eſt amiſſioni, ſed omnes etiam eccleſiae particulares eidem ſubiectae ſunt fato, totaque adeo eccleſia viſibilis obſcurari, et in eum redigi poteſt ſtatum, vt exterior eius deficiat claritas, nec illuſtris et conſpicuus ſuperſit coetus, in quo ſincera verbi diuini praedicatio, et legitima ſacramentorum vigeat adminiſtratio; ſancto tamen ſemper remanente ſemine, eoque inuiſibilem eccleſiam conſtituente. Ad vniuerſalem et inuiſibilem eccleſiam ſpectant promiſſiones Seruatoris noſtri, *Matth. XVI, 18; XXIIX, 20:* iiſque, perpetuo manſu-

ram illam eſſe, confirmatur. Add. *Pſalm. XLIIX, 9; Dan. II, 44*, et caet. Eccleſiam viſibilem perpetuitatis carere priuilegio, cum veteris, tum noui teſtamenti eccleſiae exemplo probatur. Illa cum Iudaeae finibus contineretur, eo ſaepe fuit ſtatu, vt, vero Dei cultu extincto, idololatria eam totam occupaſſet. Vid. in primis *1 Reg. XIX, 10, 14*. Ita, Babylonica captiuitate durante, viſibilis eccleſia ceſſauit. Eadem eccleſiae N. T. fuit conditio ſub decem perſecutionibus, et cum totus mundus factus eſſet Arianus, tum vero, vbi Papatus inualuit, illa ipſa puritatem, integritatemque chriſtianae doctrinae amiſit. Pontificii, qui, reiecta eccleſiae in viſibilem et inuiſibilem diſtinctione, non aliam, quam viſibilem eccleſiam agnoſcunt, huic attribuunt perpetuitatem. Sed quae hanc in ſententiam afferunt ſacrarum litterarum dicta, illa vel ad vniuerſalem ſpectant eccleſiam, vel eccleſiam aliquando, in ſtatu videlicet florenti et pacato, viſibilem et conſpicuam eſſe, docent, vel de ſplendore eius interno et ſpirituali loquuntur. Auguſtanae Confeſſionis *articuli VII* verba, quibus, „vnam ſan„ctam eccleſiam perpetuo manſuram eſſe" dicitur, gratis nobis obiiciuntur, cum, vt in expoſitione *theſ. I* notauimus, de eccleſia inuiſibili accipienda ſint, licet huius deſcriptioni viſibilis eccleſiae notae addantur.

THEO-

THEOLOGIAE SYMBOLICAE
CAPVT XV
DE RITIBVS ECCLESIASTICIS

SECTIO I
HISTORICA

I

Poſteaquam in *ſeptimo*, quem ſuperiori capite enarrauimus, AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo*, confeſſores noſtri, ad veram eccleſiae vnitatem haudquaquam neceſſe eſſe, docuerunt, vt ſimiles vbique ſint traditiones humanae, ſeu ritus aut caerimoniae, ab hominibus inſtitutae; quae ipſorum aſſertio in APOLOGIA A. C. *c. IV, p. 151, ſqq.* declaratur, et vindicatur; *quinto et decimo articulo, de ritibus eccleſiaſticis* ex inſtituto agunt, horumque, in eccleſia ſeruandorum, vera expoſita ratione, pontificios de illis redarguunt errores. (*) Confeſſionis de his erroribus ſententia ſolidis rationibus defenditur in APOLOGIA *c. IIX, p. 205, ſqq.* (**)

(*) Vt de ritibus eccleſiaſticis ſingularem proponerent articulum, graues vtique confeſſores noſtri habue-

 runt

ſunt cauſſa. Nam cum, innumeris ſub Papatu in eccleſiam inuectis ritibus, tota fere religio chriſtiana in caerimonias eſſet conuerſa, ritusque illi maximam partem non inutiles ſolum, atque inepti, ſed ſuperſtitioſi etiam et idololatrici eſſent, tum vero diuina iiſdem auctoritas, ſpiritualeſque ex opere operato attribuerentur effectus, ad ſacra repurganda diuinitus excitatus, LVTHERVS, rem ita inſtituit, vt verbo Dei aduerſantes inutileſque ritus abrogarentur omnes, ii vero, qui adiaphororum rationem haberent, et commode ſeruari poſſent, non, quemadmodum CAROLOSTADIVS et ZWINGLIVS ſentiebant, pari modo eiicerentur, ſed, falſa omni de illis remota opinione, retinerentur. Suarum igitur partium eſſe duxerunt beati confeſſores noſtri, vt eccleſiarum euangelicarum, emendata quae receperant ſacra, de ritibus eccleſiaſticis doctrinam, *articulo XV*, quoad rem cum articulo XVII Torgauienſi prorſus conueniente, declararent.

Duabus articulus conſtat partibus. In prima, eaque διδασκαλικῇ, ritus in eccleſia ſeruandos eſſe, affirmatur, tum vero, quales illi ipſi eſſe debeant, docetur. Alterum nimirum rituum eccleſiaſticorum ſeruandorum requiſitum eſt, vt ne ſint impii, ſed tales; *qui ſine peccato ſeruari poſſunt*: alterum, vt, ratione finis, vtilitate ſua ſe commendent, et *ad tranquillitatem, bonumque ordinem in eccleſia proſint*; quo nomine certae feriae, feſta, et ſimilia, exempli loco adducuntur. In parte ſecunda, quae eſt ἐλεγκτικὴ, notantur errores, quibus ritus eccleſiaſtici pro cultu ad ſalutem neceſſario habentur, iiſdemque meriti et ſatiſfactionis ratio, contra Euangelium, et fidei doctrinam, adiudicatur; indeque adeo vota, et traditiones de cibis et diebus, et caet. ad promerendam gratiam, et ſatiſfaciendum pro peccatis inſtitutae, reiiciuntur.

Pontificii, qui Caeſaris et Romano catholicorum principum iuſſu, de confeſſione noſtra ſententiam ſuam perſcripſerunt, primam quidem articuli huius partem approbarunt, hocce addito monito, vt ritus eccleſiaſtici

omnes,

omnes, olim introducti, in coetibus noſtris obſeruarentur, intermiſſiue reſtituerentur; alteram vero partem damnarunt, „falſum ſcilicet eſſe, dicentes, conſtitutiones humanas, ad placandum Deum, et ſatisfaciendum „pro peccatis, inſtitutas, euangelio aduerſari."

(**) Quam impie cenſores pontificii id, quod in articulo XV confeſſores noſtri dixerunt, traditiones humanas, inſtitutas ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, et ſatisfaciendum pro peccatis, euangelio aduerſari, damnauerint, in *Confeſſionis Apologia, c. IIX, p. 205, ſqq.* demonſtratur. Ac primo quidem aduerſariorum de traditionum humanarum ad promerendam remiſſionem peccatorum, gratiamue, vtilitate redarguitur ſententia, oſtenditurque, id ſtatuentes Iudaizare, et doctrina daemoniaca obſcurare euangelium, beneficium Chriſti, et iuſtitiam fidei: nullam traditionem a ſanctis patribus hoc inſtitutam eſſe conſilio, vt mereatur remiſſionem peccatorum, aut iuſtitiam: cultus humanos, vt meritorios, regnum conſtituere antichriſti: ex iſta aduerſariorum ſententia ſequi fiduciam operum, contemtum praeceptorum Dei, et fluctuationes conſcientiarum. Noſtra inde in confeſſione de ritibus eccleſiaſticis propoſita defenditur ſententia, compluresque eam in rem afferuntur rationes.

II

De ritualibus eccleſiae Romanae traditionibus, quae in antitheſi *articuli XV A. C.* notantur, in eccleſia euangelica abrogatis, curatius exponitur in AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo quinto*, inter illos, in quibus abuſus mutati recenſentur. (*)

(*) Inſcribitur articulus hic: *de diſcrimine ciborum*, in quo nimirum ieiunii religioſi, ex Romanae eccleſiae traditione ſeruandi, ratio conſiſtit; neque vero ſolum

de

de hac, ſed de aliis etiam huiuſmodi in eo agitur traditionibus pontificiis. Summa articuli haec eſt, Iuſte euangelicos cauſas habuiſſe, oſtenditur, quare diſcrimina ciborum, ſimileſque repudiauerint traditiones humanas. Quam in rem primo refertur, publicam eam non vulgi tantum, ſed etiam docentium in eccleſiis fuiſſe perſuaſionem, traditionum iſtarum obſeruationem neceſſarium eſſe cultum, et, quae ex illarum praeſcripto fierent, opera vtilia eſſe ad promerendam gratiam, et ſatiſfactoria pro peccatis. Hinc ex perſuaſione iſta enata memorantur mala: obſcuratio nimirum cum doctrinae de gratia et iuſtitia fidei, tum praeceptorum Dei, quippe quibus longe antepoſitae fuerint traditiones, adeo vt totus chriſtianiſmus in certarum feriarum, rituum, ieiuniorum conſtiterit obſeruatione. Additur, traditiones, multitudine ſua, indeque oriunda eas omnes ſeruandi difficultate, magna conſcientiis attuliſſe pericula, ea ſcilicet imbutis opinione, neceſſarios illas eſſe cultus. Orthodoxa inde euangelicorum proponitur antitheſis, quod per traditionum humanarum obſeruationes gratiam mereri, iuſtificariue, nequeamus; quodque non neceſſarius illae ſint cultus, ſed ἐθελοθρησκεία: haſque ipſas adeo, ac ſpeciatim *ciborum quorundam probibitionem*, verbo Dei repugnare, ſacrarum litterarum teſtimoniis confirmatur. Reſpondetur poſt ea ad obiectiones aduerſariorum, falſoque noſtros accuſari, dicitur, quod cum IOVINIANO, de quo legi merentur, quae CHEMNITIVS, *exam*, *Conc. Trid. part. IIII, ſect. 4, c. 13, p. 192, ſqq.* refert, diſciplinam, carniſque prohibeant mortificationem: nec veri nominis ieiunia a nobis damnari, quin etiam conſtitutiones eccleſiaſticas, ad id conducentes, vt cuncta ordine gerantur in eccleſia, reiecta cultus neceſſarii ac meritorii opinione, et ſalua libertate chriſtiana, apud nos ſeruari, affirmatur.

Articuli huius textum, prout is in *Concordiae* libro extat, a prototypo haudquaquam diſcordare, contra LAVR. FORERVM, theologi Saxonici, in *apologia papi-*

ſiae euangelicae, cap. XXVI, p. 523, demonſtrarunt. Conf. CARPZOVIVS, in iſag. p. 691, ſq. In variata Confeſſione articulus hic, mutato ordine, aliiſque proponitur verbis, ſalua tamen doctrinae veritate, nec inepte hoc ei praefixo titulo: *de diſcrimine ciborum, et ſimilibus traditionibus pontificiis.* Quare articuli huius nulla in *Apologia A. C.* addita fuerit defenſio, certo dici nequit. Neque enim, vt SAM. SCHELGVIGIVS, in *manuduct. ad A. C. p. 502*, opinatur, Confutationis pontificiae auctores illum praeterierunt, ſed aduerſus traditiones ſuas in eo dicta pluribus refellere inſtituerunt. Inanem autem ea in re eum inſumſerint operam, allatas ab ipſis rationes reſponſione indignas iudicaſſe videtur PHILIPPVS, poſteaquam in *Apologiae capite IIX, p. 205, ſqq.* Confeſſionis Auguſtanae de reiectaneis pontificiorum traditionibus, in *articulo XV* propoſitam, ſententiam firmiſſimis iam confirmauerat argumentis.

III

Articulis *A. C.* hactenus enarratis addendus eſt *articulus XV partis tertiae* ARTICVLORVM SMALCALDICORVM, in quo b. LVTHERVS, pontificiorum aſſertiones, quibus, *traditiones humanas* ad remiſſionem facere peccatorum, et ſalutem mereri, itemque, peccatum mortale eſſe, dicunt, ſi quis ſtatuta iſta non ſeruet, impias eſſe, pronuntiat, damnabileſque.

IIII

Sed et in CONFESSIONIS AVGVSTANAE *ſeptimo*, eoque inter illos, in quibus abuſus mutati recenſentur, vltimo, *articulo*, pontificii de traditionibus ritualibus notantur errores (*).

(*) Ex

(*) Ex articulo hoc id nimirum huc referendum eſt, quod ad, excuſſam in illo, ſpectat quaeſtionem: num epiſcopi ius habeant inſtituendi caerimonias in eccleſia, condendique leges de cibis, feriis, gradibus miniſtrorum, et caet. Confeſſorum noſtrorum ſententia, *p.* 42, haec eſt, „ordinationes quidem fieri poſſe, vt res ordine gerantur „in eccleſia, non vero, vt per illas mereamur gratiam, „aut ſatisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conſcien„tiae, vt iudicent neceſſarios eſſe cultus, ac ſentiant, ſe „peccare, cum ſine offenſione aliorum violant." Conf. APOLOGIA *ad hunc articulum, c. XIIII, p.* 293, *ſqq.*

Difficilem explicationem habent, quae in hoc articulo de *die dominico* affirmantur. Diſputandi de illo cauſa data eſt ab iis, qui, ſabbati in diem dominicum, contra decalogum factam, allegantes mutationem, hoc maxime argumento epiſcopis nouas, eaſque neceſſarias, leges rituales condendi ius vindicarunt. Vid. *p.* 40. Ad hoc igitur argumentum, *p.* 43, ita reſpondetur: „Qui iudicant, „eccleſiae auctoritate, pro ſabbato inſtitutam eſſe *diei do„minici obſeruationem, tanquam neceſſariam*, longe er„rant. Scriptura abrogauit ſabbatum, quae docet, omnes „ceremonias Moſaicas, poſt reuelatum euangelium, omit„ti poſſe. Et tamen, quia opus erat, conſtituere certum „diem, vt ſciret populus, quando conuenire deberet, ap„paret, eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem dominicum, qui „ob hanc quoque cauſam videtur magis placuiſſe, vt ha„berent homines exemplum chriſtianae libertatis, et ſci„rent, nec ſabbati, nec alterius diei obſeruationem neceſ„ſariam eſſe." His nimirum verbis Confeſſores diei dominicae celebrationem, quae, cum veteris eccleſiae doctorum, tum noſtratium theologorum, communi fere ſententia, apoſtolica, eaque diuina, nititur auctoritate, ad inſtituta mere humana referre, eiuſque obſeruationis neceſſitatem aperte negare videntur. Quin etiam in *Apologia A. C., ad articulum VII, p.* 152, dies dominicus cum aliis diebus feſtis coniungitur, et ritibus, ab hominibus inſtitutis, accenſetur. Vix negari poſſe videtur, confeſ-

ſores

ſores noſtros ſtatuiſſe, diem dominicum inſtituti eſſe humani, nec diuino ad illius obſeruationem chriſtianos obſtringi praecepto; id quod pluribus, ex ipſorum verbis deſumtis, rationibus demonſtrare inſtituit, eandem propugnans ſententiam, IOH. FECHTIVS, *in exercitatione de ſabbato, ſchediaſmatum ſacr. p. 553, ſqq.* Fechtianam articuli huius enarrationem comprobat, genuinamque illius ſententiam a laudato theologo exponi, confirmarique, cenſet S. R. IAC. WILH. FEVERLINVS, in *obſeruationibus in Aug. Confeſſ. ad h. art. p. 224.* Idem vero etiam, ex hypotheſi ſua, qua inter librorum ſymbolicorum partes praecipuas et principales, et partes ſecundarias minusque principales, *p. 1,* diſtinguit, hiſque, praeter caetera, reſponſiones ad obiectiones aduerſariorum annumerat, Confeſſorum de die dominico ſententiam ad partes ſecundarias librorum ſymbolicorum pertinere, ſtatuit; indeque infert, theologos quoſdam noſtrates, ſalua librorum ſymbolicorum auctoritate, et ſaluis eorundem finibus, ab hac articuli huius parte ſecundaria diſſentire poſſe. Cum haud multum diſſimilis ſit b. D. VAL. ERN. LOESCHERI hypotheſis, qua nimirum ille a *voce eccleſiae*, in libris ſymbolicis ſonante, diſcriminat ea, quae in horum volumine *interſperſa* ſaltem eſſe, adeoque non pro eccleſiae, ſed pro mera *doctorum*, quorum ope eccleſia vſa eſt, *voce* et ſententia haberi debere, putat, is ipſe ad interſperſa haec, propoſitam in *A. C. partis poſterioris articulo VII,* de diei dominicae inſtitutione et neceſſitate doctrinam refert, quam non falſo, ſed minus adaequate proponi, dicit, adeo vt tota vox Confeſſionis hac de re hic non ſonet; cum nec hoc loco eccleſia per ſcriptores A. C. conſiteatur, ſed diſputet contra aduerſarios. Vid. Eius *Statera articulorum fidei,* in libro, qui *Stromateus* ab ipſo inſcriptus eſt, *p. 63, ſq.* Nos, miſſis hypotheſibus iſtis, Confeſſorum verba expoſitionem commodam admittere, exiſtimamus. Nempe id, quod ad praecepti tertii ſpectat morale, vt, ad cultum diuinum ſolemniter peragendum, certo hebdo-

madis

madis die homines conueniant, haudquaquam negatur; ſed, quae ad caerimoniale illius, in N. T. ſublatum, refertur, primae ſeptimanae diei eam in rem electio eccleſiae aſſeritur conſtitutioni, ac proinde diei ſpeciatim dominico ea tantum, quae diſerto Dei nitatur mandato, neceſſitas abiudicatur.

V

Ad caput hoc etiam pertinet FORMVLAE CONCORDIAE *articulus decimus*, *de caerimoniis eccleſiaſticis*, quae vulgo adiaphora, ſeu res mediae et indifferentes, vocantur; in quo ea ſpeciatim quaeſtio, num huiuſmodi caerimoniae abrogatae, poſtulantibus aduerſariis, in vſum reuocandae ſint, expenditur, atque definitur. (*)

(*) Controuerſiae adiaphoriſticae, inter Auguſtanae Confeſſioni addictos theologos agitatae, ad quam definiendam Formulae Concordiae articulus X comparatus eſt, hiſtoriam deſcripſimus in *prolegomenis*, *ſect. VII*, *§. XI*, *p. 95*, *ſqq.* Quaeſtio, de qua diſceptatum fuit, in articulo his exponitur verbis: „num perſecutionis tempore, et in caſu confeſſionis, (etiamſi aduerſarii nobiſcum „in doctrina conſentire nolint,) nihilominus, ſalua conſcientia, aliquae abrogatae caerimoniae, quae per ſe indifferentes, et a Deo neque mandatae, neque prohibitae „ſint, poſtulantibus id et vrgentibus aduerſariis, iterum „in vſum reuocari poſſint: et an hoc modo cum pontificiis in eiuſmodi caerimoniis et adiaphoris conformari „recte queamus? Quaeſtionis huius definitioni haec praemittuntur pronuntiata: 1) caerimonias, ſiue ritus eccleſiaſticos, qui verbo Dei neque praecepti, neque prohibiti, ſed tantum decori et ordinis cauſa inſtituti ſunt, per ſe non eſſe cultum diuinum, aut aliquam ſaltem partem cultus diuini: (quam in ſententiam, nihil videlicet

cultus

cultus diuini rationem habere, niſi quod ab ipſo Deo inſtitutum eſt, atque praeceptum, dictum adducitur *Matth. XV, 19;*) 2) eccleſiae Dei, vbiuis terrarum, et quocunque tempore, licere, pro re nata, vtilitatis, aedificationiſque habita ratione, caerimonias tales mutare; 3) mutationem illarum non ſine graui cauſa ſuſcipiendam, cauendumque eſſe, vt ne offendiculo ea ſit in fide infirmis. Hinc ad quaeſtionem, de qua diſputatum fuit, reſpondetur, negaturque, perſecutionis tempore, et in caſu confeſſionis, hoſtibus euangelii in rebus adiaphoris eſſe cedendum. Quae ſententia his maxime confirmatur rationibus, quia nimirum, in tali rerum ſtatu, non de adiaphoris amplius, ſed de ipſius doctrinae euangelicae veritate, et de libertate agitur chriſtiana; ab eccleſia vero omni ſtudio cauendum eſt, vt ne quid fides, libertaſque chriſtiana capiant detrimenti, iugumue ab hoſtibus veritatis ipſi imponatur. De caerimoniarum autem externarum in ipſis eccleſiis euangelicis diuerſitate monetur, fidei conſonantiam illa ipſa non diſſolui, nullamque eo nomine alteram damnare debere. In addita antitheſi repudiantur, et damnantur propoſitae in hoc articulo ſanae de adiaporis doctrinae contraria haecce dogmata: 1) traditiones humanas et conſtitutiones in rebus diuinis, per ſe, pro cultu Dei, aut certe pro parte cultus diuini eſſe habendas; 2) ad recipiendas eas eccleſiam cogi poſſe; 3) in adiaphororum obſeruatione euangelii hoſtibus gratificari licere; id quod ſpeciatim adiaphoriſtae ſtatuebant; 3) externas caerimonias, quae indifferentes ſunt, neceſſario eſſe abrogandas.

SECTIO II

THETICO ELENCTICA

THESIS I

Ritus eccleſiaſtici, qui vere ſunt, et dicuntur adiaphora, boni ordinis et tranquillitatis cauſa in eccleſia inſtituti, ſeruandi, nec temere ſunt abrogandi.

Vid. *Aug. Conf. art. XV; de abuſ. art. V, p. 31, ſub f. et art. VII, p. 42; Form. Conc. art. X, epit. p. 616, n. IIII, declar. p. 797.*

Expoſitio, et confirmatio.

Ritus, ſeu caerimoniae eccleſiaſticae, vocantur non res, in quibus ipſa cultus diuini ſubſtantia conſiſtit, ſed actiones externae, quarum in adminiſtratione ſacrorum, ſeu cultu diuino publico, vſus eſt. Graeca appellatione *adiaphora* dicuntur, quo nomine generatim ea denotari ſolent, quae indifferenter et fieri, et omitti, ſic et aliter fieri poſſunt; itemque *res mediae*, *mitteldinge*. Ἀδιάφορον quod Stoici dixerunt, *indifferens* reddidit CICERO, *de finibus lib. III, c. 16*. His igitur vocibus, vſu eccleſiaſtico receptis, ritus

ritus et caerimoniae deſignantur, „quae ver-„bo Dei nec mandatae, nec prohibitae ſunt, „ſed, bono conſilio, propter εὐταξίαν, et or-„dinem, aut ad conſeruandam piam diſci-„plinam, in eccleſia vſurpantur.“ Vid. *Form. Conc. art. X, p. 789.* Itaque ad ritus eccleſiaſticos, in *Auguſt. Conf. art. XV*, requiritur, vt tales ſint, qui ſine peccato ſeruari poſſunt, hoc eſt, vt nullo modo, neque directe, neque indirecte, verbo Dei aduerſentur, tum vero, vt ad eccleſiae faciant οἰκοδομὴν, eo videlicet comparati, vt debita reuerentia peragantur ſacra, et vt cuncta εὐσχημόνως et κατὰ τάξιν fiant. *1 Cor. XIIII, 12, 26 40.* Huc adeo pertinent vſitatae in eccleſiis euangelicis liturgiae, precum et cantionum formulae, feriae, ieiunia, ritus baptiſmales, et euchariſtici, ab eſſentialibus ſacramentorum diſcernendi partibus, quippe quae diſerto nituntur Dei mandato.

De ritibus eccleſiaſticis, hactenus deſcriptis, in theſi noſtra primo affirmatur, illos vtique eſſe ſeruandos. Nam neceſſe omnino eſt, vt in conuentibus ſacris, ratione temporis, modi, aliarumue circumſtantiarum, certus obſeruetur ordo, et, quamuis caerimoniae per ſe non ſint cultus diuinus, aut aliqua ſaltem eius pars, debitae tamen illius inſeruiunt celebrationi. Huiuſmodi autem ritus inſtituendi cum particularis eccleſia quaeuis libera gaudeat poteſtate, conſequi-

tur, ciues illius obſtrictos eſſe, vt rite conſtitutis, introductiſque caerimonis eccleſiaſticis conformiter ſe gerant. Non temere illas ipſas abrogandas eſſe, probatur, quia libertati chriſtianae repugnat, vt aliquid, tanquam illicitum, idque inuita eccleſia, abrogetur, quod re vera eſt indifferens, recteque retineri, tolerariue poteſt. *Gal. V, 1.* Accedit, temerarias rituum mutationes, abrogationeſque cum infirmiorum coniunctas eſſe offendiculo, quod ſedulo eſt cauendum; *1 Cor. IIX, 9.* Conſ. *F. C. p. 615, n. III.*

ἀντιθέσεως notatio.

Ritibus eccleſiaſticis, in eccleſiis Euangelico Lutheranis vſu receptis, cum maxime infeſti ſunt *Caluiniani*, eorumque obſeruationem omni improbant modo. Vetus eſt injuria, a ZWINGLIO, ſociiſque repetenda. Horum ſcilicet veſtigiis inſiſtentes Reformati, ritus illos, quos euangelici, quod ſine peccato ſeruari poſſent, retinuerunt, impugnant, ſpeciatimque exorciſmum, altaria, hoſtias, cereos, veſtes ſacras, lectiones dominicales, apertionem capitis ad nomen IESV, ſignum crucis, imaginum in templis vſum, aliaque plura, vt papiſmi reliquias traducere ſolent. Perperam autem id fieri, patet, quia ritus iſti, prout apud nos adhibentur, omnis, quae in papatu iiſdem adhaeret, vitioſitatis ſunt expertes, et, vt veri nominis

adia-

adiaphora, decori et εὐταξίας cauſa, ex libertate chriſtiana ſeruantur, in gratiam aduerſariorum haudquaquam abrogandi. Singulari opera ab inculatione iſta eos vindicauit IOH. HERMANNVS ab ELSWICH, in *commentatione de reliquiis Papatus, eccleſiae Lutheranae temere affictis, c. IV, p. 75, ſqq.* Caluinianis addendi ſunt *Sociniani*, qui ritus exteriores, quae vulgo caerimoniae dicantur, nullum in N. T. locum habere, in *catecheſi Racouienſi, quaeſt. CCII*, perperam affirmant; ritusque noſtros cauillis impie proſcindunt. Vid. I. A. SCHERZERVS, in *collegio Anti-Sociniano, p. 1044, ſqq.*

Ad antitheſin etiam referri poteſt ſententia eorum, qui ritus, caerimoniaſque, quae ſint adiaphora, poſtulantibus aduerſariis, in eccleſiam recipi poſſe, cenſent. Ea in ſententia, publicato a Caeſare CAROLO V *Interim* Auguſtano, fuerunt noſtrates quidam theologi, *Interimiſtae* dicti. Contra illos, in *articulo X Form. Conc.* docetur, quod, licet eccleſia ritus, caerimoniaſque indifferentes vel introducere, vel abrogare poſſit, prout vtilitati eius, aedificationique id conueniat, alia tamen rei ſit ratio, vbi mutatio rituum ex aduerſariorum inſtituenda eſt voluntate. Firmiſſimae hinc afferuntur rationes, quare, hoc in confeſſionis caſu, rituum mutatione, gratificari non liceat euangelii hoſtibus, ſupra, *ſect. I, § V*, indicatae.

THESIS II

Ritus eccleſiaſtici non per ſe, ſunt cultus diuinus, nedum ad ſalutem neceſſitatis rationem habent, minimeque omnium gratiam Dei merentur.

Vid. *Aug. Conf. Art. XV; de abuſ. mut. art. V, et VII, p. 40, ſqq. Apol. A. C. c. IIX, p. 205 ſqq. Art. Smalcald. part. III, art. XV; Form. Conc. art. X, p. 615, ſq. et p. 791.*

Expoſitio, et confirmatio.

De ritibus eccleſiaſticis, quos praecedente deſcripſimus theſi, hac theſi, *primo*, affirmatur, eos *non per ſe cultum eſſe diuinum.* Ita *F. C. art. X, p. 615, 791.* Vere hoc affirmari, probatur, quia nihil cultus diuini rationem habet, niſi quod ab ipſo Deo inſtitutum eſt, atque praeceptum. Deus enim ſolus praeſcribere poteſt modum, quo ab hominibus velit coli, ac neceſſe adeo eſt, vt, quae per ſe cultus ſunt diuinus, a Deo ſint mandata. Ritus igitur eccleſiaſtici, cum ab hominibus ſint inſtituti, eo loco nequeunt haberi. Conf. *Matth. XV, 9. Secundo*, ritibus eccleſiaſticis neceſſitatis ad ſalutem, meritique ratio in theſi noſtra denegatur. Vel vno hoc, eoque inuicto, id conficitur argumento, ab operibus, quae Deus ipſe mandauit,

nis, deſumto: quippe quibus nulla prorſus ad ſalutem cauſae, medii, meritiue competit neceſſitas; id quod pleniſſime demonſtrauimus, *capite IX de bonis operibus*, *ſect. II*, *theſ. II.*

Ἀντιθέσεως notatio.

Theſis noſtra oppoſita eſt errori pontificiorum, qui traditiones eccleſiae Romanae rituales cultum ad ſalutem neceſſarium eſſe, illarumque obſeruatione homines gratiam Dei, et ſalutem aeternam promereri, ſtatuunt. Praeclare, quod ad ſtatum controuerſiae attinet, CHEMNITIVS, in *exam. Conc. Trid. part. I l. 2, ſ. 8, p. 124*: „quod ſi, inquit, „de adiaphoris ritibus, qui cum Scriptura „non pugnant, quaeſtio eſt, ſimplex et plana „reſponſio eſt: ſi non proponantur cum opi„nione neceſſitatis, cultus et meriti, ſed tan„tum, vt ordini, decoro, et aedificationi ſer„uiant, et cum chriſtiana libertate non pu„gnent, poſſe de illis ſtatui, prout eccleſiae „aedificationi conuenire videtur." Conf. Idem, *l. 10, qu. 2, p. 250.* Iam vero rituum in eccleſia Romana contraria prorſus eſt ratio. Vt de infinita eorum multitudine, et origine, quoad magnam partem, ex paganiſmo, vel Iudaiſmo repetenda, ne dicamus, ſuperſtitioſi plerique ſunt, et idololatrici, quique adeo, cum Dei directe aduerſentur verbo, ſine peccato ſeruari non poſſunt. Sed et

omnes in vniuerſum, quotquot vel conſuetudine, vel epiſcoporum, praeſertim pontificum Romanorum conſtitutionibus, *eccleſiae traditionum* titulo, introducti ſunt, ritus pro cultu neceſſario a pontificiis habentur, iiſdemque meritum adiudicatur. Nempe traditionibus hiſce parem cum mandatis Dei Romanenſes attribuunt auctoritatem, et illarum adeo qui nititur auctoritate, *neceſſarium* eſſe dicunt cultum; indeque porro grauiſſimum illum errorem, quo diuinitus mandata opera gratiae Dei et ſalutis aeternae meritoria faciunt, traditionum quoque ſuarum affingunt obſeruationi.

Cum ſcire iuuet, quam ineptis pontificii rationibus diuinam traditionum eccleſiae Romanae ritualium probent auctoritatem, rituſque adeo, iiſdem praeſcriptos, pro neceſſario venditent cultu, paucis ea, quae IAC. ANDRADIVS hoc nomine affert, a CHEMNITIO *l. c. p. 250, ſqq.* vberius confutata, expendemus argumenta. Prouocat is ad Seruatoris dictum, *Luc X, 16*, quo etiam, in poſterioris *Aug. Conf.* partis *articulo quinto* impugnando, Confutationis pontificiae vſi ſunt auctores. Ecquis vero non videt, quam inique dictum illud, quo Chriſtus vult, vt eccleſiae miniſtri, vbi nimirum verbum Dei ſincere praedicant, non ſecus, ac ipſe, audiantur, ad eam, quam Romani praeſules ſibi arrogant, leges praeter verbum Dei, eaſque

easque diuinis aequales, ferendi tribuatur poteſtatem. Luculenter, in *Apologia A. C. p.* 295, *ſq.*, dictum hoc non de traditionibus loqui, ſed maxime contra illas facere, oſtenditur. Apoſtolorum inde ANDRADIVS adducit exemplum, qui, *Act. c. X*, de abſtinentia a ſanguine et ſuffocato tulerint legem, hincque arguit, eccleſiam de illis, quae a Chriſto non ſunt tradita, vel etiam abrogata, leges ferendi habere auctoritatem. Quae, qualis conſecutio! Apoſtoli, in concilio Hieroſolymitano, iubente Spiritu ſancto, *v.* 29, ex regula verbi diuini, quoad adiaphora, eccleſiae plantandae commodo, decretum condiderunt: ergo eccleſiae Romanae praeſules de rebus, in verbo Dei non ſolum non mandatis, ſed etiam eidem aduerſantibus, leges ferendi gaudent iure. Permiro denique modo, ex eo, quod Chriſtus *Matth. XXIII*, 2, 3, in cathedra Moſis ſedentium, ſcribarum et phariſaeorum, dictis morem geri voluerit, eccleſiae in N. T. praeſulum praeceptis haud minorem obedientiam et obſeruantiam deberi, infert; quaſi vero, praeter legis Moſaicae praecepta, ſcribarum et phariſaeorum Chriſtus ſeruari iuſſerit traditiones, quas tantopere ſemel atque iterum, ac ſaepius reprehendit, atque damnauit. Quin potius a reiectis, damnatiſque a Seruatore doctorum Iudaicorum traditionibus argumentum firmiſſimum ducitur aduerſus ponti-

tificias traditiones, vtpote quae, aeque ac illae, ſunt ἐντάλματα ἀνθρώπων, *mandata hominum*, ac proinde haudquaquam cultum neceſſarium, ſed damnabilem conſtituunt ἐθελοθρησκείαν. Vid. *Aug. Conf. p. 35; Apol. p. 206; Form. Conc. p. 791.*

Cum in *Aug. Conf. articulo V de abuſibus mutatis*, ea ſpeciatim eccleſiae Romanae notetur traditio, quae eſt *de diſcrimine*, ſeu *delectu ciborum*, ad rationes, quibus iſtud ciborum diſcrimen improbatur, nonnihil a nobis eſt addendum. Nec enim omnia, quae de ieiunii religioſi, in eccleſia Romana conſtituti, origine, tempore, cauſa finali, aliiſque ad id ſpectantibus rebus, diſputantur, expendere, ac totam adeo, quae de ieiunio inter nos et pontificios eſt, controuerſiam pertractare, huius eſt loci. Ex inſtituto, ſingularique ſtudio, cum veram atque orthodoxam, tum falſam pontificiorum de ieiunio doctrinam expoſuit, hancque confutauit CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid parte IIII, loc. 4, p. 123, ſqq.* Add. IOH. DALLAEI *de ieiuniis et quadrageſima* liber, editus Dauentriae, a. MDCLIIII. Quaeſtio praecipua eſt de formali ieiunii pontificii ratione. Id nimirum non, quem ad modum verum ieiunium in ſacris litteris et priſcis eccleſiae monimentis deſcribitur, in abſtinentia ab omni cibo et potu, ſed in abſtinentia a certorum ciborum, carnium videlicet, ouorum, lacti-

lacticiniorum eſu, et in ἰχθυοφαγίᾳ atque ξηροφαγίᾳ conſiſtit. Vere DALLAEVS, in libro laudato, *p. 18*, „monſtrum, inquit, eſt, ieiunium eo definire, et conſtituere, quo ſoluitur.“ In ſupra dicto *Aug. Conf.* articulo, quam iniuria in libertatem chriſtianam iſta ſit traditio, qua eſus carnium ita prohibetur, vt, qui ſtatis temporibus eo ſe non abſtinuerit, peccati mortalis reus habeatur, iis Scripturae ſacrae demonſtratur dictis, quae conſcientias huiuſmodi praeceptis onerare vetant; tum vero contra eam adducitur locus, *1 Tim. IIII 1, ſqq.* vbi Apoſtolus doctrinam eorum, qui certos prohibent cibos, *daemoniacam* vocat doctrinam. Sed hunc quidem locum aduerſus eccleſiaſticam de abſtinentia a carnium eſu, ieiunii tempore, conſtitutionem perperam afferri, clamitant Romanenſes. Apoſtoli nimirum verba ad priſcos illos ſpectare, dicunt, haereticos, *Ebionitas, Tatianos, Manichaeos*, et caeteros, quos BELLARMINVS, de *B. O. p. 621, ſq.* refert, qui cibos quoſdam prohibuerint, vt natura ſua immundos. At enimuero, quidquid ſit de veterum haereticorum de naturali ciborum quorundam impuritate ſententia, a qua tamen nec pontificios alienos prorſus eſſe, CHEMNITIVS, *l. c. ſect. I, c. 6, p. 139, ſqq.* docet, Apoſtolus generatim eos damnat, qui ἐν ὑποκρίσει, id eſt, ſanctitatis et cultus ſpecie, cibos quoſdam prohibent, eoque interdicto ſubla-

ſublatum in N. T. ciborum diſcrimen denuo introducunt, et chriſtianam conſtringunt libertatem. Ecquis iam non intelligit, quam belle daemoniaca haec, quam Apoſtolus vocat, doctrina in eam conueniat traditionem, quae abſtinentiam a certis cibis, ſpeciatim a carnibus, animalium ſcilicet terreſtrium et volatilium, ſub ſpecioſo ieiunii titulo, praecipit, eiuſque obſeruationem, vt neceſſarium, immo meritorium, exigit cultum. Friuola BELLARMINI pro interdicto carnium eſu argumenta ſingulari ſtudio in antea memorato *de ieiuniis* libro exploſit IOH. DALLAEVS. Conf. SCHERZERVS, in Anti-Bellarmino, *diſp. XVI, p. 769, ſqq.*

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT XVI
DE CVLTV SANCTORVM.

SECTIO I
HISTORICA

I

Ad corruptelas, chriſtianae religioni in Papatu illatas, cum maxime pertinet ſanctorum demortuorum cultus, in religioſa illorum invocatione, veneratione, et adoratione conſiſtens. Aduerſus damnabilem huncce in eccleſia Romana cultum, ſana eccleſiarum euangelicarum doctrina in *primo et viceſimo* AVGVSTANAE CONFESSIONIS proponitur *articulo*, (*) et in eiuſdem *Apologia*, *capite IX*, vindicatur. (**)

(*) In *articulo A. C. XXI*, *de cultu ſanctorum* agitur, cum *poſitiue*, tum *remotiue*, et in prima adeo parte, ſanctos *τῇ εὐφημίᾳ, καὶ τῇ μιμήσει* honorandos eſſe, docetur; in altera autem parte ſanctorum improbatur inuocatio, quia non *ἔγγραφος* ſolum, ſed etiam *ἀντίγραφος* ea eſt, et ſacrarum litterarum de Chriſto mediatore, propitiatore, pontifice, intercesſore, ipſoque inuocando, dictis aduerſatur. Latinus quidem articuli textus cum Germanico quoad rem prorſus conuenit, hic vero clarioribus conceptus verbis, ac proinde cum illo eſt comparandus. In

Confeſ.

II

In ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *partis II articulo II, p. 310, ſq.*, Miſſae *ſanctorum* ſubiungitur *inuocatio*, vt pars abuſuum et errorum Antichriſti; expoſitaque ἀγραφία eius pariter, atque ἀντιγραφία, idololatricus tam angelorum, quam ſanctorum, in eccleſia Romana cultus ſummatim deſcribitur, damnaturque. (*)

(*) Ab angelorum et ſanctorum in coelis oratione ad illorum inuocationem, cultumque conſequentiam non valere, LVTHERVS, etiam in hoc articulo docens, nec ipſe, ſanctos in coelis orare, pro re certa et indubitabili habet.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA

THESIS I

Angeli, ſanctique nec inuocandi, nec alio quouis cultu religioſo ſunt afficiendi.

Vid. *Aug. Conf. art. XXI; Apolog. A. C. c. IX, p. 223 ſeq. Art. Smalc. part. II, art. II, p. 310, ſq.*

Expoſitio.

Ii, quibus, hac theſi, Pontificiorum doctrinae et praxi oppoſita, inuocatio et cultus reli-

religioſus denegatur, *angeli* ſunt et *ſancti.* Angelis enim aeque, ac ſanctis inuocationis cultum attribuunt Romanenſes, illoſque adeo cum ſanctis eo nomine coniungit BELLARMINVS, *de beat. ſanctorum, cap. XIX, controuerſ. tom. II, p. 412.* De angelorum etiam cultu ſpeciatim praecipitur in *Catechiſmo Romano, part III, p. 315, et ſequ.* qui vero, ſi ad eccleſiae Romanae reſpicias praxin, prae cultu ſanctorum fere negligitur; cuius rei haec quibuſdam eſſe videtur ratio, quia Papa ſanctos facit, non angelos. *Sancti* ſunt in Domino mortui, et coeleſtis incolae regni; idque nomen ἐξόχως competit Seruatoris noſtri matri, B. V. MARIAE, patriarchis item, apoſtolis, et caeteris, de quorum eximia erga Deum fide, atque ſanctitate luculentum ſacrae litterae teſtimonium praebent; tum vero etiam illis, qui eo nomine in priſcis, iiſque fide dignis, eccleſiae chriſtianae monimentis celebrantur. In eccleſia Romana complures coluntur ſancti, qui, vel ex praeiudicata opinione, vel ex falſa vulgi perſuaſione, eo loco numeroque habentur. Sancti nimirum in Papatu ſunt, quos Romanus pontifex ſolemni, quae dicitur, canoniſatione, in diuorum numerum refert. Hique ideo canoniſati a pontificiis, ſummae ſcilicet Romani pontificis poteſtatis, et iudicii infallibilis imbutis opinione, pro vere et indubitato ſanctis agnoſcuntur, decretoque iis

per canoniſationem afficiuntur cultu. Praeter illos vero etiam in numeroſo illo, fereque infinito ſanctorum eccleſiae Romanae exercitu, quem illorum *catalogi*, *calendaria*, *actorumque* ſiſtunt *collectiones*, bene multi reperiuntur, quos, vt inter ipſos Romanenſes viri docti, IOH. LAVNOIVS, HADR. VALESIVS, IOH. MABILLONIVS, fatentur, turpis ignorantia, vulgiue ſuperſtitio confinxerunt. Ita, e. c. ex pictura allegorica, *S. Chriſtophorus*, (*) ex λόγχη, *lancea*, qua Chriſti latus in cruce perfoſſum eſt, *S. Longinus*, ex vera icone, *S. Veronica*, (**) ex Vndecimilla V. M. *vndecim millia virginum martyrum*, (***) ortum ſuum habent. Ita commentitii ſunt *SS. Caſpar*, *Melchior*, *Balthaſar*, Reges, *S. Catharina*, *S. Georgius*, draconicida, *ſeptem dormientes*, eiuſque generis plures; quos, chimaericorum ſanctorum titulo, vna cum non ſanctis, exſanctis, quaſi ſanctis, fuſe recenſet, notatque GISB. VOETIVS, *deſper. cauſae Papatus lib. II*, et *diſp. ſelect. part. III*, *p. 472. ſqq.* Huiuſmodi igitur ſanctos quam belle inuocent, cultuque religioſo proſequantur Romanenſes, cum facile intelligatur, non opus eſt, vt ediſſeramus.

De

(*) Vid. Apologia A. C. p. 136.

(**) IOH. MABILLON, *Muſei Ital. t. I*, *p. 88*, *ſq.*

(***) VALESIANA, *p. 49*, *ſq.* Conf. *Eadem*, *p. 36*, et MENAGIAN. *t. II*, *p. 298.*

De vere ſanctis theſis noſtra loquitur, hosque ipſos pariter, atque angelos inuocandos, alioue quouis cultu religioſo afficiendos eſſe, negat. Non quaeſtio eſt, num angeli, ſanctique ſint honorandi, morali videlicet reuerentia, laudatione, atque imitatione. Hunc enim deferendum iis eſſe honorem, in *Auguſtana Confeſſione*, eiusque *Apologia ll. cc.* diſerte affirmatur. Sed quaeritur, an illi vel vt interceſſores, deprecatoresque, vel vt opitulatores, et auxiliatores, invocandi, cultuque religioſo, interno, externoue, ſint proſequendi. Atque hoc illud eſt, quod negamus, conſentientes cum AVGVSTINO, qui, in *libro de vera religione*, *Opp. t. I, p. 587*, dicit: „ſancti honorandi ſunt propter imitationem, „non adorandi propter religionem."

Confirmatio.

Cultus religioſus omnis, cuius inuocatio fiducialis pars eſt, diuino niti debet mandato. Angelorum autem ſanctorumque inuocationis nullum neque praeceptum, neque promiſſum, neque exemplum ex Scripturis afferri poſſe, vere dicitur in *Apologia A. C. p. 225*, et *art. Smalc. p. 310*. Ex ipſis pontificiis doctoribus quidam, ſacrarum litterarum auctoritate illam deſtitui, fatentur, patresque Tridentini, *ſeſſ. XXV*, in eccleſiae tantum eam fundant vſu, confeſſione Patrum, Conciliorumque decretis. PROSPER

DE LAMBERTINIS, hodiernus pontifex Romanus, BENEDICTVS XIIII, in opere, quod edidit, *de ſeruorum Dei beatificatione, et beatorum canoniſatione, lib. I, p. 18*, non frequentem in Scriptura ſacra haberi, ait, ſanctorum inuocationis mentionem. Sed nulla prorſus demortuorum ſanctorum inuocationis in illa habetur mentio, et, quae a BELLARMINO, *l. c.* aliiſque afferuntur, teſtimonia et exempla ἀπροσδιόνυσα ſunt, et nullo ad illam ſpectant modo.

Neque vero ἄγραφος ſolum, ſed etiam ἀντίγραφος angelorum et ſanctorum adoratio eſt, inuocatioque. Repugnat enim illorum adoratio verbi diuini de Deo, eoque ſolo, colendo praeceptis, *Deut. VI, 13; X, 20; Matth. IV, 10; Luc. IV, 8;* ac proinde cultus eſt idololatricus. Vid. *Art. Smalc. p. 311.* Fruſtra pontificii diſtinguunt inter λατρείαν et δουλείαν, illam Deo, hanc angelis et ſanctis attribuentes, confictam vero etiam ὑπερδουλείαν B. V. Mariae adiudicantes. Nullo enim diſtinctio illa nititur fundamento, verbaque λατρεύειν et δουλεύειν de cultu Dei συνωνυμικῶς in ſacris litteris vſurpantur, vt ex *1 Theſſ. I, 9; Gal. IV, 8*, et caet. patet: τὸ δουλεύειν autem, vbi ad homines refertur, aeque ac τὸ προσκυνεῖν, cultum mere ciuilem notat. Ita ſpeciatim angelorum, ſanctorumque inuocatio diuinis repugnat mandatis, quibus Deum inuocare, et in eo ſolo fiduciam collocare, iubemur,

Pſalm.

Pſalm. L, 15; Ier. XVII, 5, etc. Cum maxime autem illa Chriſti, vnici mediatoris et interceſſoris noſtri, quem ſacrae litterae, *1 Tim II, 5; Rom. VIII, 34; Hebr. VII, 25; IX, 24; 1 Ioh II, 1*, praedicant, officio, honorique aduerſatur. Nequicquam aduerſarios inter mediatorem redemtionis et mediatores interceſſionis diſtinguere, hoſque ſanctos eſſe, dicere, *Apologia A. C. p. 225*, oſtendit, quia id ſine teſtimonio Scripturae ab ipſis dicitur, eoque ipſo officium Chriſti obſcuratur, et fiducia miſericordiae, Chriſto debita, in ſanctos tranſfertur. Cum Chriſtus conſtitutus ſit interceſſor et pontifex, ſecundariis non egemus interceſſoribus, inepteque a pontificiis huc refertur, quod in aulis regum more receptum eſt, vbi amicis vtendum eſt interceſſoribus. Vid. *Apologia p. 227*. Vere autem, et re ipſa pontificios ex ſanctis non tantum deprecatores, ſed etiam propitiatores, hoc eſt, redemtionis facere mediatores, in *Apologia* pluribus demonſtratur. Comprobant id preces eorum publicae, quae in *Breuiariis. Horariis, Miſſalibus, Marialibus, Proceſſionalibus*, ſimilibuſque continentur libris; quippe quas inter ſunt, quibus auxilium a ſanctis, per *merita* ipſorum, expetitur: eoque etiam pertinet, quod certae certis ſanctis aſſignatae ſint iuuandi virtutes.

Primaria haec ſunt, quibus theſis noſtra confirmatur, argumenta. Praeter ea vero

contra angelorum et ſanctorum in eccleſia Romana cultum atque inuocationem hae quoque militant rationes. Nempe ἄλογον, et inutile eſt, inuocare ſanctos, cum non ſint omnipraeſentes, omniſcii, omnipotentes, ac proinde neque preces, quae a tot tamque diuerſis hominibus, in tot tamque diſſitis locis, vno ſaepe eodemque tempore, ad ipſos fiunt, exaudire, neque opem ferre poſſint. Stolide ad id reſpondetur, preces a Deo ſanctis reuelari, vel in ſpeculo diuinitatis, quod ſcholaſtici confinxerunt, has ab illis cognoſci. Conf. *Apologia*, *p* 224. Eſt porro ſanctorum inuocatio eccleſiae primitiuae chriſtianae doctrinae praxique contraria. In Concilio quidem Tridentino, *ſeſſ. XXV*, ſanctorum inuocatio, vna cum reliquiarum eorum, et imaginum veneratione, a catholicae et apoſtolicae eccleſiae repetitur vſu, a primaeuis ſcilicet, vt additur, chriſtianae religionis temporibus recepto. At enimuero veterem eccleſiam chriſtianam a cultu iſto abhorruiſſe, certiſſimis documentis, Patrumque priorum ſeculorum teſtimoniis, a CHEMNITIO in primis, *exam. Conc. Trid. part. III, loc. IIII, ſect. 5, p* 865, *ſqq* et a IOH. DALLAEO, ſingulari, *de cultus religioſi obiecto, aduerſus Latinorum traditionem*, libro, Geneuae, a. MDCLXV, edito, collectis, conſtat. Breuiter vera inuocationis cultuſque ſanctorum origo, itemque progreſſus illius, in

Apo-

Apologia A. C., loco, ſupra *ſect. I, § 1*, adducto, indicantur. Conf. IOH. ANDR. QVENSTEDIVS, *antiquit. biblic. et eccleſ. cap. VI, p. 601. ſqq.*

Angelorum denique et ſanctorum in eccleſia Romana cultus ad gentium comparatus eſt idololatriam. Quemadmodum enim angelolatria Platonicorum de daemonibus, horumque cultu, placitis atque inſtitutis ortum debet: ita hagiolatria, et quoad canoniſationem, ad gentium conformatam ἀποθέωσιν, et quoad tutelas, praefecturas, patronatus, qui diuis aſſignantur, et quoad honores, quibus templa, ſimulacra, dies feſti, donaria, ſacrificia iiſdem dicari ſolent, omnique adeo modo, plane conuenit cum paganiſmo. Pluribus id oſtendunt, qui de rituum pontificiorum cum ethnicis conuenientia, generatim, ſpeciatimue, ſingularibus expoſuerunt ſcriptis.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Paucis nunc diſcutiamus rationes, quibus theſi noſtrae contrariam ſententiam probant Papiſtae. Etenim pro inuocatione, cultuque ſanctorum, qui apud eos dicto modo viget, acriter pugnant, hincque non ſolum grauiſſima, quibus ille conuellitur, argumenta, ineptis, vt ſupra oſtendimus, reſponſionibus eludere, ſed etiam ementitis rationibus eundem ſtabilire conantur. Arte vſi ſunt Patres Tridentini in eo, quod ſemel iterumque

iam allegauimus, *ſeſſ. XXV*, decreto. In eo nimirum fideles doceri iubentur: „bonum „atque vtile eſſe, ſanctos ſuppliciter inuoca„re, et ad eorum orationes, opem, auxilium„que confugere.“ Haec enim ita accipi poſſe videntur, vt non pro re neceſſaria ſanctorum inuocationem Tridentini haberi velint, ſed illam tantum, vtilitatis cauſa, ſuadeant; quo etiam modo BOSSVETVS, et alii quidam doctores pontificii, intelligenda ea eſſe, aiunt. Sed fallunt, et falluntur, qui ſic arbitrantur, ſiquidem in ſequentibus decreti verbis, illi, qui ſanctos inuocandos eſſe negant, tanquam impie ſentientes, damnantur. Et in *profeſſione fidei Tridentinae*, iure iurando confirmanda, haec iuraturo, quibus ad inuocationem et cultum ſanctorum adſtringitur, praeſcripta ſunt verba: „conſtanter teneo, ſanctos, vna cum Chriſto „regnantes, venerandos atque inuocandos „eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis of„ferre, atque eorum reliquias eſſe veneran„das:“ eaque veneratio ad ſacras etiam imagines inde refertur. Eſt haec omnino communis, perpetuoque vſu recepta, eccleſiae Romanae doctrina, ſanctos, quos inter B. Mariae Virgini princeps tribuitur locus, ſummuſque honor, inuocandos, adorandoſque, tum vero etiam illorum reliquiis et imaginibus religioſam exhibendam eſſe venerationem. Variae adeo in eccleſia Romana

ſpecies

ſpecies ſunt idololatriae: Mariolatria videlicet, angelolatria, hagiolatria, lipſanolatria, iconolatria: ad quarum numerum augendum ſtaurolatria, artolatria, papolatria accedunt.

Iam quod ad argumenta attinet, quibus angelorum, ſanctorumque ſpeciatim cultum et inuocationem doctores pontificii, praeſertim BELLARMINVS, *l. c. cap. XIII, p. 402, ſqq.* et *c. XIX, p. 412,* probant, ineptiſſima illa eſſe, nullo negotio oſtendi poteſt. Cultum rebus ſacris, angelis, ſanctiſque deferendum eſſe, probaturus BELLARMINVS, primum, *capite XII*, rationem eius exponit, et minorem quidem eo, qui Deo debetur, maiorem vero ciuili humanoque cultu illum eſſe, dicit, diſtinctionemque inter λατρείαν et δουλείαν huc affert. Quem ad modum autem diſtinctio iſta, eo, quo á pontificiis adhibetur, ſenſu, verbi δουλεύειν biblico, vt ſupra notauimus, vſui aduerſatur, id quod nec ipſe diffitetur BELLARMINVS, ſcholae Theologicae εὕρημα illud attribuens auctoritati, ita medium inter religioſum, qui ſoli Deo debetur, et prima decalogi tabula praecipitur, et ciuilem, de quo in altera tabula agitur, nullum Scriptura ſacra admittit cultum, honoremue. His deinde rationibus medium illum cultum ex ſacris litteris confirmat. Nempe quoad *res ſacras*, dictum, *Pſ. XCIX, 5;* quoad *angelos*, eorum, qui illos adoraſſe dicuntur,

Gen XIIX, 2; XIX, 1; Num XXII, 31; Ioſ. V, 14; et quoad *ſanctos*, hoſce adorantium, *1 Reg. XXIIX, 14, Dan. II, 46*, memorata adducit exempla. Tam belle ſcilicet ex eo, quod Iehoua להדום *ad ſcabellum* pedum eius, Deus, qui *ſanctus* eſt, adorari iubetur; ex eo, quod in V. T. quidam angelo increato cultum religioſum, ciuilem alii angelis creatis exhibuerunt; ex eo denique, quod Samuelem perſonatum, ſeu diabolum, Saul, Danielem Nabuchodonoſor adorarunt, rebus ſacris, angelis, *συνδούλοις* noſtris, religioſam repudiantibus *προσκύνησιν, Apoc. XIX, 20; XXII, 19*, ſanctiſque demortuis cultum, humano maiorem, deberi probat.

Eiuſdem generis, hoc eſt, abſona plane ſunt, quae, pro *inuocatione* angelorum et ſanctorum tuenda, BELLARMINVS affert argumenta. Angelum, quem Iacobus, *Gen. XLIIX. 16*, inuocauit, increatum, Filium videlicet Dei, fuiſſe, ex *Gen XXXI, 11, ſqq.* et *XXXII, 30*, liquet. Verba Eliphaſi, *Iob. V, 1*, ad ſanctos mortuos, eorumque inuocationem ſine omni referuntur ratione. Inepte itidem allegantur verba Moſis, *Exod XXXII, 13*, quibus Deum orat, vt propitius ſit populo ſuo, ob promiſſiones, Abrahamo, Iſaaco et Iacobo factas, cum nullo prorſus inde conſequatur modo, inuocari illos debuiſſe; id quod ipſorum etiam pontificiorum de ſanctis V. T. in limbo Patrum, ad Chriſti aſcen-

aſcenſionem vſque, detentis aduerſatur ὑπο-θέσει. Ab inuocatione viuentium, qua eorum preces expetuntur, cum ad religioſam ſanctorum mortuorum inuocationem, omni deſtitutam fundamento, nulla etiam valeat conſequentia, nequicquam argumentum hocce BELLARMINVS vrget, in *Apologia A. C. p. 223*, iam exploſum. Ad Conciliorum et Patrum teſtimonia fruſtra quoque idem ille prouocat. Ex Scriptura ſacra enim vnice diiudicanda eſt ſanctorum inuocatio; tum vero etiam in eccleſia chriſtiana, primis poſt C. N. ſeculis, illam ipſam ignotam plane fuiſſe, *Apologia l. c.* docet, idque viri ſupra laudati, CHEMNITIVS et DALLAEVS, vberius demonſtrarunt. Vltimum is argumentum petit ab infinitis miraculis, quibus ſancti ſaepiſſime declarauerint, ſe audire preces viuentium, et poſſe ac velle eos iuuare, a quibus inuocentur. Hoc nimirum praeſidio, quod in fictis collocatur miraculis, pontificia opus habet ſanctorum inuocatio. Caeterum quae de cultu et inuocatione ſanctorum breuiter, ſummatimque a nobis dicta ſunt, copioſius expoſuerunt, et eccleſiae Romanae idololatriam, ſingulaſque eius ſpecies, magno numero noſtrates theologi, ac Reformati, ſingularibus etiam libris, diſſertationibuſque, confutarunt.

CAPVT

THEOLOGIAE SYMBOLICAE
CAPVT XVII
DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

SECTIO I
HISTORICA

I

De miniſterio eccleſiaſtico, rebuſque ad pertinentibus, in compluribus agit articulis CONFESSIONIS AVGVSTINAE. Et *quintus* quidem illius *articulus*, i editionibus libri Concordiae, quarum pr cipuus hodie vſus eſt, huncce praefixum h bet titulum: *de miniſterio eccleſiaſtico*, v *Predigamte*. In illo ipſo vero articulo, q cum praecedente quarto arcto cohaeret n xu, de mediis, per quae fidem iuſtificant Deus in nobis efficit, praecipue agi, ſu *capite IIX de iuſtificatione*, *ſect. I*, *§ II*, oſt dimus. Ad miniſterium tamen eccleſiaſti cum eatenus is pertinet, quatenus, in his i mediis applicandis, illius ratio ex div conſiſtit ordinatione.

II

Ex *articulo* AVGVSTANAE CONFESSIONIS *octauo*, de quo inſtitutionum harum *capite XIV*, § *I*, egimus, ad hoc etiam caput quodam modo ſpectant ea, quae de malorum in eccleſia miniſterio obiter quaſi in eo traduntur, ſacramenta videlicet, et verbum, propter ordinationem et mandatum Chriſti, efficacia eſſe, etiamſi per malos exhibeantur; horumque adeo miniſterio vti licere.

III

In *quarto et decimo* AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo*, eccleſiae euangelicae de vocationis ad miniſterium eccleſiaſticum neceſſitate exhibetur doctrina. (*)

(*) *A. C. articulus XIIII*, ex initialibus eius verbis deſumto titulo, in Latina editione inſcriptus eſt: *de ordine eccleſiaſtico*, qua appellatione verbi et ſacramentorum miniſterium deſignari, ex *Apologia A. C. p. 201*, patet; in Germanica: *vom Kirchen-Regiment*, ad eccleſiae, quoad vocationem miniſtrorum, regimen habito reſpectu. Apologeticis annumerandus hic articulus perbreuis quidem eſt, et vnica, de legitimae videlicet ad miniſterium eccleſiaſticum obeundum vocationis neceſſitate, conſtat propoſitione; qua vero etiam cum ipſius miniſterii eccleſiaſtici neceſſitas, tum miniſtrorum eccleſiae officii ratio deſignantur. Ad vltima eius verba: *niſi rite vocatus*, MELANCHTHON, in confeſſione ſua variata, addidit: *Sicut et Paulus praecipit Tito, vt in ciuitatibus preſbyteros conſtituat*. Additionem hanc, a PHILIPPO, priuato auſu, factam, euangelicis perperam obuertit ANDR. FABRICIVS, in *harmonia A. C. p. 305*, indeque, Lutheranos legitimo deſtitui miniſterio eccleſiaſtico, ἀλόγως infert.

Docto-

Doctores pontificii, qui de Auguſtana Confeſſione in comitiis, Caeſaris iuſſu, ſententiam tulerunt, articulum hunc admiſerunt, ea lege; ſi per *rite vocatum* intelligatur is, „qui, ſecundum formam iuris, iuxta eccleſiaſticas ſanctiones atque decreta, vbique in orbe chriſtiano „hactenus obſeruata, vocatur, et caet." Ad hoc in APOLOGIA A. C. *ad h. a. p.* 204, reſpondetur, graues omnino eſſe cauſas, quare euangelicae eccleſiae miniſtri canonica, quae a pontificiis dicitur, et ſolis E. R. epiſcopis adiudicatur, ordinatione vti nequeant; nihilo minus tamen legitimam eorundem vocationem eſſe, demonſtratur.

IIII

Ex AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulis*, in quibus abuſus mutati recenſentur, ad hoc de miniſterio eccleſiaſtico caput referendus eſt *articulus ſecundus*, *de coniugio ſacerdotum*. (*)

(*) Inter abuſus, in eccleſiam ſub Papatu inuectos, haud poſtremum locum tenet ſanctio illa, qua clericis coniugio prorſus eſt interdictum, perpetuique coelibatus eccleſiae miniſtri adſtricti ſunt iugo. Pontificiam igitur ſanctionem iſtam, ſanae rationi, iuri diuino, et veteris eccleſiae praxi contrariam, abrogarunt, liberumque coniugii vſum miniſtris eccleſiae reſtituerunt euangelicae doctrinae inſtauratores. Iure meritoque id factum fuiſſe, in ſupra dicto, *de coniugio ſacerdotum*, articulo, indicatur. Publica, quae fuit, de incontinentia ſacerdotum praemittitur quaerela, et ipſius Romani pontificis, PII II, eam in rem dictum refertur. Rationes inde adducuntur, quare apud nos ſacerdotes, quo, vulgo tunc vſitato, nomine miniſtri eccleſiae appellantur, duxerint vxores, liciteque omnino matrimonium ab ipſis fuerit contractum. Primus, quod obiter notamus, ſacerdos maritus Lutheranus a I. H. FEVSTKINGIO, ſingulari

gulari ſcripto, celebratur BARTHOLOMAEVS BERNARDI, Praepoſitus Kembergenſis; quem vero in ducenda vxore praeceſſiſſe dicitur IAC. SEIDELERVS, plebanus Miſenenſis. Rationes, quibus coniugium clericorum defenditur, deſumtae ſunt, 1) ex *1 Cor. VII, 2, 9;* 2) ex *Matth. XIX, 12,* vbi Chriſtus, ad coelibatum non omnes idoneos eſſe, docet; 3) ex mandato et ordinatione Dei, nulla lege humana, nulloue tollenda voto; 4) a veteris eccleſiae praxi, *1 Tim. III, 2;* 5) a perpetui clericorum coelibatus ſanctionis nouitate, iniquitate, maximiſque ab ea naſcentibus malis. Graues de Romanenſium aduerſus coniugium ſacerdotum ſaeuitia anneċtuntur querelae, et, quae ad prohibitionem illius, ab apoſtolo, *1 Tim. IIII, 3,* *doctrinae daemoniorum* nomine notatam, defendendam iidem afferunt, argumenta refelluntur. In Confeſſione variata, MELANCHTHON quintum articulo huic dedit locum, eundemque, non quidem quoad rem, quoad verba vero, immutauit.

Cenſores pontificii, in confutatione ſua, moleſte ferunt, coelibatum cleri a confeſſoribus noſtris *abuſum* vocari, „cum e conuerſo, vt aiunt, violatio coelibatus, „et illicitus ad coniugium tranſitus, in ſacerdotibus potius abuſus dici mereatur.“ Prolixa inde tractatione, ſacerdotum coelibatum, variis coaceruatis ratiunculis, aſſerere, et argumenta, quibus miniſtrorum eccleſiae coniugium a confeſſoribus noſtris comprobatur, ac prohibitio illius impugnatur, elidere, laborant. Indigniſſimis modis ANDR. FABRICIVS, IO. a DAVENTRIA, IO. COCHLAEVS, et huius furfuris alii, articulum hunc infeſtant. Manifeſto, vt BELLARMINI ſtilo vtar, mendacio, hanc illi tribuunt ſententiam, miniſtrum eccleſiae, etiamſi continentiae gaudeat dono, oportere eſſe vxoratum, cum diſertis id negetur verbis, in *Apologia ad h. a.* p. *240.* Summa diuinam coniugii inſtitutionem, ordinationemque iniuria afficiunt, vbi verba, quibus, *Deus creaſſe,* dicitur, *hominem ad procreationem, Gen. I, 28,* a Confeſſionis articulo allegata, id nobis ſignificare, aiunt:

aiunt: hominem creatum eſſe Epicuri de grege porcum: natumque ad hoc, et creatum, vt carni potius, quam ſpiritui inſeruiat. Exagitant iidem id, quod noſtri ſcripſerunt: *in eccleſiis aliquando defuturos paſtores, ſi diutius prohibeatur coniugium.* Cum de caſtis, piiſque paſtoribus verba haec accipienda ſint, ſycophantiam illorum, ex ipſis pontificiis cordatiores repreſſerunt, clariſſimaque eam in ſententiam GE. CASSANDRI, *in conſult. art.* 23, verba adducit CARPZOVIVS, in *Iſagoge in libros ſymbolicos*, *p.* 624, *ſq.* à quo aduerſariorum contra hunc articulum obiecta omnia ſolide diluuntur.

Confutationis ſupra dictae auctoribus abunde ſatiſfactum eſt in APOLOGIA A. C. *ad h. a. c. XI, p.* 336, *ſqq.* Etenim, expoſita iudicii eorum iniquitate, praemiſſoque ad Caeſarem alloquio, primo rationes, pro coniugio clericorum in confeſſione allatae, repetuntur, declarantur, et a cauillationibus aduerſariorum vindicantur, indeque horum, quibus ſacerdotum coelibatum adſtruere conantur, argumenta confutantur.

V

Ex iiſdem articulis *ſeptimus*, qui *de poteſtate eccleſiaſtica* agit, *articulus* ad hoc etiam pertinet caput. (*)

(*) Articulum hunc in quinto et decimo quidem iam produximus capite; ſed ea tantum, quae de arrogata ſibi ab epiſcopis leges *rituales*, ſeruatu ad ſalutem neceſſarias, ferendi poteſtate in illo dicuntur, conſiderauimus, et, quod in eodem occurrit, de *die dominico*, ritualibus annumerato traditionibus, ἀνανάγκτον expendimus. In hoc vero de miniſterio eccleſiaſtico capite is ipſe locum ſibi cum maxime vindicat; ſiquidem in eo diſcrimen, quod inter *eccleſiaſticam* et *politicam poteſtatem* intercedit, explicatur, oſtenditurque, epiſcopis, iure diuino, non aliam, quam quae praedicatione verbi diuini, ſacramentorum adminiſtratione, et clauibus exercetur, quaeque omnibus

commu-

communis eſt eccleſiae miniſtris, competere poteſtatem, politicam vero Romanorum epiſcoporum poteſtatem *humano* tantum niti iure, magnisque cum abuſibus eſſe coniunctam.

Quas articulus hic aduerſariorum excitauerit vociferationes, et quam inanem in eo impugnando pontificiae confutationis auctores inſumſerint operam, in *Apologia A. C. p. 292, ſqq.* indicatur, vberiorque eiuſdem additur declaratio.

VI

ARTICVLORVM SMALCALDICORVM *parte tertia* ſequentes continentur articuli, hactenus memoratis adiungendi, *ſeptimus* videlicet, *de clauibus*, et *nonus*, *de excommunicatione*, in quibus miniſtrorum eccleſiae quoad haec officium et poteſtas breuiter enarrantur, itemque *decimus*, qui *de initiatione, ordine, et vocatione*, inſcribitur, (*) et *vndecimus*, *de coniugio ſacerdotum*. (**) Addenda quoque iiſdem eſt *altera tractatus*, a PHILIPPO ſcripti, qui ſub finem articulorum Smalcaldicorum extat, *pars. de poteſtate et juriſdictione epiſcoporum, p. 351, ſqq.* (***)

(*) In hoc articulo LVTHERVS cauſas exponit, quare miniſtri euangelici ab epiſcopis Romanis ordinari nequeant, confirmarique. Caritatis quidem et tranquillitatis nomine, non ex neceſſitate, concionatorum noſtrorum ordinationem et confirmationem epiſcopis permitti poſſe, ait, ea tamen conditione, vt inutiles ineptaſque caerimonias omittant. Has vero maxime ob cauſas id fieri non poſſe, docet, quia epiſcopi non ſolum officio ſuo minus recte funguntur, debitamque eccleſiae et euangelii curam haud gerunt, ſed etiam veros eccleſiae

miniſtros perſequuntur, et condemnant. Quandoquidem igitur in eccleſia euangelica a miniſtris eius ordinatio peragi ſolet, hanc ipſam pro vera habendam eſſe, priſcis eccleſiae et patrum exemplis, etc. confirmat. Conf. CARPZOV. in *iſag. p. 873.*

(**) Ad comprobandum ea, quae aduerſus pontificiam coniugii ſacerdotum prohibitionem in *Aug. Conf. art. II de abuſ.* et in *Apologia*, dicta ſunt, vndecimus hic comparatus eſt articulus, in quo LVTHERVS, prohibitionem eam iuri diuino poſitiuo et naturali aduerſari, multorum horrendorum et abominandorum peccatorum cauſam, ac daemoniacam doctrinam eſſe, breuiter ac neruoſe oſtendit.

(***) In tractatus, articulis Smalcaldicis ſubiuncti, parte altera, quae eſt *de poteſtate et iuriſdictione epiſcoporum*, primo docetur, poteſtatem cum ordinis, tum iuriſdictionis, (qua poteſtatis eccleſiaſticae partitione conſimiliter vtitur *Apologia A. C. p. 294.*) *iure diuino* communem eſſe omnibus, qui praeſunt eccleſiis, ſiue vocentur paſtores, ſiue presbyteri, ſiue epiſcopi: indeque gradus epiſcopi, et presbyteri ſeu paſtoris, *humana auctoritate* diſtinctos, et eadem illa inſtitutum eſſe, oſtenditur, vt vnus epiſcopus eccleſiarum ordinaret miniſtros. Hinc ex eo, quod iure diuino non diuerſi ſint gradus epiſcopi et paſtoris, *ordinationem*, a paſtore in eccleſia ſua factam iure diuino ratam eſſe, et, cum ab epiſcopis peti, obtineriue nequeat ordinatio, eccleſiam ius ſuum vocandi ordinandique miniſtros retinere, infertur. Ius illud eccleſiae re vera competere, firmis rationibus demonſtratur. Ad ipſam quod attinet ordinationem, hanc in veteri eccleſia nihil aliud fuiſſe, quam electi miniſtri, per impoſitionem manuum, confirmationem, poſtea vero varias ad eam acceſſiſſe caerimonias, a *Pſeudo-Dionyſio* et *Pſeudo-Clemente* deſcriptas, recentioresque alia addidiſſe, indicatur. Quam inique Romanenſes epiſcopi cum eam, quae miniſtris eccleſiae communis eſt, tum eam, quae ad magiſtratum pertinet, ad ſe rapuerint iuriſdictionem, et quam turpiter vtraque abuſi fuerint, in vltima tractatus

expo

exponitur parte, grauesque in fine afferuntur cauſae, quare pro epiſcopis illi ipſi ab eccleſiis euangelicis nequeant haberi.

Corrigendum eſt, quod in plerisque editionibus, *p. 352*, occurrit mendum typographicum, et pro *Eſdram* legendum: *Heraclam*. Vid. C. REINECCIVS, in *Concordiae Germ. Lat. editione, p. 545*. Verba, quibus *p. 353. in caſu neceſſitatis laicum etiam abſoluere*, dicitur, ad δυσνόητα multi referunt, nec vno omnes illa explicant modo. Vid. E. F. NEVBAVER, *part. XIII, des Heſſiſchen Hebopfers, p. 250*. AVG. PFEIFFERVS, *informatorii conſc. eucharistici, part. IV, qu. 10*, non de abſolutione ſtricte dicta, δικαστικῇ, ſacerdotali, ſed de abſolutione σημαντικῇ, in conſolatione ex verbo Dei, et promiſſionum diuinarum ad tentatum applicatione quae conſiſtit, verba haec accipienda eſſe, cenſet. Addo, illa ipſa non θετικῶς, ſed hiſtorice, et κατ' ἄνθρωπον, proferri.

VII

Clericis cum in eccleſia Romana proximi ſint *monachi*, in fine capitis huius enarrare, placet, quae de rebus, ad illos pertinentibus, in libris noſtris ſymbolicis traduntur. Ex inſtituto nimirum de ſtatu in Papatu monaſtico, eiuſque votis, agitur in *Auguſtanae Confeſſionis de mutatis abuſibus articulo ſexto* (*) *Apologiae c. XIII*, (**) *Articulorum Smalcaldicorum partis ſecundae articulo III*, (***) et *partis tertiae articulo XIIII*. (****).

(*) In hoc A. C. articulo, qui titulum habet *de votis monachorum*, quemque PHILIPPVS, repetito ſtudio, teſte epiſtola eius ad LVTHERVM, in D. CHYTRAEI *hiſtoria A. C. p. 33*, curatius elaborauit, et Latino conſcripſit ſermone, primo indicatur, monaſteria a priſtino degeneraſſe

 inſti-

inſtituto; votis, aliisque obſeruationibus, iniquiſſimo modo, irretitam fuiſſe monaſticam viuendi rationem; inanemque acceſſiſſe perſuaſionem, facere hoc vitae genus ad promerendam gratiam et iuſtitiam, ſtatum eſſe perfectionis, et longe praeferendum omnibus aliis vitae generibus, a Deo ordinatis. Votum inde monaſticum de non contrahendo matrimonio ſpeciatim expenditur; idque ordinationi et mandato Dei, quo matrimonium omnes, quotquot non ſunt idonei ad coelibatum, contrahere iubentur, aduerſari, tum vero etiam naturae votorum, quae in re poſſibili, et voluntaria eſſe, ſponteque et conſulto concipi debent, illud ipſum repugnare; ac proinde nullam voti huius, vel ipſo etiam iure canonico eſſe obligationem, nec coniugia, obſtante voto contracta diſſolui debere, demonſtratur. Poſt ea grauiſſimis rationibus impiae, in votis monaſticis haerentes, opiniones quod iuſtificent, quod ſint perfectio chriſtiana, quod ſeruent conſilia et praecepta, quod habeant opera ſupererogationis, refelluntur.

Articulum hunc maximopere improbarunt pontificiae confutationis auctores. Votorum monaſticorum, quae in ſacris litteris extare putant, initio referunt teſtimonia et fundamenta; hinc omnia, quae in hoc articulo contra monaſticen producta ſunt, reiicienda eſſe, dicunt, ſigillatimque ea percenſent, et falſitatis accuſant. Veſtigia eorum inſtiterunt ANDR. FABRICIVS, et caeteri, quorum is iudicia in ſua *A C. harmonia* adducit, BELLARMINVS item, et alii. Obiecta ab his diluit, et verisſima eſſe omnia, contra vota, ſtatumque monaſticum in hoc articulo dicta, firmis comprobat argumentis, documentiſque, b. CARPZOVIVS, in *iſagoge, p. 706. ſqq.*

(**) Ampliſſimae articuli de votis monaſticis vindiciae in Apologia A. C. *c. XIII, p. 276, ſqq.* exhibentur, ubique aduerſariorum cauillationes pariter, atque ea quae ad muniendam cauſam ſuam illi attulerunt, exploduntur. Grauiter in pontificiae confutationis architectos inuehitur Apologia, et ſummae illos malitiae atque impu-

imprudentiae arguit, quod omnia, quae in articulo dicto continentur, quaeque ipſius Scripturae ſacrae nituntur fundamento, reiicienda eſſe, pronunciauerint. Eo maxime refertur, quod, afflictae votorum monaſticorum obſeruationi, cultus meritorii opinioni oppoſitam, ſacrarum litterarum, de gratuita propter meritum Chriſti iuſtificatione, et ſaluatione, doctrinam reiecerint, diſertiſque profeſſi fuerint verbis: *monaſticam vitam mereri vitam aeternam, et quidem multo ampliorem.* Quae praeter ea votorum monaſticorum obſeruationi adſcribuntur, falſiſſima itidem eſſe, et verbo Dei aperte aduerſari, pluribus oſtenditur, tum vero etiam, quae ad ἐθελοθρησκείας huius rationem pertinent, omnia expenduntur, vitaeque monaſticae hypocriſis acriter notatur. Cum B. LVTHERVS ſingulari libro *de votis monaſticis*, ſub finem anni MDXXI ſcripto, totam hanc cauſam diligenter et copioſe pertractauerit, Apologia illum ipſum hic pro repetito vult haberi, *p.* 278.

Quae in Apologia ſub initium memoratur, IOHANNIS HILTENI, in oppido, Iſenaco, monachi Franciſcani, de imminente regni monachorum inclinatione praedictio, commodum hic locum inuenit. Rem narrat PHILIPPVS, cuius certiſſimam ipſe notitiam habebat, praedictionem autem HILTENI nequaquam pro vaticinio venditat, immediato inſtinctu afflatuque Dei prolato. Vid. *Relat. innoc. de rebus theol. ad a.* 1718, *p.* 664, *ſqq.* Exegeticum lapſum in hoc Apologiae capite, *p.* 283, occurrere quidam putant, vbi nimirum, Deum ne ſuae „quidem legi hunc honorem tribuere, quod mereatur „vitam aeternam, probatur dicto *Ezech. c. XX,* 25: *Ego „dedi eis praecepta non bona, et iudicia, in quibus non „viuent.*" Diuerſae vtique de hoc dicto interpretum ſunt ſententiae, et nonnulli חקים לא טובים de legibus, inſtitutiſque gentium, quibus, iuſto Dei iudicio, traditi fuerint Iſraelitae; quidam de poenis diuinis, in tranſgreſſores legis decretis atque promulgatis, exponunt. Sunt tamen, vt alias aliorum taceam interpretationes,

 qui

qui de lege diuina, vel *morali*, prout ea, non ratione ſui, ſed ratione accidentalis euentus ſpectatur, vel *caerimoniali*, dicti huius verba accipienda eſſe, arbitrantur. Atque hoc modo vere id ipſum ad probandum id, quod probare debet, in Apologia affertur. Id clariſſime patet, in eo excitando Vulgatam PHILIPPVM ſecutum fuiſſe verſionem: vnde adeo per συγκατάβασιν id eum feciſſe, et κατ' ἄνθρωπον dictum illud adduxiſſe, exiſtimari poteſt.

(***) De *collegiis canonicorum, et monaſteriis*, b. LVTHERVS ſententiam ſuam, hoc articulo, exponit, et ſeruanda ea eſſe, ſi quidem in eum, ad quem olim optima maiorum fundata ſunt intentione, iterum conuerterentur vſum, nempe vt in illis formarentur, qui ad miniſterii eccleſiaſtici, et officiorum politicorum adminiſtrationem idonei eſſent, ac pie educarentur virgines; hunc autem ſi non retineant vſum, et non inanibus ſolum, ſed impiis etiam, vt in Papatu, inſeruiant cultibus, prorſus illa abroganda eſſe, docet.

(****) In hoc articulo LVTHERVS breuiter, ſummatimque rationes adducit, quare *vota monaſtica* omni improbanda modo, ac proinde plane ſint reiicienda.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA

THESIS I

Miniſterium eccleſiaſticum eſt neceſſarium.

Vid. *Aug. Conf. art. V, et XIV.*

Expo-

Expoſitio, et confirmatio.

Miniſterii eccleſiaſtici nomine, in eccleſia publice docentium deſignatur ordo; ipſumque etiam, quo in hoc ordine conſtituti funguntur, munus *διακονίας*, *miniſterii*, vocabulo in ſacris litteris ſignificatur. Hac videlicet notione διακονία occurrit: *Act. I*, 17, 25; *VI*, 4; *XX*, 24; *Rom. XI*, 13; 1 *Tim. I*, 12. Synonymicae appellationes ſunt: ἐπισκοπὴ, 1 *Tim. III*, 1; οἰκονομία, 1 *Cor. IX*, 17, et caet. Officii ratio potiſſimum haec eſt: verbum Dei praedicare, adminiſtrare ſacramenta, remittere et retinere peccata. Iam, neceſſe omnino eſſe, vt in eccleſia ordo ſit eorum, qui muneris huius obeant partes, miniſteriique adeo eccleſiaſtici neceſſitas, his maxime confirmatur argumentis. Primum deſumitur a diuina illius conſtitutione. In eccleſia V. T. ordinem ſacrum ab ipſo Deo inſtitutum fuiſſe, ſatis conſtat. Ad eum vero non ſolum pertinebat, res, ad cultum Leuiticum ſpectantes, curare, ſed etiam a ſacerdotibus verbi diuini tradenda erat doctrina, vt patet ex *Deut. XVII*, 8, *ſqq. Malach. II*, 7. In Nouo Teſtamento praecipua ratione miniſterium eccleſiaſticum auctorem habet Deum, ſiquidem ſanctiſſimus Saluator noſter id ipſum, quoad omnes officii partes, αὐτοπροσώπως inſtituit, ordinauitque. Vid. *Matth. XXIIX*, 19; *Marc. XVI*, 15; *Ioh. XX*, 21; *Eph. IV*, 11. Conf.

Matth. IX, 38; Act. XX, 28. Alterum, quo miniſterii eccleſiaſtici neceſſitatis praecipue nititur, fundamentum in *Aug. Conf. articulo V* indicatur. Eſt id ipſius eccleſiae collectio, conſeruatioque. Nam cum per verbum et ſacramenta fides hominibus conferatur, collataque confirmetur et augeatur, neceſſario in eccleſia requiritur miniſterium praedicandi verbum Dei, et adminiſtrandi ſacramenta. Vid. *Rom. X, 14.*

Ἀντιθέσεως confutatio.

Miniſterii eccleſiaſtici neceſſitatem negant, qui immediatas ſomniant reuelationes, *enthuſiaſtae, anabaptiſtae, Schwenckfeldiani*, in *Apologia A. C. p. 202*, et in *Formula Conc. p. 828*, notati; *Weigeliani* item, et fanatici omnes. Nec longe ab his abſunt *Quackeri*, vt ex ROB. BARCLAII *apologia theologiae vere chriſtianae, p. 171, ſqq.* cognoſci poteſt. Abutuntur illi dictis quibuſdam Scripturae ſacrae: *Ieſa. LIV, 13; Ierem. XXXI, 34; 1 Ioh II, 27.* In priore loco *a Deo docti* quidem dicuntur N. T. fideles; nequaquam vero, quod illi volunt, immediata eis tribuitur θεοδιδασκαλία, ſed quae per verbum praedicatum acquiritur. Clariſſime id ſignificatur *1 Theſſ. IV, 9, coll. cum 1 Theſſ. II, 13; IV, 1.* In altero IEREMIAE oraculo, illuſtriorem quidem in N. T. θεογνωσίαν fore, difficilemque illum, qui in V. T. locum habuit, docendi

cendi modum ceſſaturum eſſe, affirmatur: perperam autem inde, miniſterium eccleſiaſticum in N. T. haud neceſſarium eſſe, infertur. Vtrumque dictum ab aduerſariorum ψευδερμηνεία, duabus *de fidelibus N. T.* θεοδιδάκτοις diſſertationibus Lipſiae, a. 1744 et 1746, editis, vindicauit b. D. GOTTH. EHRENFR. LECHLA. Ad tertium quod attinet locum, IOHANNES nequaquam immediatum Spiritus S. fidelibus attribuit afflatum, ſed, vt ex contextu apparet, hoc ſignificat, Spiritum S., in cordibus eorum per fidem habitantem, de coeleſtis doctrinae, verbi miniſterio ipſis traditae, veritate animos eorundem ita conuincere, vt firmiter illi adhaereſcant, nec per τὰ πνεύματα τῆς πλάνης ab ea dimoueri ſe patiantur.

THESIS II

Ad miniſterium eccleſiaſticum obeundum legitima opus eſt vocatione.

Vid. *Aug. Conf. art. XIV.*

Expoſitio.

In citato Aug. Conf. articulo theſis haec hiſce proponitur verbis: „nemo debet in „eccleſia publice docere, aut ſacramenta ad„miniſtrare, niſi rite vocatus.“ Praecipuae, in-

in quibus miniſtrorum eccleſiae officium conſiſtit, nominantur partes, publica videlicet verbi diuini doctrina, et ſacramentorum adminiſtratio, quibus ſubordinata eſt clauium poteſtas, hiſque adeo ipſum miniſterium ecclesiaſticum deſignatur; tum vero ad id obeundum vocationem, eamque legitimam, neceſſariam eſſe, emphaticis ſignificatur verbis. *Vocatio* ad miniſterium ſacrum diſtingui ſolet in *immediatam* et *mediatam*. Illa locum habuit in eccleſia V. T., in qua prophetae a Deo immediate ſunt vocati, itemque in primordiis eccleſiae N. T. ipſo in his terris agente Chriſto; prorſus autem deſiit, poſteaquam ille in coelos aſcendit. *Mediata*, ſeu ordinaria vocatio eſt, qua per illos, quibus ea competit poteſtas, ad miniſterium eccleſiaſticum, idonei qui ſunt, vocantur: haecque nihilo minus pro *diuina* eſt habenda, ſiquidem, ex voluntate Dei facta, ad ipſum refertur auctorem, *Act. XX*, *28*; *Eph. IV*, *11*, *ſq.* ſalutaribuſque eius gaudet promiſſis, *1 Tim. IV*, *16*; *1 Cor. III*, *6*. *ſq.* et caet. *Legitima* dicitur vocatio, quae fit ab iis, qui iure vocandi gaudent, (hi vero quinam ſint, ſingulari exponemus theſi,) quaeque debito peragitur modo. Eſt vero vocatio *neceſſaria*, non tam ordinis ac decori, quam diuini neceſſitate mandati.

Confir-

Confirmatio.

Ex compluribus, quibus vocationis ad miniſterium eccleſiaſticum neceſſitas probari ſolet, ſacrarum litterarum dictis, vel vnum adduxiſſe, ſufficiat, locum *Rom. X, 15*, in quo apoſtolus, ad praedicationem euangelii, in qua miniſtrorum eccleſiae officium πρώτως conſiſtit, *miſſionem* requiri docet, ita vt ſine illa nemo poſſit, debeatue publice docere. Fruſtra excipiunt Sociniani, de ſuo apoſtolum loqui tempore, quo ſcilicet ad euangelii doctrinam, tanquam nouam, praedicandam, opus fuerit miſſione. Enimuero non ſolum ex falſa illi hypotheſi ſua *nouam* dicunt apoſtolorum doctrinam, eoque verbum κηρύσσειν abſone trahunt, ſed etiam, quod ad omne eccleſiae Chriſti pertinet tempus, ad primordia illius perperam reſtringunt. Eum vtique in modum, quo ea, quae, *commate 14*, dicuntur, id eſt, γενικῶς, intelligenda ſunt apoſtoli verba, *v. 15:* et ſicuti inuocatio fidem, fides auditum, auditus praedicationem ſemper requirit; ita etiam miſſio, ſeu vocatio ſemper requiritur ad praedicationem. Vocationis neceſſitas cum exemplis eorum, qui publicum docendi munus in eccleſia geſſerunt, quique omnes diuinitus ad id vocati ſunt, tum ipſius miniſterii eccleſiaſtici comprobatur conditione. Nempe miniſtri eccleſiae ſunt legati Dei, *2 Cor. V, 20;*

V, 20; *Eph. VI*, 20, ſerui Chriſti, et oeconomi myſteriorum diuinorum, *1 Cor. IV*, 1. Ad vtrumque autem diuina opus eſt miſſione, atque conſtitutione.

Αντιθέσεως *confutatio.*

Miniſterii eccleſiaſtici hoſtes, praecedente notati theſi, vocationem ad id eodem infeſtant furore. Vocationis neceſſitatem etiam negant *Sociniani*. Ita enim, in *catecheſi Racouienſi*, *edit. recogn. p* 183, ad quaeſtionem: „nonne ii, qui docent in eccleſia, etc. „vt ab aliis mittantur, opus habent?“ reſpondetur: „Non habent.“ *Arminiani*, neceſſariam quidem in eccleſiis conſtitutis vocationem eſſe, aiunt, ſed ſolummodo ordinis et decori cauſa. Vid. PHIL. A LIMBORCH, *theol. chriſt. lib. VII*, *c* 4, *p*. 763. Inter alios, quos IOH. MERCKERVS, Eſſendienſis paſtor, profeſſus eſt, errores is etiam fuit, publico in eccleſia docendi officio quemuis, ad id idoneum, ſine vocatione fungi poſſe, ac debere. Videamus nunc, quibus rationibus vocationis ad miniſterium eccleſiaſticum neceſſitatem aduerſarii impugnent. *Catechiſmus Racouienſis* hoc vtitur argumento: Apoſtolum, diſerte omnia, quae ad munus doctoris eccleſiae pertinent, deſcribentem, nullam vocationis facere mentionem. Minime autem gentium apoſtolica virtutum miniſtri eccleſiae deſcriptio vocationis aduerſa-

aderſatur neceſſitati, quin potius hancce confirmat. Eum nimirum in finem deſcriptionem illam apoſtolus proponit, vt TIMOTHEVS et TITVS cognoſcant, quales conſtituendi, vocandiue ſint eccleſiae miniſtri. Vocatio, praemiſſis virtutum deſcriptioni verbis, *1 Tim. III, 1; Tit. I, 5*, deſignatur. Ex eo, quod bona opera, omnibus videlicet chriſtianis quae ſunt communia, ſine ſpeciali vocatione peragi poſſunt, ac debent, perperam infertur, ad publicum docendi in eccleſia officium, certo ordini quod eſt proprium, peculiari non opus eſſe vocatione. Eadem ratio eſt conſequentiae, quae a ſpirituali chriſtianorum ſacerdotio ad eccleſiaſticum ducitur miniſterium. Ad exempla eorum, qui, non vocati, euangelium praedicauerint, ab aduerſariis nequicquam prouocatur, cum, publico docendi officio ſine vocatione functos eos fuiſſe, nequeat probari.

THESIS III

Miniſtros eccleſiae vocandi ius eccleſiae competit, atque poteſtas.

Vid. *tractatus, articulis Smalcald. ſubiunctus, p. 353.*

Expoſitio, et confirmatio.

Ius vocandi, eligendi, et ordinandi miniſtros: (VT PHILIPPI, in tractatu citato, vtamur

mur verbis,) donum eſt proprie datum eccleſiae, quod nulla humana auctoritas eccleſiae eripere poteſt. Ius adeo illud ſuum eccleſia ſemper retinet, ac licet diſtinguendum ſit inter ius ipſum, et iuris *exercitium*, hoc tamen ad cuiuſuis eccleſiae particularis placitum, vel conſuetudinem eſt accommodatum. Vocationem, ſpeciatim ſic dictam, qua miniſtri eccleſiae officium alicui defertur, cum nonnulli vel immediate praecedant, vel ſubſequantur actus, tres, qui eccleſiam conſtituunt, ordines, ſtatuſue, ſuo ad illos concurrunt modo, tum vero ſummus magiſtratus curat, vt rite cuncta peragantur. Miniſtros eccleſiae eligendi, vocandique poteſtatem penes totam eſſe eccleſiam, tribus conſtantem ordinibus, preſbyterio, magiſtratu, populo, probatur ex *clauibus regni coelorum*, quibus omnis poteſtas eccleſiaſtica ſignificatur, PETRO, *eccleſiae* perſonam gerenti, a Chriſto traditis, *Matth. XVI*, 19. Vid. AVGVSTINVS, *tr. CXXIIII in* IOH. *Opp. t. III, p. 599*, vbi, Chriſtum, *l. c*, eccleſiae, vt dominae et ſponſae, claues regni coelorum, ſeu ligandi ſoluendique poteſtatem, omnino tradidiſſe, demonſtrat. Conf. *Matth. XVIII*, 17, *ſq*. Compluribus inde rationibus, a *probatione doctorum*, fidelibus omnibus, *Matth. VII*, 15; *Ioh. X*, 5; 1 *Ioh. IV*, 1, mandata, ab eo, quod paſtores *miniſtri* ſunt eccleſiae, 1 *Cor. III*, 21, *ſq. Col. I*, 25. et a communi maxime

neceſ-

neceſſitate deſumtis, conficitur, paſtorum electionem ad cuncta eccleſiae pertinere membra, cum ex re omnium ſit, vt idonei, pii et orthodoxi conſtituantur paſtores. Accedit, apoſtolica aetate, miniſtros cum conſenſu eccleſiae fuiſſe electos, vt patet ex *Act. I, 23; VI, 3; XIV, 23,* et caet. eandemque conſuetudinem in eccleſia primitiua aliquot ſeculis obtinuiſſe. Vid. MART. CHEMNITIVS, *exam. Conc Trid part. II, p. 587,* et IOH. GERHARDVS. *de miniſterio eccl. c. III, § 87, ſqq.* et *Conf. cathol. l. II, p. II, art. VI, cap. I, p. 796, ſqq.*

Αντιθέσεως *confutatio.*

Pontificii ſolis epiſcopis miniſtros eccleſiae eligendi, vocandique ius adiudicant atque poteſtatem, et magiſtratum ac populum ab hoc iure prorſus excludunt. Hinc contraria euangelicorum ſententia, quae vero a Romanenſibus perperam ita refertur, ac ſi per eam preſbyterio nullae in vocatione miniſtrorum relinquantur partes, in *Concil. Trid. ſeſſ. XXIII, cap. IV,* et *can. VII,* reiicitur, atque damnatur. Electionem miniſtrorum populo non conuenire, BELLARMINVS, *de clericis, cap. VII, controuerſ. tom. II, p. 145, ſqq.* more ſuo, id eſt, inanibus plane probat argumentis. *Primo* ἀπροσδιόνυσον eſt exemplum *Aaronis,* quem a ſolo Moyſe electum dicit in pontificem, ſine vllo vel conſenſu, vel conſilio multitudinis. Nam Aaron expreſſo Dei man-

mandato, immediataque adeo vocatione diuina, pontifex conſtitutus, et a populi Iſraelitici duce, Moſe, inauguratus eſt. Nequaquam igitur miniſtrorum eccleſiae vocationem ad vocationis Aaronis, immediatae videlicet, *modum* comparatam eſſe debere, dicto *Hebr. V, 4*, ſignificatur. Ita vero etiam, *ſecundo*, nequicquam apoſtolorum, immediate a Chriſto vocatorum, adducitur exemplum. *Tertium* argumentum BELLARMINVS ex iure diuino, tum naturali, tum ſcripto deducit. Nempe, iure diuino ſcripto, epiſcopos populi *paſtores*, populos *oues* eſſe, ait; rationem autem naturalem apertiſſime docere, addit, ouibus non conuenire, vt eligant paſtores. Irrationalis ratiocinatio! Auditores ouibus aſſimilantur: ergo cum ouibus, proprie ſic dictis, quoad omnia conueniunt. Perperam ſimile vltra tertium extenditur comparationis. Comparationis ratio egregie exponitur, *Ioh. X, 27, ſq.* *Oues Chriſti* ſunt oues λογικαὶ, ipſiſque, vt ſupra oſtendimus, cum maxime competit, vt in electione paſtorum ſuo fungantur officio. *Quarto*, ſententiam ille ſuam probat exemplo apoſtolorum, qui epiſcopos paſſim elegerint ſine vllo ſuffragio multitudinis, idque vel ex eo conſtare, dicit, quod epiſcopos, a ſe creatos, miſerint ad populos abſentes, et infideles. Sed, licet conſenſus eccleſiae diſerta non fiat mentio, propterea tamen illum de

fuiſſe,

fuiſſe, negari nequit. Deinde συναπόστολοι et euangeliſtae, quos apoſtoli ad eccleſias mittebant, vt certa officia exequerentur, ab ordinariis eccleſiae miniſtris ſunt diſtinguendi. *Quinto*, et *ſexto*, Conciliorum quorundam et Patrum pro ſententia ſua affert dicta. Longe plura autem in contrariam ſententiam teſtimonia extant. *Septimum* et vltimum argumentum ab *incommodis* deſumit, popularem conſequentibus electionem, haecque inde repetit, quod populares imperiti ſint, nec iudicare poſſint, an aliquis idoneus ſit ſacerdotio, nec ne. Sed gratis hoc miniſtrorum, in eccleſiis euangelicis vſitatae, obuertitur electioni, vocationique. Haec enim haudquaquam populi conficitur arbitrio; ſed conſtitutorum ad id theologorum, preſbyteriiue officium eſt, vocandorum explorare ἱκανότητα, et, num digni ſint illi, qui ſacro muneri praeficiantur, iudicare. Tum vero, rite facta vocatio a ſummo magiſtratu ſolemniter confirmatur.

THESIS IIII

Ordinatio ad miniſterium eccleſiaſticum eſt neceſſaria: ordinandi autem poteſtas non penes ſolos eſt epiſcopos.

Vid. *Art. Smalc. part. III, a. X, et tr. ſupra cit. p. 352, ſq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Vocationem ad miniſterium eccleſiaſticum ſubſequi ſolet *ordinatio*, quae eſt: perſonae legitime vocatae, per preces et manuum impoſitionem, ad officium ſacrum ſolemnis inauguratio. Huius neceſſitas cum affirmatur, in eccleſia euangelica vſitata, et ad veteris eccleſiae morem compoſita, intelligitur ordinatio; multis videlicet modis a pontificia diuerſa ordinatione, quippe quae vnctionem, tonſuram circularem, et alias *Conc. Trid. ſeſſ. XXIII, can. V*, ſub anathemate edictas, ſuperſtitionis plenas additas habet caerimonias, et cui characteris indelebilis ſacramentique perſuaſio adhaeret. Ad euangelicae igitur ordinationis quod attinet neceſſitatem, non quidem mandato diuino, et abſolute, has tamen neceſſaria ea eſt ob cauſas, quia ritus ille in eccleſia chriſtiana primitiua, et ab ipſis adhibitus eſt apoſtolis, vt ex *Act. VI, 6; XIII, 3; 1 Tim. IV, 14; V, 22 2 Tim. I, 6*, liquet, et quia ſalutares illius ſunt fines, quippe quo legitimae illorum, qui miniſterio eccleſiaſtico praeficiendi ſunt, ad id vocationis ſolemne teſtimonium perhibetur, iidemque, vt mandato munere debito fungantur modo, publice admonentur, et, conſociatis precibus, neceſſaria dona a Deo ipſis expetuntur.

Ordinandi poteſtatem non penes ſolos epiſcopos eſſe, in theſi noſtra, *ſecundo*, affir-

matu

matur. Oppoſita eſt aſſertio haec cum *pontificiis*, qui ordinandi aeque, ac vocandi miniſtros ius et poteſtatem epiſcopis, iiſque Romanenſibus, vnice competere, nec illis cum preſbyteris communem eſſe, ſtatuunt, (vid. *Conc. Trid. ſeſſ. XXIII, can. VII*,) tum *Anglis*, *epiſcopales* qui dicuntur, quippe qui ſolis itidem epiſcopis ordinandi adiudicant poteſtatem. Noſtra ſententia, prout ea in locis, ſub ipſa theſi citatis, exponitur, ſic ſe habet: miniſtros ordinandi poteſtatem, iure diuino, ad totam eccleſiam pertinere, epiſcopis autem, iure humano, et boni ordinis cauſa, id olim datum fuiſſe, vt eccleſiae nomine peragerent ordinationem, hancque ideo apud euangelicos a preſbyterio, nutu et auctoritate eccleſiae, vere adminiſtrari. Ordinandi ius ad eccleſiam proprie pertinere, ex clauibus, ei datis, probatur, pluribuſque in *ſubiuncto articulis Smalcaldicis tractatu* demonſtratur argumentis. Conſequitur inde, eos, qui ius illud, conſentiente eccleſia, exercent, quales ſunt euangelici V. D. miniſtri, veros ordinationis eſſe adminiſtros. Singulari vero etiam ratione, apoſtolicae videlicet eccleſiae exemplo, confirmatur, veram vtique ac legitimam eſſe, quae a preſbyterio peragitur, confirmationem. Vid. *1 Tim. V, 14*. Conf. *A. Smalc. p. 334*. Pontificiorum et Anglorum epiſcopalium antitheſis hic vnice nititur ὑποθέσει, epiſcopos, iure di-

diuino, preſbyteris et gradu, et poteſtate, eſſe ſuperiores. Falſam vero illam eſſe, in ſequenti oſtendemus theſi.

THESIS V

Iure diuino, inter epiſcopos et preſbyteros nullum intercedit diſcrimen, et aequali omnes, quocunque nomine vocentur, eccleſiae miniſtri, quoad verbi diuini praedicationem, et ſacramentorum adminiſtrationem pariter, atque clauem ſoluentem et ligantem, gaudent poteſtate.

Vid. *Aug. Conf. art. VII de abuſ. Art. Smalc. part. III, art. VII, IX, X; et tractatus, eis ſubiunctus, p. 351, ſqq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Miniſtrorum eccleſiae officii rationem in eo conſiſtere, vt verbum Dei praedicent, et ſacramenta adminiſtrent, quae *poteſtas ordinis* appellatur, et vt peccata remittant, retineantue, quae, vt *ſect. I, § VI*, notauimus, in Apologia A. C. et in tractatu de poteſt. et iuriſdict. epiſc. *poteſtas iuriſdictionis* vocatur, ex dictis, *Matth. XXVIII*, 19; *Marc.*

Marc. XVI, 15; Ioh. XX, 23; 1 Cor. IV, 1, et caet. ſatis conſtat. Peccata remittendi et retinendi miniſterium, *Matth. XVI, 19; XIIX, 18, clauium* nomine deſignatur, clauiſque *ſoluens* dicitur, qua poenitentes a peccatis abſoluuntur, coelumque eis aperitur, *ligans*, qua impoenitentibus peccata retinentur, coelumque eis clauditur. Vtriuſque clauis, ſeu abſoluendi et excommunicandi poteſtas eccleſiae competit miniſtris, debita cum prudentia et cautione ab iiſdem exercenda. Excommunicandi autem, qua miniſtri eccleſiae praediti ſunt, poteſtas de minori, quae vocatur, ſeu ea intelligenda eſt excommunicatione, qua manifeſte facinoroſis et impoenitentibus abſolutio denegatur, iique a coenae dominicae vſu arcentur. *Maior* enim, quae ciuilis poenae rationem habet, ad illos non pertinet. Vid. *Art. Smalc part. III, art. IX, p. 333, ſq.* Nullum, quoad memoratas officii eccleſiaſtici partes, inter miniſtros eccleſiae eſſe diſcrimen, aequalique omnes, iure diuino, gaudere poteſtate, ſupra citatis confirmatur dictis, quibus Chriſtus ipſe eandem illam omnibus indiſcriminatim miniſtris dedit poteſtatem. Ἐξοχὴν quibuſdam prae caeteris diuinitus competere, nulla prorſus probari poteſt ratione; quin potius epiſcopos inter et preſbyteros diſcrimen humana conſtitutum eſt auctoritate. In apoſtolica eccleſia miniſtris eccleſiae commune fuit

 epi-

epiſcoporum et preſbyterorum nomen, iidemque *preſbyteri* dicti ſunt, et *epiſcopi*: id quod clariſſime liquet ex *Act. XX, 17, 28; Phil. I, 1; Tit. I, 5, 7; 1 Tim. III, 1, 2, 1 Petr. V, 1.* Poſt id tempus more demum introductum eſt, vt ex preſbyteris eligeretur vnus, qui caeteros dignitatis antecelleret gradu, eique ſpeciatim epiſcopi attribueretur nomen. Egregie id docet, et, ſecundum Scripturam, epiſcopum et preſbyterum vnum eſſe, HIERONYMVS, laudatus eo nomine in *tr. Smalc. p. 352* compluribus in locis demonſtrat. Vid. DAVIDIS BLONDELLI *apologia pro ſententia* HIERONYMI *de epiſcopis et preſbyteris, ed. Amſtel. a. 1646.* Add. CLAVDIVS SALMASIVS in diſſertatione, quam ſub WALONIS MESSALINI nomine, *de epiſcopis et preſbyteris, contra* PETAVIVM, *edidit Lugduni Bat. a. 1641*, et IO. FRANC. BVDDEVS, *in diſſertatione de origine et poteſtate epiſcoporum, § 14, ſqq.*

Ἀντιθέσεως notatio.

Theſi noſtrae, vt ſupra notauimus, contradicentes cum maxime habemus *Pontificios*, itemque *Anglos epiſcopales.* Iure ſcilicet diuino epiſcopos, non dignitatis gradu ſolum, ſed ordinis etiam ac iuriſdictionis poteſtate, preſbyteris ſuperiores eſſe, illi proſitentur. In Concilio Tridentino, *ſeſſ. XXIII, cap. 4*, docetur: „epiſcopos, qui in apoſtolo-

„rum

„rum locum ſucceſſerint, poſitos eſſe a Spi„ritu ſancto, regere eccleſiam Dei, eoſque „*preſbyteris ſuperiores eſſe*, ac ſacramentum „confirmationis conferre, miniſtros eccleſiae „ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos „poſſe; quarum functionum poteſtatem reli„qui inferioris ordinis nullam habeant.“ Et, *canone VII*, anathema denunciatur ei, „qui „dixerit, epiſcopos non eſſe preſbyteris ſu„periores, etc. vel eam, quam habent, pote„ſtatem illis eſſe cum preſbyteris commu„nem.“ Patres quidem Tridentini, cum epiſcopos preſbyteris ſuperiores, et poteſtate maiori praeditos eſſe, dicunt, non quidem expreſſe addunt, *iure diuino*; cuius rei cauſa ex iis, quae in Concilio hoc nomine diſputata ſunt, quaeque PAVLVS SARPIVS, *hiſtoriae Conc. Trid. libro VII*, refert cognoſci poſſunt: BELLARMINVS vero, *de clericis lib. I, c. 14, p. 196*, „eccleſiam catholicam do„cere, ait, iure diuino epiſcopatum preſby„terio maiorem eſſe, tum ordinis poteſtate, „quam in ordinatione preſbyterorum, con„firmatione baptizatorum, et templorum at„que altarium conſecratione, conſtituit, tum „etiam iuriſdictione.“ Tam inepta autem ſunt, quibus ius illud diuinum probat, argumenta, vt ne referri quidem mereantur. Vid. SCHERZERVS, *Anti-Bellarm. diſp. VI, p. 404, ſqq.* Iure diuino nullam epiſcopis prae preſbyteris competere ἐξοχὴν, ſed conſuetudine

introductum fuiſſe, vt epiſcopus gradu ſuperior eſſet preſbyteris, et, ſaluo eccleſiae ac preſbyterii iure, ordinaret, ſatis ſuperque demonſtrauimus. Clauium, quoad caſuum reſeruationem, excommunicationemque, poteſtas, et αὐτοκρατορικὴ ac πολιτικὴ, quam in eccleſia Romana epiſcopi ſibi arrogarunt, iuriſdictio iuri diuino manifeſto aduerſantur.

THESIS VI

Non inutile et inefficax eſt miniſterium malorum eccleſiae miniſtrorum.

Vid. *Aug. Conf. art. IIX; Apolog. A. C. p. 144, 155.*

Expoſitio, et confirmatio.

Per *malos* eccleſiae miniſtros, quorum non inefficax eſſe dicitur miniſterium, non doctrina, ſed *vita* mali qui ſunt, intelliguntur. Heterodoxi enim, et ſacramenta non legitime adminiſtrantes, pro miniſtris eccleſiae nullo habendi ſunt modo. Vid. *Apologia A. C. p 155.* Id quidem extra controuerſiam poſitum eſt, miniſtros eccleſiae omnes bonos eſſe debere, ſiue pios, ſanctoſque. Ab omnibus enim, quotquot ſacro funguntur miniſterio, quam plurimis ſacrarum litterarum dictis, v. c. *Phil. III, 17; 1 Tim. IV, 12; Tit II, 7, ſq; 1 Pet. V, 3,* requiritur, vt exemplo non minus, quam voce, auditores

ſuos

ſuos erudiant, ac vitae morumque integritate, et ſanctitate praeluceant gregi: ſpeciatimque apoſtolus, *1 Tim. III, 2, ſqq.* et *Tit. I, 5, ſqq.* virtutes ediſſerit, quibus praeditum eſſe oportet epiſcopum, ſeu eccleſiae miniſtrum. Id etiam dubio caret, pium miniſtrum maiori cum fructu eccleſiae praeeſſe, quam impium, quippe qui, contrariam doctrinae agendo vitam, magnam auditoribus ſuis praebet offenſionem. Iam vero quaeſtio eſt, an mali eccleſiae miniſtri, verbum Dei purе praedicantis, et ſacramenta legitime adminiſtrantis, miniſterium *efficax* ſit in regenerandis hominibus, ſaluandiſque. Efficax omnino, quod theſis noſtra affirmat, malorum eſſe miniſterium, hoc maxime probatur argumento, quia verbi et ſacramentorum efficacia in vniuerſum a Deo dependet, et haec ab ipſo conſtituta ſalutis media in ſe diuina et ſupernaturali efficacia gaudent. Vid. *Rom. I, 16; 1 Pet. I, 23*, etc. Conf *1 Cor. III, 7.* Mediorum igitur horum, rite adhibitorum, efficaciam miniſter malus ſua impietate euertere nequit. *Rom. III, 3, ſq. Phil. I, 16, ſqq.* Accedit, quae in *Aug. Confeſſione, p. 12*, adducitur, ratio, ex *Matth. XXIII, 2, ſq.* deſumta, vbi Seruator ipſe ſcribas et Phariſaeos, in cathedra Moſis ſedentes et docentes, licet vitam agerent, a Moſis doctrina alienam, audire Iudaeos iubet.

Ἀντιθέσεως notatio.

Malorum eccleſiae miniſtrorum miniſterium prorſus inefficax eſſe, illoque proinde uti non licere, olim ſtatuerunt *Donatiſtae* et *Wicleffiſtae*, damnati eo nomine in *Aug. Conf articulo IIX; p. 12*, et *Apologia A. C. p 150.* Conf. *Cap. XIIII inſtitut. noſtr. ſect. I, § 1.* Accenſendi illis ſunt *Mennonitae*, *fanatici*, aliique. Haudquaquam theſi noſtrae obſtant ſacrarum litterarum dicta, quae pietatem in eccleſiae miniſtris requirunt, et integros vitae, ſcelerisque puros eos eſſe oportere, docent. Quamuis enim miniſtri tales utique eſſe debeant, tamen, ſi mali fuerint, verbum Dei et ſacramenta, quae per illos adminiſtrantur, diuinam, quam in ſe habent, regenerandi homines vim exſerunt, efficaciamque.

THESIS VII

Coniugio miniſtris eccleſiae non eſt interdicendum.

Vid. *Aug. Conf. art. II de abuſ. p. 21, ſqq. Apol. A. C. p. 236, ſqq. Art. Smalc. part III, art. XI, p. 334, ſq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Theſis haec non ad coniugii clericorum trahenda eſt neceſſitatem. Falſo hanc nobis a pontificiis attribui ſententiam, ac ſi,

omnes

omnes omnino eccleſiae miniſtros, adeoque etiam illos, qui continentiae praediti ſunt dono, vxoratos eſſe oportere, ſtatuamus, *Apologia A. C p. 240*, et ipſa eccleſiarum euangelicarum praxis, docent. Aſſertio noſtra eo valet, libere, liciteque connubia inire eccleſiae miniſtros; coniugioque haudquaquam eis interdici, et coelibatus iugum ipſis imponi debere. Iniquiſſimam coniugii clericorum eſſe prohibitionem, grauiſſimis argumentis in Auguſtana Confeſſione, eiuſque Apologia, et articulis Smalcaldicis, *locis citatis*, demonſtratur. Recenſuimus ea ſupra, *ſectione I, § IV et VI*, neque adeo vberiori theſis noſtrae opus eſſe arbitramur confirmatione. Vt paucis praecipua rationum complectamur momenta, coniugii clericorum interdictio diuinae coniugii aduerſatur inſtitutioni, ita comparatae, vt a contrahendo illo nemo ſit arcendus: aduerſatur dictis Scripturae ſacrae, quibus, ad vitandam fornicationem, libidinemue coercendam, omnes, quotquot ad coelibatum non ſunt idonei, nubere iubentur, *1 Cor. VII, 2, 9*, conſ. *Matth. XIX, 11, 12*; itemque apoſtoli dicto, *1 Tim. IV, 1, ſqq.* quo coniugii prohibitio ad daemoniacas refertur doctrinas: repugnat denique, vt de Vet. Teſt. doctoribus, ſacerdotibusque, quibus matrimonium vel mandatum, vel conceſſum fuit, non dicam, apoſtolicae, veteriſque eccleſiae praxi. Etenim

non

non ſolum ex ipſis apoſtolis quoſdam uxoratos fuiſſe, certum eſt, exploratumque, ſed etiam, apoſtolorum aetate, inſequentibuſque ſeculis, coetibus ſacris praepoſitos miniſtros liberam coniugii habuiſſe poteſtatem, indubitatis teſtimoniis conſtat. Pertinet huc inprimis PAVLI de conſtituendis epiſcopis et diaconis διαταγῇ, *1 Tim. III, 2, ſqq.* et *Tit. I, 6*, quippe qua, μονογαμία, et proba liberorum educatio requiſitis eorum annumerantur. Argumentis, aduerſus coniugii prohibitionem adductis, addenda etiam eſt ratio, ex horrendis et abominandis, quae LVTHERVS vocat, inde profluentibus peccatis petita.

Ἀντιθέσεως *confutatio.*

Quae de coniugii miniſtrorum eccleſiae prohibitionis diximus iniquitate, ad pontificiam, qua clericis coniugio vniuerſim et ſimpliciter interdictum eſt, ſpectant legem. Interdictionis iſtius originem ad SIRICIVM, qui ſub finem ſeculi quarti pontificatu functus eſt, referunt, eiuſque hoc nomine condita decreta, annis viginti poſt, INNOCENTIVM I renouaſſe et confirmaſſe, ex ipſis pontificiis cum antiquiores theologi, ſiue canoniſtae, tum recentiores nonnulli, et in his confutationis A. C. in comitiis ſcriptae auctores, *ad art. II de abuſ.* fatentur. Saniores hi ſunt BARONIO, BELLARMINO, et caeteris, qui, contra omnem rei veritatem,

apo-

apoſtolos prohibitionis huius faciunt aucto-res. Quo modo, poſt SIRICIVM et INNO-CENTIVM, Romani pontifices, inſequenti-bus ſeculis, de clericorum coelibatu legem ſuis repetierint conſtitutionibus, quantaque cum difficultate, multis vndique contradi-centibus, occidentalibus illam violenter ob-truſerint eccleſiis, ordine refert MART. CHEMNITIVS, *exam. Conc. Trid. part. III, loc. II de coelibatu ſacerdotum, cap. 4, p 704, ſqq.* Idem, *cap. 6, p. 722, ſqq.* multos ſemper do-ctos, bonoſque viros ſub regno pontificio fuiſſe, docet, qui, manifeſta Scripturae ſen-tentia, et horrendis libidinum ſcandalis mo-ti, ſuaſores extiterint, vt iniqua illa lex ab-rogaretur, et ſacerdotibus libertas legitimi coniugii reſtitueretur. Illam ipſam vero le-gem ſua etiam Concilium Tridentinum confirmauit auctoritate, et, *ſeſſ. XXIIII, cano-ne IX*, anathemate percuſſit eos, „qui dixe-„rint, clericos, in ſacris ordinibus conſtitu-„tos, poſſe matrimonium contrahere, con-„tractumque validum eſſe, non obſtante ec-„cleſiaſtica lege.“

Quantopere lex iſta pontificia verbo Dei aduerſetur, ex antea dictis patet. Nihilo minus tamen BELLARMINVS, *de clericis cap. XIX, p. 169*, verbo Dei conſentaneam eam eſſe, argumentis, ex ſacris litteris petitis, probat. Quam belle, videamus. Primum argumentum deſumit ex *Tit. I, 8*, vbi apo-

ſtolus

ſtolus docet, epiſcopum oportere eſſe *ἐγκρατῆ*, *continentem*, *temperantem*. Εγκράτειαν ſcilicet, communem iis, qui in coniugio, et extra illud viuunt, virtutem, ad coelibatum ineptiſſime refert, ipſi contradicens apoſtolo, qui vxoratum epiſcopum *l. c.* *ἐγκρατῆ* eſſe iubet. Ex eo, quod PAVLVS, *2 Tim. II*, *4*, militantem nullum *ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις*, *vitae huius negotiationibus ſeſe implicare*, ſcribit, alterum ille aduerſus coniugium clericorum ducit argumentum. Mira conſequentia! Apoſtolus, hoc propoſito ſimili, Timotheum hortatur, vt ne, tanquam bonus miles IESV Chriſti, quales omnes eſſe debent chriſtiani, negotiorum ſecularium nimia cura, a miniſterio Dei abſtrahi ſe patiatur: ergo miniſtris eccleſiae coniugio eſt interdictum; ergo coelibatus iugum annexum eſt ordinibus ſacris, ita vt nec ducere vxores, nec vxoribus antea ductis vti liceat poſt ordinationem. Aliud eſt, in caſto, ſecundum voluntatem Dei, viuere matrimonio, aliud, negotiis ſecularibus ſeſe implicare, id quod epiſcopi faciunt Romanenſes. Conſimilis, abſona videlicet, eſt conſequentiae ratio, quam idem ille, tertio, ex *1 Cor. VII, 5*, deducit, vbi apoſtolus coniugatos, ex conſenſu, ad tempus ab vſu coniugali abſtinere iubet, vt ieiunio et orationi vacare poſſint. Exinde nimirum concludit, miniſtris eccleſiae a nuptiarum opere perpetuo eſſe abſtinendum,

cum

cum quotidie orationi inſiſtere debeant; eamque in ſententiam HIERONYMVM laudat. Si haec valeret conſequentia, chriſtianis omnibus a coniugio abſtinendum foret, ſiquidem omnes *ſemper* et *indeſinenter* orare iubentur, *Luc. XIIX, 1; 1 Theſſ. V, 17*, et caet. Quodſi vel maxime apoſtolus a coniugii vſu abſtinentiam, precum, de quibus ſpeciatim loquitur, publicarum ſolemniumque, cum ieiunio coniunctarum, tempore, dicto loco, requirat, licet illam ipſam libero vtriusque coniugis conſenſui permittat, id tantum ſequitur, clericos ab eodem illo ad tempus, non vero a coniugio ſimpliciter et ſemper abſtinere debere. Ita vero etiam contra BELLARMINVM eſt, quod addit, „in veteri „teſtamento, continentiam ab vxoribus in „primis requiſitam fuiſſe in iis, qui Deo pro„pinquaturi, vel rem aliquam ſanctam tracta„turi erant.“ Quemadmodum enim continentia illa in V. T. coniugium non euertebat, ita pari ratione continentia et coniugium in N. T. inter ſe non pugnant: et quod ſacerdotibus in V. T. conceſſum erat coniugium, miniſtris eccleſiae in N. T. pontificia lege iniuſte interdictum eſt; id quod eo magis mirum videri debet, quod, cum pro ſacramento coniugium a Romanenſibus habeatur, lege iſta clerici pontificio priuentur ſacramento. Nullo loco habenda ſunt, quae BELLARMINVS addit, conciliorum, pontificum

cum et patrum teſtimonia, et contra ea bene multa et clariſſima veritatis teſtimonia extant. Vid. in primis CHEMNITIVS, *l. c.* et GERHARDVS, *Conf. cath. lib. II, part. 2. art. 6, c. 4, p. 810, ſqq.* Addatur luculentus GE. CALIXTI *de coniugio clericorum tractatus*, quo pontificia lex, qua ſacris miniſtris coniugium vniuerſim et ſimpliciter interdicitur, pleniſſime confutatur, editus Helmſtadii, a. 1631, et recuſus Francofurti, a. 1653.

THESIS IIX

Vota, quibus adſtrictus eſt monachorum in eccleſia Romana ordo, verbo Dei multis aduerſantur modis, prorſuſque adeo reiectaneus eſt monaſticus pontificiorum ſtatus.

Vid. *Aug. Conf. articulus VI de abuſ. p. 32, ſqq. Apol. A. C. p. 276, ſqq. Art. Smalc. part. III, art. XIV, p. 336.*

Confirmatio.

Theſi huic confirmandae affatim ſufficiunt rationes, quae in *Auguſtana Confeſſione, eiuſque Apologia, locis citatis*, contra vota monaſtica, adducuntur. Vt paucis eas inde repetamus, vota monaſtica, quae ſunt: *coeca obedientia, paupertas, coelibatus*, cui *caſtitatis* perperam appropriatur nomen, primo, votorum

rum, quae licite fiunt, repugnant naturae. Haec enim ſponte, conſultoque, et in re poſſibili concipienda ſunt; contra ea monaſtica illa plerumque non coacte, et inconſulte ſolum, ſed etiam in re impoſſibili, qualis eſt coelibatus, nuncupantur. Continentiae enim donum in hominis haudquaquam eſt poteſtate. Donum id habere eos, qui vouerint, inepte, *Conc. Trid. ſeſſ. XXIIII, can. IX,* hac probatur ratione, „quod Deus id recte pe„tentibus non deneget, nec patiatur nos ſu„pra id, quod poſſumus, tentari.“ Huiuſmodi enim preces, quae ordinationi diuinae aduerſantur, Deus non exaudit. Aduerſantur cum maxime vota monaſtica verbo Dei, eo quod illorum obſeruationi iuſtificationis vitaeque aeternae tribuitur meritum, contra diſerta Scripturae ſacrae dicta, quibus hominem gratis, ſine operibus, propter meritum Chriſti, fide apprehenſum, iuſtificari, ſaluarique, affirmatur, ipſiſque adeo vere bonis operibus meritum omne denegatur. Hanc ſacrarum litterarum de gratuita iuſtificatione, et vitae aeternae donatione doctrinam ex inſtituto expoſuimus, vindicauimusque, *capite IIX, th. III, p. 456, ſqq.* et *capite IX, th. II, p. 495, ſqq.* Neque vero ſola illa eſt votorum monaſticorum ἀντιγραφία, qua horum obſeruationi meritum adiudicatur, ſed graui eadem augetur errore, eo videlicet, quo vita monaſtica vitam aeternam, multo auctiorem,

 dici-

efficitur mereri. V. F. C. p. 283. Perfectior ſcilicet omnibus aliis vitae generibus habetur ſtatus monaſticus, quod non legis diuinae praecepta ſolum, ſed conſilia etiam euangelica in illo ſeruentur. Quam inane conſiliorum euangelicorum, ad perfectionem acquirendam comparatorum, ſit figmentum, quam inepte dicta quaedam Saluatoris, quae legis diuinae praecepta in ſe continent, ad illa trahantur, quam falſo obſeruationes monaſticae, quae in electitio, impiotue cultu conſiſtunt, opera conſiliorum euangelii eſſe dicantur, haecque perficientibus opera ſupererogationis adſcribantur, APOLOGIA A. C. p. 282. clariſſime oſtendit. Conf. inſtitut. noſtrarum *cap. X, theſ. I, p. 528, ſeq.* Talia igitur cum in Papatu ſint vota monaſtica, fruſtra illa ipſa, ſtatumque ſuum monaſticum pontificii defendere laborant. Tam friuolae, tamque futiles ſunt, quae cum in pontificia Aug. Confeſſionis confutatione, tum a BELLARMINO, *de membris eccleſiae militantis libro II, controuerſ. tomo II, p. 203, ſqq* pro monachis, eorumque vita et votis, afferuntur, rationes, vt illarum diſcuſſione facile ſuperſedere queamus. Vid. APOLOGIA A. C. *p. 285, ſqq.* I. A. SCHERZERVS, in *Anti-Bellarmino, p. 413 ſqq.* in primis IOH. GERHARDVS, *Confeſſ. cathol. part. II, lib. II, art. VII, p. 872, ſqq.*

CAPVT

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT XIIX

DE PONTIFICE ROMANO

SECTIO I

HISTORICA

I.

Capite XIIII, eiuſque *ſect. II, theſ. I,* notauimus, pontificios vnius, ſanctae, catholicae, et apoſtolicae eccleſiae formam in vnione cum Romano pontifice, tanquam illius capite, et Chriſti in terris vicario, conſtituere, ita vt omnes, quotquot monarchico ipſius ſubiecti ſunt imperio, iique ſoli, ſiue pii ſint, ſiue impii, pro verae eccleſiae membris ab iiſdem habeantur. Quandoquidem igitur, ex praeiudicata hac opinione, cum maxime euangelicam noſtram eccleſiam Romanenſes impugnant, neceſſum eſt, de *Pontifice Romano* ſingulari agere capite, imperiumque illud, quod is ſibi arrogat, et a ſuis ipſi attribuitur, omni fundamento deſtitui, demonſtrare. Nec aliena a ſymbolica noſtra doctrina haec eſt tractatio. Nam in ARTI-

CVLORVM SMALCALDICORVM *partis ſecundae articulo quarto*, (*) et in *tractatus*, *articulis his ſubiuncti*, *parte prima*, (**) de papa Romano, eiuſque primatu et poteſtate, quid ſentiendum ſit, docetur.

(*) B. LVTHERVS, in articulis Smalcaldicis, *l. c.* monarchicum, quod in vniuerſam eccleſiam Papa ſibi arrogat, imperium multis modis refellit, ſpeciatimque oſtendit: epiſcopum Romanum haudquaquam, iure diuino, totius chriſtianitatis eſſe caput; primatum poteſtatis, de quo ſe iactat, veterum conciliorum et patrum auctoritatibus euerti; arreptam à Papa poteſtatem eccleſiae perniciosam, et ad fidei in Chriſtum deſtructionem eſſe comparatam; monarchicum eius imperium formae regiminis eccleſiae, quae Chriſti conuenit ordinationi, et primis poſt C. N. ſeculis vſitata fuit, aduerſari. Hinc Papam ipſum verum Antichriſtum eſſe, ait, et hanc aſſertionem ſuam pluribus rationibus confirmat; illumque adeo, vt caput et dominum, à nobis ferri non poſſe, in fine addit. Quae in articulo hoc à LVTHERO dicta ſunt, more ſuo, id eſt, egregie dilucidauit b. CARPZOVIVS in *iſag. in artic. Smalc. p. 813, ſqq.*

Papam in bullis et libris, vt leonem, rugire, idque angelum in apocalypſi ſignificare, cum dicitur, errorem exegeticum LVTHERVS admiſiſſe quibuſdam videtur, nempe illis, qui ad *Apoc. X, 3,* eum reſpexiſſe volunt, vbi angelus ſiſtitur, *elata voce clamans, quem ad modum leo rugit*, qui vero Papam minime omnium refert. At enimuero in editionibus Articulorum Smalcaldicorum pleriſque omnibus non *decimum*, ſed *duodecimum Apoc. caput* citatur, in cuius *commate primo* angelus introducitur, qui ſequenti *capite XIII, 2, ſignificat*, ſiue indicat, Antichriſtum habere *os, ſicut os leonis.* Quae cum ita ſe habeant, LVTHERO exegeticum errorem perperam impingi, patet; eoque modo librorum ſymbolicorum vindi-

vindiciarum ſcriptores accuſationem iſtam repellunt. Conf. CHR. REINECCIVS, in editione *Concordiae Germ. Lat.* ad h. l. p. 491.

(**) In tractatus, articulis Smalcaldicis ſubiuncti, et a MELANCHTHONE conſcripti, parte prima, *poteſtatis et primatus Papae* examen continetur, quaeriturque, *primo*, num Papa, iure diuino ſupra omnes ſit epiſcopos et paſtores; *deinde*, an iure diuino vtrumque habeat gladium, hoc eſt, auctoritatem etiam regna conferendi et transferendi; *tertio*, num haec credere ſit de neceſſitate ſalutis. Et tres quidem hos articulos falſos, impios, tyrannicos, et eccleſiae pernicioſos eſſe, ſigillatim demonſtratur. *Primo* igitur, Romanum epiſcopum non eſſe iure diuino ſupra omnes epiſcopos et paſtores, non epiſcopum, vt pontificii loquuntur, οἰκουμενικὸν, qui ius habeat eligendi, ordinandi, confirmandi, deponendi epiſcopos omnes; cui auctoritas competat de cultibus et doctrina condendi leges, hominum conſcientias obligantes, probatur ex ſacris litteris, ſpeciatim ex locis, *Luc. XXII*, *25, ſq. Ioh. XX, 21; Gal. II, 7, ſq. 1 Cor. III, 8, ſqq.* qui claro oſtendunt, apoſtolorum nullum alteri ſuperiorem, ſed aequali omnes praeditos fuiſſe poteſtate. Subſequuntur argumenta, ex hiſtoria eccleſiaſtica petita, quibus conficitur, veterem eccleſiam non agnouiſſe Romani epiſcopi primatum. Hoc illa referuntur ordine: Nicaena ſynodus epiſcopo Romano certam aſſignauit dioeceſin; eadem conſtituit, vt epiſcopi eligerentur a ſuis eccleſiis, praeſente aliquo vicino epiſcopo, aut pluribus; multae veteres ſynodi indictae, habitaeque ſunt, in quibus non praeſedit Rom. epiſcopus; aequalem omnibus vbiuis epiſcopis HIERONYMVS attribuit auctoritatem; GREGORIVS, *epiſcopum vniuerſalem* ſe appellari, vetuit; epiſcopi Romani ab eccleſia electi, et ab Imperatoribus confirmati ſunt; exortis inter Romanum et CPolitanum epiſcopum de primatu certaminibus, illi primatum adiudicauit PHOCAS, Imperator. Reſpondetur inde ad dicta, *Matth. XVI, 18, 19; Ioh. XX. 15, ſqq.* quibus pro ad-

 ſtruen-

ſtruendo Papae in vniuerſam eccleſiam imperio pontifi-cii vti ſolent, oſtenditurque, quam abſone illa eo refe-rantur.

Secundo, Papam non habere vllam in magiſtratum ſe-cularem poteſtatem, regnaque conferendi, transferendiue auctoritatem, probatur eo, quod Chriſtus ſpiritualem tantum apoſtolis dederit poteſtatem, politicumque Papae imperium indoli et conditioni regni Chriſti prorſus ad-uerſetur. *Tertio*, grauiſſimae afferuntur rationes, quare Papae non ſit obediendum, quia nimirum impios cultus, et doctrinam, cum euangelio pugnantem, tuetur, Anti-Chriſtum ſe praeſtat, diuinam ſibi arrogat auctoritatem, tyrannidem exercet. Hinc in fine ſummatim dicitur; „non debetur ei obedientia, immo neceſſe eſt ei, tan-„quam Anti-Chriſto, aduerſari. Errores Papae manifeſti „ſunt, et non leues. Manifeſta eſt etiam crudelitas, quam „exercet. Et conſtat, mandatum Dei eſſe, vt fugiamus ido-„lolatriam, impiam doctrinam, et iniuſtam ſaeuitiam. Ideo „magnas, neceſſarias, et manifeſtas cauſas habent omnes „pii, ne obtemperent Papae. Et hae neceſſariae cauſae „pios conſolantur, aduerſus omnia conuicia, quae de „ſcandalis, de ſchiſmate, de diſcordia obiici ſolent."

SECTIO II.

THETICO ELENCTICA

THESIS

Pontifex Romanus non eſt caput eccle-ſiae viſibile, et totius orbis chriſtiani mo-narcha, cui ſumma competat, cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, po-teſtas.

Vid.

Vide *Art. Smalc. part. 2, art. 4, p. 312, sq. Tr. de poteſtate et primatu Papae, p. 349. ſqq.*

Ἀντιθέσεως *confutatio*.

Quod in theſi propoſita negatur, Romanum videlicet pontificem totius chriſtianitatis caput eſſe, atque monarcham, id adeo pro certo et explorato habent Romanenſes, vt in eo fidei conſtituant fundamentum. Patres Tridentini peculiares habuiſſe videntur cauſas, quare de Rom. pontificis ſumma, quam habere creditur, in vniuerſam eccleſiam poteſtate nullum condiderint decretum, nec ſolemni ſuo anathemate damnauerint ei contradicentes. In *Catechiſmo* autem, ex decreto Concilii Tridentini edito, et quidem in expoſitione articuli de eccleſia, *part. I, p. 81*, „eccleſiae rector ac gubernator „viſibilis dicitur is, qui Romanam cathe„dram, Petri, apoſtolorum principis, legiti„mus ſucceſſor, tenet; additurque: con„ſentiente omnium patrum ſententia, hoc „viſibile caput ad vnitatem eccleſiae conſti„tuendam, et conſeruandam, neceſſarium „fuiſſe.“ Et in *profeſſione fidei Tridentinae*: „Romano Pontifici, B. Petri, Apoſtolorum „principis, ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti vicario, „vera obedientia iure promittitur iuran„do.“ De Papae Romani primatu et poteſtate pontificii quid ſtatuant, cum in tra-

ſtatu, quem enarrauimus, *articulis Smalcaldicis* ſubiuncto, exponatur, tum vero ex ROB. BELLARMINI *de ſummo pontifice* libris quinque, *controuerſiarum fidei tomo I, p. 273, ſqq* inſertis, communis fere eorundem de illo ipſo ſententia pleniſſime cognoſci poteſt. In his nimirum libris, et quidem in *primo* ac *ſecundo*, regimen eccleſiaſticum praecipue *monarchicum* eſſe debere, idque ipſum Petro a Chriſto traditum fuiſſe, Petro autem in eccleſiaſtica monarchia Romanum ſuccedere pontificem, probare contendit. In *tertio*, *antichriſti* notam Papae demere conatur. In *quarto*, de *poteſtate ſpirituali* ſummi pontificis, et in *quinto* de *poteſtate* ipſius *temporali* agit. Illam in eo conſtituit, quod Papa ſit ſummus iudex in controuerſiis fidei et morum diiudicandis, certum et infallibile hoc nomine ei attribuens iudicium; itemque in eo, quod habeat iuriſdictionem vere coactiuam, ita vt poſſit leges condere, quae obligent in conſcientia, et iudicare ac punire transgreſſores, quam iuriſdictionem eccleſiaſticam ſoli pontifici ſummo a Chriſto immediate collatam fuiſſe, ait. De hac, temporali videlicet poteſtate, ita ſentit, pontificem, vt pontificem, non habere directe, et immediate vllam temporalem poteſtatem, ſed ſolum ſpiritualem; tamen *indirecte*, in ordine ſcilicet ad bonum ſpirituale, ſummam habere poteſtatem diſponendi de tempora-

poralibus rebus omnium chriſtianorum. Sed in his quidem, quae BELLARMINVS de poteſtate Papae, cum ſpirituali, tum temporali, tradit, non omnes omnino, quotquot ſunt in eccleſia Romana, ipſi, eiuſque ſodalibus ſuffragantur.

Iam pontificiatum de Romani epiſcopi imperio monarchico et poteſtate aſſertionum confutatione facile ſuperſedere poſſemus, ſiquidem imperium illud poteſtatemque Papae b. LVTHERVS, in articulis Smalcaldicis, et MELANCHTHON, in modo laudato tractatu, ex ſacris litteris, et antiquitate eccleſiaſtica, inuictis argumentis deſtruxerunt. Pro inſtituti tamen noſtri ratione, eam in rem noſtram quoque operam conferemus, ſimulque BELLARMINI rationes paucis diſcutiemus. Monarchiam optimam reipublicae eſſe formam, ac proinde eccleſiae conuenire, vt monarchicum ſit regimen eccleſiaſticum, et a capite viſibili ea regatur, fruſtra ille diſputat. Eccleſiae enim indoles et qualitas ex diuina pendet conſtitutione. Ad ſecularis politiae formam haudquaquam comparata eſt militans eccleſia Chriſti, et tantum abeſt, vt monarchicum Chriſtus ordinauerit illius regimen, et viſibile conſtituerit caput, quod vicarias ipſius in terris ſuſtineret partes, vt potius regimine politico apoſtolis interdixerit, *Luc. XXII, 25, 26;* nec aliam, quam quae in praedicatione verbi, et ſacramento-

rum adminiſtrationem conſiſtit, eamque ae-quidem, iiſdem, et ſucceſſoribus eorum, contulerit poteſtatem. *Matth. XXIIX, 19, 20; Ioh. XX, 21, ſqq.* Ipſe vero ſolitarium eſt eccleſiae ſuae caput, *Eph. I, 22, 23; IV, 15; V, 23; Col. I, 18;* eamque praeſentia ſua, inuiſibilis licet ille ſit, perpetuo beat, *Matth. XXIIX, 20.*

Quemadmodum ſatis hinc apparet, eccleſiam, ex conſtitutione Chriſti, non habere caput viſibile et monarcham, ita monarchicum Romani pontificis imperium omni omninq iuris diuini deſtituitur fundamento. BELLARMINVS quidem, et pontificii tantum non omnes, Papam monarcham et caput eccleſiae ab ipſo Chriſto dicunt eſſe conſtitutum. Sed quo quaeſo modo id probant. Dicta eam in rem afferunt, *Matth. XVI, 18, 19;* et *Ioh. XXI, 15, ſqq.* in quorum illo Dominus Petro apoſtolo dixit, *ſe ſuper petra hac eccleſiam ſuam aedificaturum, ipſique traditurum eſſe claues regni coelorum;* in hoc eundem *paſcere* iuſſit *oues, agnoſque ſuos.* His ſcilicet dictis, Chriſtum regimen monarchicum Petro contuliſſe, aiunt, iamque porro fingunt, acceptum id Petrum epiſcopatui alligaſſe Romano, ac proinde epiſcopos Romanos, vt Petri ſucceſſores, illo ipſo iure gaudere diuino. En fundamentum, quo monarchiae papalis ius nititur diuinum, ex falſa verborum Chriſti interpretatione, additiſque ei commentis conſtructum. Falliſſimum eſt, allatis in locis,

locis, Petrum totius eccleſiae monarcham a Chriſto fuiſſe conſtitutum. *Petra*, cui Dominus, *Matth. XVI, 18*, eccleſiam ſuam ſuperſtruere ſe velle, dicit, fidei eſt confeſſio, qua Petrus confeſſus fuerat: IESVM *eſſe Chriſtum, Dei vivi filium*; quo modo ταύτην τὴν πέτραν Patres, qui magno numero a IO. LAVNOIO, *epiſtolarum parte V, ep. VII, p. 422, ſqq.* et LVDOV. ELLIES DV PIN, *de antiqua eccleſiae diſciplina, diſſert. IIII, c. 1, p. 304, ſq.* recenſentur, exponunt. Egregie prorſus expoſitio haec apoſtoli dictis, *1 Cor. III, 11*, et *Eph. II, 20*, confirmatur. Inepte igitur dogmaticum eccleſiae fundamentum in monarchicum Petri imperium transformatur. Alia etiam commentitium hocce imperium convellitur verborum Chriſti interpretatione, ea nimirum, qua, ex doctiſſimorum quorundam veterum item ac recentiorum, interpretum ſententia, *petra* de ipſo, quem Petrus confeſſus erat, accipitur Chriſto, quippe qui perſonale, idque vnicum eccleſiae ſuae eſt fundamentum, quique per πέτραν, *1 Cor. X, 4*, itemque per λίθον ζῶντα ab ipſo Petro, *1 ep. c. II, 4*, deſignatur. Ad ſequentia quod attinet verba, *Matth. XVI, 19*, quibus Chriſtus Petro pollicetur, ſe claues regni coelorum ipſi eſſe daturum, cum *claues* illae de poteſtate ligandi et ſoluendi peccata, in eodem commate, et *Matth. XVIII, 18*, exponantur, has ipſas vero claues, poſt reſurrectionem ſuam,

Serua-

Seruator apoſtolis ſuis omnibus tradiderit, *Ioh. XX, 23*, abſone item ex iiſdem monarchicus Petri in eccleſiam exſtruitur dominatus.

Numquid autem firmius huic praeſidium relictum eſt in altero illo dicto, *Ioh. c. XXI?* Immo vero ne minimum quidem, quibus demum cunque technis eam in rem vtatur BELLARMINVS. Chriſtus Petrum iubet *paſcere oues ſuas*, idque ter, ad ternam videlicet, a Petro paullo ante factam, Chriſti abnegationem habito reſpectu. Sed quod Petro his verbis mandatur, id eccleſiae miniſtrorum omnium eſt officium, nempe vt paſcant oues, gregemque Chriſti; eaque phraſi, eccleſiaſtica, quae ex aequo iiſdem competit, et quae in pura verbi diuini praedicatione, ac legitima ſacramentorum adminiſtratione, clauiumque vſu conſiſtit, poteſtas denotatur. Ita eccleſiae Epheſinae preſbyteri a Paulo iubentur attendere *gregi*, cui Spiritus ſanctus ipſos praefecerit epiſcopos, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, VT PASCANT *eccleſiam Dei. Act XX, 28.* Et Petrus ipſe preſbyteris non vt monarcha praecipit, ſed vt συμπρεσβύτερος, *compreſbyter*, eos hortatur: ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, PASCITE GREGEM DEI, *qui apud vos eſt*; tum vero etiam omni in officio hoc obeundo eoſdem interdicit dominatione. 1 *Pet. V, 1, 2, 3.*

Ex hactenus dictis cum pleniſſime intelligatur, quam irrito, inanique conatu Romanenſes

nenſes monarchicum regimen aſſerant Petro, quippe quod illis ipſis, in quibus id fundant, conuellitur locis, vnde etiam DV PIN, *l. c. p. 311*, ex iiſdem id, quod BELLARMINVS vult, colligi non poſſe, fatetur, haud opus eſſe, arbitramur, vt in confutandis commentis: Petrum ſcilicet cathedram epiſcopalem Romae fundaſſe, et regimen monarchicum illi alligaſſe, hocque adeo ipſo epiſcopos Romanos, vt Petri in epiſcopatu Romano ſucceſſores, iure diuino, gaudere, operam conſumamus. Nam quod Petrus non habuit, id in epiſcopos Romanos transferre non potuit, ac fruſtra adeo a Romanenſibus, ſpeciatimque BELLARMINO, vtpote qui multus ea in re eſt, fingitur, oecumenicum, cum monarchico imperio coniunctum, Romae illum conſtituiſſe epiſcopatum, in quo ſucceſſores ipſius pontifices ſint Romani, cum vel de eo, an Petrus Romae fuerit, adhuc ſub iudice lis ſit.

Non certe a Petro repetenda eſt, quae Romanorum epiſcoporum ambitioni ortum ſuum debet, monarchia papalis. Poſteaquam enim illi diu multumque id egerant, vt non ordinis ſolum, ſed iuriſdictionis etiam conſequerentur primatum, ac pro oecumenicis epiſcopis haberentur, ſub initium demum ſeculi VII, BONIFACIVS III a PHOCA, MAVRITII Imp., quem nefarie occiderat, ſucceſſore, blanditiis et aſſentatione obtinuit, vt

is Romano epiſcopo *Oecumenici* titulum, quem CPolitanus epiſcopus affectauerat, quemque GREGORIVS, cognomento *Magnus*, in epiſtola ad MAVRITIVM Imp. *l. VII. ep. 33, opp. edit. monachorum Benedict. Pariſ. t. II, p. 881, antichriſti praecurſoris* notam dixerat, adiudicaret. Hinc arrogantia elati pontifices Romani monarchiam papalem ad ἀκμὴν perducere inſtituerunt, praecipuamque eam in rem operam, ſeculo XI, contulit GREGORIVS VII, *Hildebrandus* vulgo dictus. Indubitatis haec hiſtoriarum conſtant monimentis; conſulique poſſunt, qui, ſingulari ſtudio, induſtriaque, *hiſtoriam papatus* deſcripſerunt, in primis PHILIPPVS MORNAEVS, IOH. HENRICVS HEIDEGGERVS, ERN. SALOMON CYPRIANVS. Ineptiſſime adeo monarchici eccleſiae regiminis iniuſtae vſurpationi ius praetenditur diuinum, quod, praeter ſupra dicta, hoc etiam eliditur argumento, nullam videlicet in hierarchiae eccleſiaſticae, a Chriſto conſtitutae, deſcriptione, *Eph. IV, 11, ſq. 1 Cor. XII, 28*, monarchae, capitiſque eccleſiae viſibilis fieri mentionem.

Deſtructo monarchico Romani pontificis imperio, corruit, quae in hoc fundatur, poteſtas illius, cum ſpiritualis, tum temporalis. In vtraque probanda, operam etiam ludit BELLARMINVS. Illam nimirum in eo cum ſitam eſſe dicit, quod Papa ſummus ſit religionis controuerſiarum iudex, et in iis, quae

quae ad fidem et mores pertinent, diiudicandis, definiendiſque haudquaquam errare poſſit, ad id probandum ea iterum adducit dicta, quae de eccleſia, doctrinali de Ieſu Chriſto, filio Dei, fundamento ſuperſtruenda, et de paſcendi gregem Chriſti, omnibus eccleſiae miniſtris ex aequo competente, officio, loqui, ſupra oſtendimus. Nec minus inſulſe ad Romanum pontificem, et infallibile, quod ei tribuit, in rebus fidei et morum iudicium id, quod Chriſtus Petro dixit, *Luc. XXII, 32*, refert. Nempe Saluator optimus, paſſioni ſuae proximus, Petro praedicit, breui fore, vt, Satanae victus tentatione, Dominum ſuum eſſet abnegaturus; ſe vero, ſua apud Patrem interceſſione, effeciſſe, vt ne ita deficeret a fide, quin mox, ſeria poenitentia ductus, reſipiſceret, et in priſtinum gratiae reduceretur ſtatum: hincque ipſi mandat, vt, poſt conuerſionem, fratres ſuos confirmet, quo Domino conſtanter adhaereant, nec a fide vllo modo diuelli ſeſe patiantur. *Ego vero*, inquit, *oraui pro te, vt ne deficiat fides tua, et tu, vbi conuerſus fueris, confirma fratres tuos.* Iam, quae conſecutio? Chriſtus orauit pro Petro, vt is, in grauiſſimum prolapſus peccatum, a fide finaliter non deficeret; Dominus ipſi mandauit, vt, poſt conuerſionem, fratres in fide confirmaret: Ergo Papa ſummus et infallibilis controuerſiarum religionis eſt iudex; ergo in

rebus

rebus fidei ac morum indeficientis iudicii priuilegium iure habet diuino. Huiuſmodi nimirum adhibendae ſunt φλυαρίαι, vbi, iuris diuini eſſe, probandum eſt, quod non ſolum illo ipſo prorſus caret, ſed etiam eidem quam maxime repugnat. Quo ſpeciatim modo in ipſam Scripturam ſacram, iudicialemque illius poteſtatem, iniuria ſit aſſertio illa, qua, Romanum pontificem ſumma fidei morumque controuerſias definiendi poteſtate, et iudicio infallibili pollere, dicitur, quaque tota religio ad arbitrium eius refertur, oſtendimus *cap. I, ſect. II, p. 128, ſqq.* Eſt quidem aſſertio iſta BELLARMINI, ac Ieſuitarum omnium, Papaeque aſſentatorum, in ipſa tamen eccleſia Romana, vt L. E. DV PIN, *l. c. diſſ. V, p. 364*, ait, „innumeri pene theo„logi, ac praeſertim antiquiores et doctio„res, pontificem errori obnoxium eſſe, affir„marunt, et infallibilitatis pontificiae *figmen„tum* multis argumentis oppugnarunt.“ Nominatim idem illos recenſet, conciliorum etiam, et academiarum, praeſertim Pariſienſis, aduerſus infallibilitatem pontificis, decreta, *p. 361, ſqq.* adducit. Pontificiae infallibilitatis, quod DV PIN vere dicit, figmentum, vel illa, quae ab ipſo, *p. 346, ſqq.* adducuntur, Romanorum pontificum, haeretica qui, ex cathedra loquentes, dogmata pronuntiarunt, exempla, et pugnantes inter ſe illorum definitiones, et, quas iidem de fallibilitate ſua edide-

ediderunt, confeſſiones declarant. Vberius haec omnia, quibus laudatus ille Facultatis theologicae Pariſienſis doctor, infallibile Romani pontificis iudicium re ipſa conuelli, docet, B. GERHARDVS noſter, *Confeſſ. cathol. lib. I, part. II, cap. 2, p. 78 ſqq.* expoſuit, aliaque plura addidit, ex quibus clariſſime apparet, indeficientis iudicii priuilegium, quod Papae ab adulatoribus tribuitur, rei veritati, ipſorumque pontificiorum confeſſioni et hypotheſibus quibuſdam repugnare. ALPHONSI DE CASTRO, quod huc etiam pertinet, de pontificibus, qui litterarum, et humanarum, et diuinarum, rudes prorſus et ignari, adeoque idonei, ſcilicet, quos ABRAHAMVS BZOVIVS, in *pontifice*, quem edidit, *Romano*, ſalutat, *traditae a Chriſto et Spiritu S. doctrinae dictatores, cuſtodes et cognitores, interpretes Scripturae ſacrae, iudices controuerſiarum de fide* fuerunt, teſtimonium ſupra retulimus, *cap I, p. 131.*

De iuriſdictione coactiua, quam Romano pontifici a Chriſto immediate collatam fuiſſe, BELLARMINVS dicit, ita, vt poſſit leges condere, quae obligent in conſcientia omnes fideles, et iudicare ac punire tranſgreſſores, notaſſe ſufficiat, illam ab oecumenico Papae primatu, ſeu monarchico imperio, eiuſque in iudicando infallibilitate deriuari. Haec igitur cum omni iuris diuini, vt oſtendimus, deſtituantur fundamento, et falſiſſimis,

ac verbo Dei repugnantibus nitantur aſſertionibus, quid de iuriſdictione illa, quae ſpiritualis Romani pontificis poteſtatis pars conſtituitur, ſtatuendum ſit, per ſe patet. Coactiua haec iuriſdictio, in *articulis Smalcaldicis*, *p. 315*, *et p. 347*, *ſqq.* inter notas et characteres antichriſti, quem Papam eſſe demonſtratur, iure meritoque refertur.

Reſtat, vt de temporali, quam Romano pontifici BELLARMINVS adiudicat, poteſtate paucis agamus. Summa non in ſpiritualibus ſolum, ſed etiam in ſecularibus, eaque immediata et directa, pontificem Romanum praeditum eſſe poteſtate, pontificii ſtatuunt doctores, quorum ſcripta IOH. THOMAS DE ROCCABERTI in *bibliotheca pontificia maxima* congeſſit. Ab horum quidem ſententia in eo diſcedere videtur BELLARMINVS, quod in temporalibus non directe, ſed indirecte, in ordine ſcilicet ad bonum ſpirituale, ſumma pontificem poteſtate pollere, ait. Inter indirectam autem, quam ſtatuit, et directam, quid interſit, poteſtatem, ex his eius colligi poteſt verbis, quibus, *c. VI*, *p 901*, dicit: „Papam regna mutare, et vni auferre, atque „alteri conferre poſſe, tanquam ſummum „principem ſpiritualem, ſi id neceſſarium ſit „ad animarum ſalutem;“ hoc eſt, ſi rem ſuo appellaueris nomine, vbi ita viſum fuerit Papae, iſque, ex re ſua illud eſſe, exiſtimauerit. Hac ipſa tamen de indirecta poteſtate tempora-

porali doctrina ſua, quantopere BELLARMINVS Pontificem, nullos plane ſuo in principes imperio limites poni volentem, oſtenderit, GVIL. BARCLAIVS, in libro, *de poteſtate Papae, cap. XIII, p. 48, ſq.* refert. Hinc, in *praefatione tractatus de poteſtate ſummi pontificis in rebus temporalibus, contra* GV. BARCLAIVM: „ego, inquit, poteſtatem ſummi „pontificis in temporalibus vniuerſe ad„ſtruam, non multum laborans, ſi ea poteſtas „ſit abſoluta, vel in ordine tantum ad ſpiri„tualia ſe extendat.“ Nobis vero facile eſt, temporalem Papae poteſtatem, ſiue directa, ſiue indirecta dicatur, firmiſſimis deſtruere argumentis. Eſt illa primum prorſus ἄγραφος, ſiquidem nullus, ne minimus quidem, iuris diuini in ſacro codice reperitur apex, quo probari poſſit, Papae, vt epiſcopo, (de illo enim, quod vt princeps Italiae in ſubditos ſuos habet, imperio, non eſt quaeſtio,) in regna, reſque omnes chriſtianorum competere poteſtatem ſecularem, et iuriſdictionem, directe, indirecteue exercendam. Hinc alienas a re ratiocinationes, et incongrua quaedam V. T. ſacerdotum exempla, ad probandam eam, affert BELLARMINVS. At enimuero IOH. FRANCISCVS BESSELIVS, in *diſſertationibus ad ius publicum Romano eccleſiaſticum*, Erfordiae anno MDCCXIV editis, in quibus complures theſes falſae, et in ſummorum imperantium maieſtatem ac

poteſtatem, eccleſiaſticaſque in imperio Rom. Germanico conſtitutiones iniuriae continentur, quarum confutatio mihi olim demandata fuit, *diſſ. I, § IV, p. 56*, ex *Luc. XXII, 38.* duos adducit apoſtolorum gladios, horumque alteri ſpiritualis, alteri temporalis poteſtatis affingens ſignificationem, Chriſtum, dicentem: *ſatis eſt*, vtramque eccleſiae, Romano ſcilicet pontifici, attribuiſſe, BONIFACII VIII potiſſimum auctoritate profitetur. Lepidum profecto argumentum, ex myſtica, ſeu potius ſophiſtica, ſacras litteras interpretandi arte, qua clerici olim laicos imprudentes fallere ſolebant, deſumtum. His nimirum officiis opus eſt, ad probandum ex Scriptura id, quod eidem directe aduerſatur. Tale omnino eſt de temporali pontificis Romani poteſtate dogma. Etenim Chriſtus non ſolum regnum ſuum, quod N. T. eſt eccleſia, a mundi huius regnorum forma, ſecularique adeo imperio, alienum eſſe, teſtatus eſt, *Ioh. XIIX, 36, ſq.* ſed etiam apoſtolos ſuos, eorumque ſucceſſores dominatu, quo ſeculares gaudent poteſtates, ſeueriſſime interdixit, *Luc. XXII, 25, ſq.* Conf. *Matth. XX, 25, ſq. Marc. X, 42, ſq.* Ad hoc Seruatoris praeſcriptum vitae rationem, doctrinamque ſuam apoſtoli ſtudioſiſſime compoſuerunt. Ita Petrus, cuius ſucceſſorem ſeſe iactat pontifex Romanus, non ſolum ab epiſcopatu domina-

tionem

tionem omnem abeſſe debere, docet, *1 Pet. V, 3*, ſed etiam ſummam, quae ſoli magiſtratui politico competit, in ſecularibus poteſtatem confirmat, *1 Pet. II, 13*. Conf. *Rom. XIII, 1*. Quin etiam temporalis Papae poteſtas veterum conciliorum canonibus, et priſcis eccleſiae moribus, atque inſtitutis repugnat. Vid. BALTH. RHAW, in *Papatu, conciliis antiquis denudato, ſect. III, c. 5, p. 195, ſq.* et GERHARDVS, *Conf. cath. lib. II, art. 3, c. 9.* Id quidem ſatis conſtat, inde a ſeculo poſt C. N. vndecimo, pontifices Romanos, ſummam in temporalibus etiam poteſtatem ad ſe rapere, eamque in ſummos imperantes, inaudita et nefaria licentia, vſurpare auſos fuiſſe. Sed nec impune illos tuliſſe, quod ex arrogata ſibi poteſtate iſta facere auſi ſunt, ex actis inter FRIDERICVM Caeſarem et HADRIANVM IV R. P., inter PHILIPPVM *Pulcrum*, Galliae Regem, et BONIFACIVM VIII, inter LVDOVICVM Imp. et IOHANNEM XXII, aliiſque pluribus, patet. Nec in eccleſia Romana vnquam defuerunt doctores, qui temporalem iſtam Papae poteſtatem refellere aggreſſi ſunt; id quod ſcripta eorum, a MELCH. GOLDASTO, in opere, quod ſub titulo: *monarchiae S. Rom. Imperii*, Hanouiae, a. MDCXI, edidit, congeſta teſtantur. Cum maxime eam in rem operam ſuam contulerunt recentiores theologi Galli,

in primis PETRVS DE MARCA, archiepiſcopus Pariſienſis, EDM. RICHERIVS, IO. LAVNOIVS, L. E. DV PIN, qui, *de antiqua eccleſiae diſciplina, diſſertatione VII, p. 433, ſqq* „pontificem, aut eccleſiam, nullum habere in Reges eorumque bona auctoritatem, directam vel indirectam, nec „poſſe reges ab ipſis vllatenus deponi, „aut eorum ſubditos a fide et obedientia eximi,“ eximie demonſtrauit.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT XIX
DE REBVS CIVILIBVS

SECTIO I
HISTORICA

De ſtatu politico et oeconomico, rebusque eo ſpectantibus, eccleſiarum euangelicarum doctrina in *ſexto ac decimo* AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo* proponitur, (*) et in APOLOGIA eius vberius declaratur. (**)

(*) Articulus Auguſt. Confeſſ. XVI, ad *Torgauienſem XIV* conformatus, titulo ex initialibus eius verbis, quibus argumentum ipſius indicatur, deſumto, in Latino exemplo inſcribitur: *de rebus ciuilibus*, in Germanico: *von der Policey und weltlichen Regiment.* Theſi conſtat, et antitheſi. In theſi, generali hoc praemiſſo pronuntiato; legitimas ordinationes ciuiles bona Dei eſſe opera, ſpeciatim inde ea, quae cum in ſtatu politico, tum in ſtatu oeconomico a chriſtianis licite fiant, enarrantur. Quae ad illum pertinent, haec ſunt: „gerere magiſtra-„tus, exercere iudicia, iudicare res ex imperatoriis et „aliis praeſentibus legibus, ſupplicia iure conſtituere, „iure bellare, militare, iusiurandum poſtulantibus ma-

„giſtratibus dare.“ Ad hunc referenda ſunt ſequentia: „lege contrahere, (*kauffen und verkauffen,*) tenere proprium, ducere vxores, nubere, (*ehelich ſeyn.*) In antitheſi damnantur primo *Anabaptiſtae*, qui ciuilia haec chriſtianis interdicunt officia; ſecundo ii, qui euangelicam in his officiis deſerendis collocant perfectionem. Hoc nimirum facientes, *monachi*, notantur, et falſiſſima illa eorum refellitur perſuaſio; doceturque: „euangelium, ſeu Chriſti et apoſtolorum doctrinam, non diſſipare politiam aut oeconomiam, ſed maxime poſtulare, „illas conſeruare, tanquam ordinationes Dei, et in talibus ordinationibus exercere charitatem.“ Hinc additur, chriſtianos neceſſario obedire debere magiſtratibus ſuis et legibus, niſi cum iubeant peccare; tunc enim apoſtolicam ſeruandam eſſe regulam, *Act. V*, 29.

Eſt hic articulus, ſi ab iis diſceſſeris, quae aduerſus monachos dicta ſunt, quae vero pontificiae confutationis auctores alio retuliſſe videntur, *apologeticus*, depellendae calumniae cauſa ſcriptus, qua, Anabaptiſtarum, et ſeditioſorum ruſticorum errores, furoreſque a doctrina euangelica repetendos eſſe, pontificii criminabantur. In dicta confutatione is ipſe approbatur, laudaturque.

(**) In *Apologia A. C. cap. IIX, p. 214. ſqq.* pontificiae approbationis facta mentione, theſis articuli repetitur, quamque vtiliter regni Chriſti et regni ciuilis diſcrimen litteris noſtrorum illuſtratum ſit, ſignificatur. Deinde CAROLOSTADII exploditur inſania, leges forenſes Moſaicas Chriſtianae reipublicae obtrudentis. Porro ad ea, quae IVLIANVS apoſtata, CELSVS, et alii chriſtianis obiecerunt, Euangelium ſcilicet diſſipare res publicas, quia prohibeat vindictam, et alia quaedam tradat, parum apta ciuili ſocietati, reſpondetur, et priuatam quidem vindictam prohiberi, publicam vero, quae fit ex officio magiſtratus, praecipi, et opus Dei eſſe, ſacrarum litterarum dictis demonſtratur. Tum vero maxime monachi coarguuntur, vaniſſima hac imbuti opinione, non tenere proprium, ſed in rerum viuere communione,

christianam eſſe perfectionem. Hinc in fine euangelicae noſtrae de rebus politicis doctrinae vtilitas et praeſtantia vere praedicatur, qua videlicet magiſtratuum auctoritas, et omnium ordinationum ciuilium dignitas communitur, fatuis opinionibus monaſticis antea obſcurata, quae paupertatis et humilitatis hypocriſin longe praetulerunt politiae et oeconomiae, cum hae, non Platonica illa communio, Dei habeant mandatum.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I
Magiſtratus ciuilis ordinatio eſt diuina.

Vid. *Aug. Conf. art. XVI.*

Expoſitio, cum confirmatione.

Magiſtratum politicum, ſeu ciuilem, cum diuinam eſſe dicimus ordinationem, cauſamue efficientem principalem habere Deum, de officio magiſtratus hoc affirmamus. Diſtinguendum enim eſt inter ipſam poteſtatem ſecularem, et illius abuſum, inter officium magiſtratus, et id gerentem perſonam. Magiſtratus, quatenus eo nomine officium, et poteſtas ſupereminens denotatur, eſt, manetque ordinatio Dei, etiamſi perſona,

 illi

illi, quae praeſt, impia ſit, ſuaque abutatur poteſtate.

A Deo eſſe magiſtratum, inter ipſos etiam paganos quidam agnouerunt, vt vel ex illo HESIODI, Θεογ. v. 96, patet: ἐκ Διὸς βασιλῆες. Clariſſimis autem ſacrarum litterarum teſtimoniis, diuinam magiſtratum ordinationem eſſe, confirmatur. Ex veteri teſtamento huc, praeter alia, pertinent dicta: *Prov. VIII, 15; Dan. II, 21; 2 Chron. XIX, 6*, magiſtratuumque, a Deo immediate factae, conſtitutiones. In noui foederis libris, apoſtolus, *Rom. XIII, 1*, diſerte teſtatur, *οὐκ εἶναι ἐξουσίαν, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ· τὰς δὲ οὔσας ἐξουσίας, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμένας εἶναι, non eſſe poteſtatem, niſi a Deo, exſiſtenteſque poteſtates, a Deo eſſe ordinatas.* Diuinam hanc ſecularium poteſtatum inſtitutionem comprobant mandata, quibus et *h. l.* et *Matth. XXII, 21; 1 Tim. II, 2; Tit. III, 1; 1 Pet. II, 13. ſq.* reuerentiam, obedientiamue iiſdem præſtare iubentur chriſtiani. Atque ex his ipſis mandatis etiam apparet, magiſtratum, licet impii eum gerant, diuinae eſſe ordinationis; ſiquidem, apoſtolorum aetate, primiſque chriſtianiſmi ſeculis, ſummi imperantes, inferioreſque magiſtratus, infideles erant omnes. Quem iiſdem, ſpectatimque imperatori, chriſtiani habuerint honorem, Q. FS. TERTVLLIANVS, in *apologetico*, docet, memoratuque maxime digna ſunt, quibus *caput XXXIII, edit.* SIGEB.

HAVER-

HEVERCAMPI, *p. 285*, orditur, verba: „Sed „quid ego, inquit, amplius de religione atque „pietate Chriſtiana in Imperatorem? quem „neceſſe eſt ſuſpiciamus, vt eum, quem Do„minus noſter elegit, et merito dixerim, no„ſter eſt magis Caeſar, a noſtro Deo conſti„tutus."

Ἀντιθέσεως confutatio.

Anabaptiſtae, cum ciuilia officia omnia chriſtianis interdicant, damnati eo nomine in *antitheſi articuli XVI A. C.*, magiſtratus in primis officio hominem chriſtianum, ſalua et illaeſa conſcientia, fungi poſſe, negant. Vid. *Form. Conc. p. 624. et 827.* Anabaptiſtae igitur, cum enthuſiaſtis et fanaticis, diuinam magiſtratus ordinationem, non vno tamen illi omnes, cum in plures diuiſi ſint ſectas, eodemque oppugnant modo, et moderatiores magiſtratus ſtatui nihil aliud, quam quod cum euangelio non conueniat, obuertunt. Eadem fere ſententia eſt Quakerorum, ſiquidem apologeta eorum, ROB. BARCLAIVS, chriſtiani orbis magiſtratus a perfectione religionis chriſtianae longe abeſſe, dicit, *apologiae th. XV, § 15, p. 370.* Quemadmodum autem is, quem hi ſomniant, perfectiſſimus in hac vita non datur; ita tantum abeſt, vt cum euangelio pugnet magiſtratus, vt is ipſe potius euangelii doctrina, in allegatis antea ſacrarum litterarum dictis, prorſus confirmetur

tur et ſtabiliatur. Inania ſunt, quae aduerſus diuinam magiſtratus ordinationem, ab accidentibus deſumta, proferuntur argumenta; nec illi obſtat ἀνθρωπίνης κτίσεως, *humanae ordinationis*, appellatio, *1 Pet. II, 13.* Humana enim, quae certo modo, reſpectuque dicitur, diuina re vera eſt ordinatio; idque PETRVS ipſe docet, cum chriſtianos ſubiectos illi eſſe oportere, addit: διὰ τὸν Κύριον, *propter Dominum*.

THESIS II

Summo magiſtratui iure competit, ferre leges, inſtituere iudicia, poenis afficere ſontes, legitima gerere bella, iusiurandum poſtulare, et rel. ſubditique, ſine exceptione omnes, debitam reuerentiam, et obedientiam in cunctis, quae voluntati Dei non repugnant, ei praeſtare debent.

Vid. *Aug. Conf. art. XVI*, et *Apolog. p. 215, ſqq.*

Expoſitio, cum confirmatione, et errorum oppoſitorum confutatione.

Quae ſummo magiſtratui hac theſi tribuuntur, ad maieſtatis, qua is ipſe, Dei vices gerens, praeditus eſt, iura pariter, atque

atque ipſius magiſtratus finem, qui eſt, publicam curare ſalutem, ſpectant, ac firmiſſimis adeo nituntur fundamentis. Vere igitur ei competit tam *νομοθετικὴ*, ſeu leges, a ſubditis ſuis ſeruandas, ferendi, quam *δικαστικὴ, iudiciaria*, poteſtas. Vtraque publicae rei vtilitati inſeruit, ac neceſſitati, et a magiſtratu, pro officii ſui ratione, exercetur. Iudiciorum ſummam vtique neceſſitatem eſſe, res ipſa docet; diuinaque inſtitutio illorum gaudet auctoritate, ſiquidem Deus ipſe iudicum officium ordinauit, ac, de iuſta illius administratione, leges praeſcripſit, *Deut. XVI, 18. ſqq.* qui et illud ipſum, quod magiſtratus exercet, iudicium, *ſuum* eſſe, affirmat. *Deut. I, 17; 2 Paralip. XIX, 6, ſq.* Nullum, quoad id, inter vetus et nouum teſtamentum eſt diſcrimen, cum eadem hominum ſub vtroque ſit ratio, quin etiam hocce magiſtratus in N. T. officium dicto Apoſtoli, *Rom. XIII, 4*, eiuſdemque exemplo, *Act. XXV, 10, ſq.* confirmatur. Hincque manifeſtum fit, chriſtiano homini, actionem coram iudicio inſtituere, licere, ſi modo iuſtis de cauſis, debitoque id fiat modo, accuſatum item, ſi quidem innocens fuerit, ſe, ſuamque cauſam licite defendere poſſe. Nec enim cum charitate chriſtiana, quod aduerſarii dicunt, id pugnat, cum iuſtae ac legitimae actiones, defenſionesue, ſalua illa, ſuſcipiantur. Apoſtolica inanium litigiorum inter chriſtianos, diſce-

ptatio-

ptaſſionumque iniquarum coram iudicibus infidelibus prohibitio, *1 Cor. VI, 1, ſqq.* contra illas inepte ab iiſdem affertur.

Ad iudiciariam magiſtratus poteſtatem etiam pertinet, poenis afficere ſontes, ſpeciatimque in facinoroſos, ſeu eos, qui delicta, per ſe, et natura ſua, capitalia commiſerunt, *capitis conſtituere ſupplicia.* Id enim vt faciat magiſtratus, ius naturae poſtulat; diuinumque poſitiuum, *Gen. IX, 6*; officiumque hoc ab apoſtolo etiam, *Rom. XIII, 4,* ei adiudicatur. Euidentiſſimis his, quibus, poenas capitales facinorum capitalium reis a magiſtratu infligendas eſſe, probatur, argumentis, cum *Anabaptiſtis*, obluctantur *Quakeri*, et *Socinieni*, perperamque diuinum decalogi, de non occidendo, praeceptum ad capitis ſupplicia, quae magiſtratus, iure diuino, in facinoroſos conſtituit, extendunt.

Bello gerendi ſummo magiſtratui quae competit poteſtas, de bellis intelligenda eſt iuſtis, legitimiſque, iis videlicet, quae a ſummis poteſtatibus, iuſtis de cauſis, pro ſalute rei publicae, regionum ſubditorumque ſuorum, et ad propulſandam vim hoſtilem, ſuſcipiuntur, et aequis geruntur modis. Atque haec etiam ſummi magiſtratus poteſtas Dei nititur auctoritate; id quod bella, iuſſu ipſius, a principibus regibuſque populi Iſraelitici geſta, bellicaeque, quas dedit, leges, *Deut. XX, 1, ſqq.* et alia plura teſtantur. Nec

in

in nouo teſtamento hanc iuſta et legitima bella gerendi ſublatam eſſe poteſtatem, ſupra citato conficitur dicto, *Rom XIII, 4*, ordinisque militaris approbatione, *Luc. III, 14*, vt ducum, in N. T. laudatorum, exempla taceamus. Contradicentes hic quoque habemus illos, qui capitalibus infeſti ſunt poenis, *Anabaptiſtas* nimirum, *Quakeros*, et *Socinianos*. Chriſtianis non licere belligerare, argumento, ab ἐχθροφιλία, a Seruatore noſtro, *Matth. V, 44*, mandata, deſumto, in primis probare conantur. At enim ἐχθροφιλίας commune V. et N. T. praeceptum non obſtat, quo minus ſummi principes, ad legitimam aduerſus rei publicae hoſtes defenſionem, et ad iniuriae propulſationem comparata, ſuſcipiant, gerantque bella. Caetera, quae aduerſarii proferunt, obiecta omnia, diſtinctione inter id, quod commune chriſtianorum eſt officium, et quod ad publicum magiſtratus pertinet officium, inter bellum et belli abuſum, inter vindictam priuatam et publicam magiſtratus, facili negotio diluuntur. Magiſtratus officiis in theſi noſtra annumeratur, *iusiurandum poſtulare*, quia, in *Aug. Conf. articulo XVI*, inter ea, quae a Chriſtianis licite fiunt, refertur: *iusiurandum poſtulantibus magiſtratibus dare*. Ius iurandum licite praeſtari, clariſſimis ſacrarum litterarum teſtimoniis, *Deut. VI, 13*, *Hebr. VI, 16*, et caet. exempliſque conſtat. Aſſertioni huic

non

non repugnant dicta, *Matth. V, 34, ſqq. Iac. V, 12,* quippe quibus, priuato ac temerario auſu, illicitiſque adhibitis formulis, homines iurare, prohibentur. Id vero, quód magiſtratus poſcit iusiurandum, ſiue ſit aſſertorium, ſiue promiſſorium, iure meritoque datur. Nam cum ad indagandam rei veritatem, non certius medium, et ad fidem adſtringendam, non arctius vinculum ſit iureiurando, poſtulante neceſſitate, publicaeue rei ſalute, a ciuibus ſuis iure id exigit, ſuoque in illo ipſo exigendo officio fungitur magiſtratus.

De ſubditorum erga magiſtratum officio in altera theſis noſtrae agitur parte, ſubditoſque, ſine exceptione omnes, reuerentiam ei, obedientiamque praeſtare debere, affirmatur. Τιμὴν, *honorem*, reuerentiamque, mente ſincera, verbiſque ac geſtibus externis, ſummis poteſtatibus, et magiſtratum gerentibus quibuſuis exhibere iubentur chriſtiani, *Rom. XIII, 7; 1 Pet. II, 17:* eoque etiam pertinent *preces*, et vota, quae pro iiſdem, ex apoſtoli praeſcripto, *1 Tim. II, 1, ſq.* fieri debent. Quam tenaces praeſcripti huius fuerint veteres chriſtiani, TERTVLLIANVS docet, *l. c. cap. XXX, p. 272, ſqq.* Conf. CHR. KORTHOLTVS, *in pagano obtrectatore, lib. III, cap. 7, p. 530, ſq. Obſequium* magiſtratui a ſubditis deberi, per ſe patet, idque verbo ὑποτάσσεσθαι, *Rom. XIII, 1; Tit. III, 1; 1 Pet. II, 13,* chriſtianis incul-

inculcatur. Cunctis igitur illius parendum eſt mandatis, exceptis iis, quae diuino repugnant iuri. Aduerſantibus enim Dei voluntati praeceptis obedientia praeſtari nequit, cum *Deo magis obedire oporteat, quam hominibus*, *Act. V*, *29*. Ad obedientiam, magiſtratui quae debetur, tributi quoque referenda eſt ſolutio, quae ſpeciatim praecipitur, *Rom. XIII*, *6*, *7*. Conf. *Matth. XXII*, *17*, *ſqq.*

Et haec quidem, in quibus ſubditorum, erga magiſtratum officii ratio potiſſimum conſiſtit, ad ſubditos pertinent ſine exceptione omnes. Nulla hic inter laicos et clericos locum habet diſtinctio; hique pariter, atque illi ciuili magiſtratui ſunt ſubiecti. Clericos in Papatu ſeculari ereptos eſſe poteſtati, omni improbandum eſt modo. Apoſtolus diſerte iubet: Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, *Omnis homo poteſtatibus ſupereminentibus ſit ſubiectus. Rom. XIII*, 1. Egregie CHRYSOSTOMVS, *homil. XXIII in ep. ad Rom. Opp. t. IX*, *p. 686*, his verbis apoſtolum manifeſtum facere, notat, ὅτι πᾶσι ταῦτα διατάττεται, καὶ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, OMNIBVS *haec imperari*, *et* SACERDOTIBVS, et MONACHIS, *non ſecularibus tantum.* Eundem in modum THEODORETVS, caeterique veteres interpretes Graeci apoſtoli dictum exponunt. Illuſtriſſimum ſubiectionis, quae ciuili poteſtati

 debe-

debetur, exemplum praebuit ipſe ſanctiſſimus, cum in his terris ageret, Saluator, *Matth. XVII, 27.* Eandem ſubiectionem ſuo etiam PAVLVS comprobauit exemplo, *Act. XXV, 10, ſq.*

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT XX

DE PRAEDESTINATIONE.

SECTIO I

HISTORICA

In FORMVLAE CONCORDIAE *articulo undecimo* orthodoxa *de aeterna praedeſtinatione et electione Dei* exponitur doctrina. (*)

(*) Non ſine graui cauſa articulum hunc caeteris addiderunt Formulae Concordiae conditores. Quamuis enim de hoc chriſtianae doctrinae capite inter Auguſtanae Confeſſionis theologos aperta nulla exorta fuerat controuerſia, tamen, cum, ob illatas ei a CALVINO eiuſque aſſeclis perniciosiſſimas corruptelas, metuendum eſſet, ne latius ſerperet malum, et inter noſtros etiam diſſidia ac ſchiſmata de hoc articulo orirentur, ad praecauenda illa, ſanae verbi diuini de praedeſtinatione doctrinae in eccleſiis euangelicis ſancte ſeruandae, declaratio-

tionem Formulae Concordiae inſerere, neceſſe omnino eſſe videbatur; id quod in ipſius articuli principio, *epit. p. 617*, et *declarat. p. 797*, indicatur. Sincera de hoc, cognitu maxime neceſſario, fidei capite, in quo praeſcriptum et analogiam verbi Dei et fidei vnice ſequi oportet, vt praeclare monetur, *p. 798*, (conf. *p. 804, 811*, et *epit. p. 618*,) ita proponitur, vt, explicato, quod inter aeternam praeſcientiam, et inter electionem aeternam filiorum Dei ad aeternam ſalutem intercedit, diſcrimine, primo agatur de praedeſtinatione, quatenus, latiori ſignificatu, complures diuinae voluntatis complectitur actus. Eo hi ordine, quo verbo Dei ἀναλόγως diſponendi ſunt, *p. 801, ſqq.* enarrantur. De praedeſtinatione, ſtrictiore accepta ſignificatu, docetur, electionis ad vitam aeternam cauſam impulſiuam externam principalem eſſe meritum Chriſti; minus principalem, praeuiſam in Chriſtum fidem, eamque finalem. Reprobationis cauſa impiorum adſcribitur malitiae, tum finali coniunctae incredulitate. Falſae de hoc articulo doctrinae additur reiectio, et impia *Caluinianorum* de voluntate Dei, et abſoluto decreto dogmata, Pontificiorumque de hominis ad vitam aeternam, propter praeuiſa opera, electione error, reiiciuntur.

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

Praedeſtinatio eſt actus Dei trinunius, quo is, ab aeterno, ex gratia, propter meritum Chriſti, homines, quos credituros,

et in vera fide ad finem vitae vſque perſeueraturos eſſe, praeuidit, ad vitam aeternam elegit.

Vid. *Form. Conc. art. XI, epit. p. 618, ſqq. declar. p. 814, ſqq.*

Expoſitio, et confirmatio.

Praedeſtinatio, προορισμὸς, vi vocis, rei ad certum finem praeuiam deſtinationem notat. Ad eccleſiaſticum vocabuli huius ſignificatum quod attinet, apud veteres quidem nonnullos ſcriptores, quos Reformati, Sociniani item et Arminiani ſequuntur, de hominis ad futurum ſtatum aeternum, vitam, mortemue, a Deo facta deſtinatione id occurrit; in ſacris litteris autem verbum προορίζειν de praedeſtinatione ad vitam aeternam tantum adhibetur, v. c. *Rom. IIX, 29, 30; Eph. I, 5, 11;* ac proinde praedeſtinatio a noſtratibus theologis non niſi de aeterna ad ſalutem electione vſurpatur. Vid. *F. C. epit. p. 618, n. IIII, declar. p. 798, ſq.* Latiore ſignificatu praedeſtinatio pro tota hominum ad ſalutem accipitur ordinatione aeterna, media et cauſas ſalutis includente omnes. In latiore illa ſignificatione accepta praedeſtinatio, in *Formula Concordiae*, vt ſupra diximus, luculenter explicatur. Stricte, proprieque dictae

dictae praedeſtinationis deſcriptio in noſtra exhibetur theſi.

Praedeſtinatio, ſiue electio hominum ad vitam aeternam, *actus* eſt *Dei trinunius*. Actus enim diuini *interni*, ab actibus Dei *ad intra* probe diſcernendi, indiuiſim tribus competunt perſonis, hincque adeo electionis actus et Patri, et Filio, qui vero etiam vt meritoria cauſa ad praedeſtinationem concurrit, et Spiritui attribuitur ſancto, *Rom. IIX, 29; Eph. I, 3, ſqq. Ioh. XIII, 18; 2 Theſſ. II, 13. Ab aeterno* factam eſſe electionem, affirmatur, *Eph. I, 4; 2 Tim. I, 9. Cauſa* praedeſtinationis *impulſiua interna* gratuitus Dei eſt fauor. Gratia enim et miſericordia Dei cum inter cauſas ſalutis noſtrae primum et praecipuum teneat locum, *Ioh. III, 16; Rom. V, 8; Eph. II, 7, 8, etc.* prima hinc eadem ac praecipua praedeſtinationis eſt cauſa. Diſertis verbis id confirmat apoſtolus, *Eph. I, 5, 6*, vbi, Deum nos praedeſtinaſſe, dicit, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ſecundum beneplacitum voluntatis ſuae*, id eſt, gratuitum fauorem ſuum, εἰς ἔπαινον δόξης τῆς ΧΑΡΙΤΟΣ αὐτοῦ, *in laudem glorioſae* GRATIAE *ſuae*. Conf. *2 Tim. I, 9*, vbi πρόθεσις et χάρις coniunguntur, eoque ipſo, conſilium ſeu decretum de ſaluandis credentibus in Chriſtum ex gratia profluxiſſe, ſignificatur. *Cauſa impulſiua externa*, eaque *principalis* eſt meritum Chriſti, ſiquidem, ſine ſatiſfactione

Chriſti, gratiae diuinae aeternaeque adeo ſalutis homo particeps fieri non potuiſſet. Clariſſimum PAVLI dictum eſt, *Eph. I, 4*, quo, *Deus nos elegiſſe*, dicitur, ἐν Χριστῷ, PROPTER *Chriſtum, ante iacta mundi fundamenta*. Tum vero etiam euentus cum decreto diuino comparatio firmiſſimum ea de re praebet argumentum. Quodſi enim omnes, quotquot actu ſaluantur, propter meritum Chriſti ſalutem aeternam conſequuntur; id quod ex *Rom. III, 24*, aliiſque compluribus ſacrarum litterarum dictis liquet; conſequitur, electionis ad ſalutem decretum intuitu meriti Chriſti, tanquam cauſae impulſiuae externae, factum eſſe; quia decreti huius et executionis illius cauſae arcto inter ſe coniunctae ſunt nexu. *Cauſa impulſiua externa minus principalis* eſt praeuiſa fides in Chriſtum, eaque finalis. Nam cum meritum Chriſti, quod, in ſe ſpectatum, vniuerſale eſt, non, niſi vera fide apprehenſum, ſaluet, hinc omnino patet, fidem, obiecti videlicet ſui ratione conſideratam, cauſae impulſiuae ad praedeſtinationem, ab aeterno factam, minus principalis, ſeu conditionis habere rationem. Fidei ad actualem ſaluationem neceſſitatem teſtantur dicta; *Ioh. III, 16*; *Marc. XVI, 16*; *Eph. II, 8*, etc. Illa ipſa autem, qua homo ſaluatur, fides, cum finalis ſit, *Matth. XXIIII, 13*; *Apoc. II, 10*; hinc etiam firmiter colligitur, fidei *finalis*, quae ſub finem vitae adeſt,

adeſt, etiamſi per peccata prius fuerit amiſſa, intuitu, factam eſſe praedeſtinationem, Deumque adeo illos, quos finaliter credituros *praeuidit*, *Rom. IIX, 29*, ad vitam elegiſſe aeternam.

Errorum confutatio.

Grauiſſimus de praedeſtinatione *Caluinianorum* primum refellendus eſt error. Nempe Deum, abſoluto beneplacito, quosdam homines ad vitam aeternam elegiſſe, caeteros omnes reprobaſſe, illi ſtatuunt. Commune *Reformatorum* hoc eſt dogma, *ſynodi Dordracenae* praeſcripto, in eccleſiis ipſorum ſtabilitum. Quoad τρόπον quidem πίστεως, diuerſi inter ſe ſunt Caluiniani doctores, in eo tamen conſentiunt omnes, ſiue *ſupralapſarii* ſint, ſiue *infralapſarii*, ſeu *hypothetici* dicantur, electionem abſque intuitu meriti Chriſti, finaliſue fidei, eſſe factam, adeoque meritum Chriſti et fidem a diuino electionis actu prorſus excludunt. Quantopere autem abſolutum praedeſtinationis decretum, quod Caluiniani, vt ἄγαλμα διοπετὲς, tueri laborant, verbo Dei repugnet, ex vera, quam dedimus, confirmauimusque, praedeſtinationis cognoſcitur deſcriptione. Electionem enim ad vitam aeternam, non abſoluto Dei beneplacito, ſed propter meritum Chriſti, ex praeuiſa finali in Chriſtum fide, factam eſſe, dicto claſſico, *Eph. I, 4*, et

ex harmonia, quae eſt inter executionem decreti electionis et decretum ipſum, demonſtrauimus, ſiquidem ex eo, quod Deus non niſi finaliter credentes in tempore ſaluat, neceſſario conſequitur, Deum non niſi finaliter credituros ab aeterno ſaluare decreuiſſe. Praeterea, abſolutum praedeſtinationis decretum conuellitur dicto, *Rom. IIX, 29*, vbi nimirum κατὰ πρόγνωσιν, *ſecundum praeuiſionem*, ac proinde *non abſolute*, Deus dicitur elegiſſe. Quandoquidem etiam *ſine fide impoſſibile eſt Deo placere*, *Hebr. XI, 6*, vere hinc quoque infertur, fidei intuitu factam eſſe electionem, cum id, quod placet, non aliquid, vt placeat, eligatur.

Expendenda iam forent argumenta, quibus abſolutum ſuum decretum Reformati propugnant, ea maxime, quae in actis Dordracenis afferuntur. Sed cum illa, praeter alios ex noſtratibus theologis bene multos, ex inſtituto profligauerit b. SCHERZERVS, in *collegio Anti-Caluiniano, p. 303, ſqq.* nos de iis tantum, quae praecipua eſſe videntur, paucis dicemus. Fruſtra abſoluti decreti praeſidium ponitur in iis ſacrarum litterarum dictis, in quibus beneplaciti, propoſitique voluntatis diuinae mentio fit, cum in horum numerum referantur, quae de aeterna ad ſalutem electione haudquaquam agunt, vt *Rom. IX, 11, etc.* ea vero quae huc pertinent, vt *Eph. I, 5; 2 Tim. I, 9*, de propoſito,

quo

quo Deus ex gratia, per et propter meritum Chriſti, credentes ſaluare decreuit, vt ex contextu apparet, ſint accipienda. Falſo meritum Chriſti et fides electionis dicuntur eſſe effectus, ita vt Deus primum abſolute aliquos elegerit, ac poſtea ſalutis conſequendae media iiſdem ordinauerit. Hoc poſito errore, meritum Chriſti et fidem cauſas electionis non eſſe, aduerſarii arguunt, eo quod ad fidem, adeoque non ex fide, illa fuerit facta. Abutuntur, ad id probandum, loco, *Act. XIII, 48*, vbi de gentibus, quae PAVLI audiuerant concionem, dicitur; *crediidiſſe, quotquot ordinati erant ad vitam aeternam*; quaſi vero ex eo, quod actu crediderunt τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, *ad vitam aeternam ordinati*, ſequatur, illos ipſos, ſine fidei praeuiſione, fuiſſe electos, fidemque electionis eſſe effectum. Quin etiam verbum τάττεσθαι, de ordine, in ſalutis negotio diuinitus conſtituto, commode intelligitur, vt adeo ab iis qui crediderunt, eo ipſo ſeruatum illum fuiſſe, dicatur. Vid. hanc in ſententiam quae annotauit I. C. WOLFIVS, in *curis philol. et crit. ad h. l. p. 1202, ſqq.*

Alius de praedeſtinatione jam confutandus eſt error, is nimirum, quo, propter praeuiſa bona opera, electionem ad vitam aeternam factam eſſe, ſtatuitur. Errorem hunc, a *Pelagianis*, aliiſue acceptum, *ſcholaſtici* amplexi ſunt doctores, eundemque profitentur

Pontificii, ſi ab illis diſceſſeris, qui abſoluto praedeſtinationis ſuffragantur decreto, quique hoc modo communi eccleſiae Romanae de ſalute aeterna, ex operum meritis conſequenda, dogmati aduerſantur. Sociniani, in *Catech. Racou. cap. X, p. 162, ed. recogn.* praedeſtinationem ita exponunt, quod ſit „Dei ante conditum mundum de homi„nibus decretum eiuſmodi: quod iis, qui in „ipſum crederent, *eique obedirent*, daturus „eſſet vitam aeternam, etc.“ Bonis igitur operibus aeque, ac fidei adſcribunt praedeſtinationem: a cuius etiam actu praeuiſionem excludunt, vt caeteros eorum de illa taceam errores. Cum in θέσεως noſtrae expoſitione, et confirmatione, demonſtratum ſit, ex gratia Dei, meriti Chriſti, fide apprehenſi, intuitu, ad vitam aeternam factam eſſe electionem, ſatis ſuperque hinc cognoſcitur, opera nullum prorſus in praedeſtinatione habere locum, perperamque adeo ad illam referri. Firmiſſimum etiam ad errorem hunc, quo, propter opera, obedientiamue, homines electi dicuntur, argumentum praeſtat ſaluatio noſtra actualis, quippe quae gratiae Dei ita adſcribitur, vt ex parte hominis, praeter fidem nihil admittatur, et bona opera penitus ab ea excludantur, *Eph. II, 8; Rom. XI. 6.* Eandem enim praedeſtinationis eſſe rationem, ex huius cum illa harmonia, ſupra quoque declarata, liquet. Argumenta, quae

quae pro tuendo errore iſto afferuntur, falſis nituntur illationibus. Nempe ex praeuiſione fidei non ſequitur, operum etiam praeuiſionem ad praedeſtinationis pertinere decretum; cum diſpar fidei, relationique quae ſpectatur, et bonorum operum ſit ratio, gratiamſque et opera, non gratiam et fidem Scriptura opponat. Ita, cum praedeſtinationis et reprobationis, quoad cauſas meritorias, diuerſa ſit ratio, ex eo, quod mala opera, peccata videlicet proaeretica et impoenitentia finalis, damnationem merentur, adeoque meritoria reprobationis ſunt cauſa, falſo infertur, bona opera meritoriam electionis eſſe cauſam. Ad Seruatoris quod attinet dictum, *Matth. XXV, 34*, paratum quidem ab aeterno regnum coeleſte dicitur iis, qui vt vere fideles ab operibus, quibus fidem ſuam demonſtrarunt, deſcribuntur, nequaquam vero bonis operibus vlla meriti ratio eo nomine adiudicatur, quin potius regni coeleſtis deſtinationem ex gratia factam eſſe, eo quod haereditate id accipiant electi, indicatur. Conf. dicti huius vindiciae, quas dedimus, *capite IX, theſi II, p. 500, ſq.*

In refellendo peculiari, quem SAMVEL HVBERVS, Heluetius, Theologiae in Academia Vitembergenſi aliquando Profeſſor, ſub finem ſeculi XVI, *de hominum electione vniuerſali*, in medium protulit, errore, opera haud ponenda eſſe videtur, cum manifeſtum

ſit,

ſit, ea, quae de gratia Dei vniuerſali, et voluntate antecedente Scriptura ſacra tradit, ad electionis decretum perperam illam tranſtuliſſe, errorque iſte, in quem HVBERVS, Caluinianum electionis, ex abſoluto Dei beneplacito factae, impugnans dogma, incidit, cum ipſo fuerit extinctus. *Huberiani* huius erroris rationem vberius expoſuit, controuerſiaeque, de illo agitatae, hiſtoriam curate deſcripſit IOH. ANDREAS SCHMIDIVS, in *diſſertatione hiſtorico theologica de* SAM. HVBERI *vita, fatis et doctrina, edita Helmſtadii, a. MDCCIIX.* Add. IOH. GE. WALCHIVS, in *der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Ev. Lutheriſchen Kirchen, part. I, c. 4, p. 176, ſqq.*

THESIS II

Reprobatio aeternum Dei eſt decretum, quo is, vi iuſtitiae ſuae vindicatiuae, homines peccatores, quos gratiam oblatam petulanter reiecturos, et in incredulitate ſua ad finem vitae vſque perſeueraturos eſſe; praeuidit, aeternae adiudicauit morti.

Vid. *Form. Conc. art. XI, epit. p. 621, declar. p. 818, ſqq. etc.*

Con-

Confirmatio.

Praedeſtinationis, ſtrictius dictae, oppoſitum eſt *reprobatio*, eoque adeo nomine aeternus Dei trinunius intelligitur actus, decretumue, quo homines, quos finaliter incredulos fore praeuidit, aeternum damnare decreuit. Quem ad modum igitur Deus ex iiſdem cauſis, ob quas in tempore homines ſaluat, ad ſalutem illos elegit, ita etiam ex iiſdem cauſis, ob quas homines in tempore damnat, ab aeterno reprobauit. Hinc iuſtitiam Dei vindicativam, quae *ira* appellatur, impulſiuam reprobationis cauſam internam eſſe, ex *Rom. II, 5, 8; 2 Theſſ. I, 6, 8, etc.* colligitur: parique ratione, ex *Ioh. III, 18, 36; Marc. XVI, 16*, cognoſcitur, cauſam illius impulſiuam externam gratiae diuinae contemtum, finalemque hominum eſſe incredulitatem. Falſo itaque *Caluiniani*, reprobationem aeque ac praedeſtinationem, ſeu electionem ad vitam aeternam, ad abſolutum Dei referunt beneplacitum, ac reprobationem, ſine vllo in peccati ſtatu perſeuerantiae, et incredulitatis finalis intuitu, factam fuiſſe, affirmant: ſiquidem ex actualis damnationis cauſa, quae in dictis Scripturae allegatis diſerte ponitur, clariſſime apparet, Deum homines peccatores, et quidem finaliter incredulos, id eſt, illos, qui gratiam oblatam reſpuunt, nec fidem adeo in ſe pro-

duci

duci patiuntur, aut ſi crediderint, in fide ad finem vitae vſque non perſiſtunt, ex praeuiſione ſua, ad aeternam deſtinaſſe damnationem. Abſolutum reprobationis decretum gratiae Dei, meriti Chriſti et vocationis vniuerſalitati etiam cum maxime repugnat. Nam cum Deus omnes homines ſaluos fieri, nec quenquam perire velit; cum omnibus Filium ſuum miſerit redemtorem; cumque omnibus media offerat ſalutis; ſalua coeleſti veritate, dici nequit, Deum certos homines ex abſoluto beneplacito, ſine vllo iuſtae in illis deprehenſae cauſae, qualis nimirum gratiae diuinae contemtus, et finalis eſt incredulitas, intuitu, damnare decreuiſſe.

THEOLOGIAE SYMBOLICAE

CAPVT XXI

DE IVDICIO EXTREMO REBVSQVE CVM ILLO CONIVNCTIS

SECTIO I

HISTORICA

Chriſtianae fidei, de aduentu Chriſti ad iudicandum viuos et mortuos, confeſſio in tribus *ſymbolis oecumenicis* continetur, itemque in *tertio* AVGVSTANAE CONFESSIONIS *articulo* extat. Ex inſtituto autem in *ſeptimo ac decimo* illius *articulo* de aduentu hoc exponitur, ita vt, quae ad illum ſpectant, mortuorum reſuſcitatio, iudicium ipſum extremum, fidelium glorificatio, infidelium damnatio, ſummatim in eo traduntur. (*)

(*) XVII Auguſtanae Confeſſionis articulus, ex articulo XVII *Torgauienſi* deſumtus, vt alii complures, eſt apologeticus, ſanae eccleſiarum euangelicarum de iudicio extremo doctrinae declarandae, calumniarumque aduerſariorum repellendarum cauſa, conſcriptus. Titulum in vſitatis librorum ſymbolicorum editionibus habet:

de

de Chriſti reditu ad iudicium; a MENTZERO autem: *de extremo iudicio;* ab aliis, CARPZOVIO videlicet, et CALOVIO, inſcribitur: *de nouiſſimis;* quia nimirum pleraque omnia in ſe continet, quae ad ἐσχατολογίαν, ſeu doctrinam de rebus, in die nouiſſimo euenturis, ſpectant. Etenim in parte illius prima, quae eſt θετικὴ, docetur: Chriſtum, in conſummatione mundi, latiori quidem hic, vt Matth. XIII, 39, XXIIX, 20, accepta ſignificatione, *appariturum*; mortuos omnes *reſuſcitaturum;* viuos et mortuos *iudicaturum*; piis et electis *vitam aeternam daturum*, impios autem homines ac diabolos *condemnaturum* eſſe, vt ſine fine crucientur. In altera vero parte, quae eſt ἀντιθετικὴ, cum *Anabaptiſtae*, poenarum infernalium finem fore qui ſtatuerunt, quo numero inprimis fuerunt IOH. DENCKIVS et LVD. HETZERVS, tum *Iudaizantes chiliaſtae* damnantur. Latino textui cum Germanico prorſus conuenit; illumque in Confeſſione variata intactum fere reliquit PHILIPPVS, antitheſin tantum, quoad chiliaſticum errorem, quem Anabaptiſtis etiam tribuit, vberius illuſtrauit, et alterum errorem ad *Origeniſtas* retulit, a quibus nimirum eundem hauſerunt Anabaptiſtae. Cenſores pontificii in comitiis Auguſtanis articulum hunc ſine exceptione receperunt. Vid. *Apologia A. C. p. 217.*

SECTIO II
THETICO ELENCTICA
THESIS I

IESVS Chriſtus, Dominus et Saluator noſter, in fine mundi, ad iudicium veniet, et mortuos omnes reſuſcitabit, reſuſcitatos-

tatoſque illos, vna cum iis, quos viuos nouiſſimus deprehendet dies, iudicabit.

v Vid. *Symbola oecumenica*, et *Aug. Confeſſ. art. XVII.*

Expoſitio, cum confirmatione.

Quae theſis haec complectitur chriſtianae doctrinae capita, ſigillatim declaranda ſunt, atque confirmanda. Primum in his locum tenet Chriſti θεανθρώπου in fine mundi *aduentus*. *Reditus* is ipſe appellatur, ad aſcenſionem Chriſti in coelum, qua viſibilem praeſentiam mundo ſubtraxit, habito reſpectu, eoque adeo ſignificatur, eum in modum, quo aſcendit, ipſum venturum, id eſt, viſibiliter eſſe appariturum. Vid. *Act. I, 11.* Perquam glorioſum huncce fore aduentum, ita vt filius hominis, nempe Chriſtus θεάνθρωπος, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς, *magna cum potentia et gloria*, venturus ſit, ex luculenta illius deſcriptione, *Matth. XXIIII, 30, ſ. XXV, 31, ſqq. 1 Theſſ. IIII, 16; 2 Theſſ. I, 7*, et caet. apparet.

Id, quod eundem proxime inſequetur, *reſuſcitatio* eſt *mortuorum*. In primariis fidei chriſtianae articulis cum cenſenda ſit de reſurrectione carnis doctrina, ſingularem ea poſtulat enarrationem. Reſurrectionis *cauſa*

 efficiens,

efficiens, ſeu is, qui mortuos reſuſcitabit, Deus quidem eſt triunus, ſiquidem ea ad opera iſta pertinet, quae tribus indiuiſim competunt Deitatis perſonis, *Rom. VIII, 17; 2 Cor. IIII, 14;* ſpeciali autem ratione mortuorum reſuſcitatio competit Chriſto θεανθρώπῳ, qui, ſecundum humanam naturam, quae, propter vnionem perſonalem, viuificandi praedita eſt virtute, illam peraget, vt ipſe teſtatur, *Ioh. V, 27, ſqq.* Conf. *Ioh. VI, 39, ſq. etc.* *Obiectum*, ſiue reſuſcitandi, omnes omnino ſunt homines, tam pii, quam impii, id quod probatur ex ſigno vniuerſali, πάντες, *Ioh. V, 28, ſq.* itemque ex dictis: *Matth XXV, 32; Act. XXIIII, 15; 2 Cor. V, 10.* Et pii quidem atque fideles, vi meriti Chriſti, ad vitam videlicet aeternam, ſecundum *Ioh. XI, 25; 1 Cor. XV, 20, ſqq.* impii autem, vi iuſtitiae Dei vindicatiuae, ad aeternam damnationem reſurgent. Fruſtra ſunt, qui impios quoque, vi meriti Chriſti, reſurrecturos eſſe, ex *1 Cor. XV, 22*, probare contendunt; cum eo in loco de reſurrectione illorum, qui in Chriſto mortui ſunt, ſpeciatim ac determinate, agatur. *Subiectum quod* totus eſt homo antea mortuus; *ſubiectum quo*, non anima hominis, quippe quae immortalitate gaudet, (*Matth. X, 28; Cobel. XII, 7.*) ſed idem numero, quod in hac vita vnuſquiſque geſſit, quodque per mortem ceciderat, eſt corpus, ſpiritualibus tamen qualitatibus veſtitum. *1 Cor.*

XV,

XV, 42, ſqq. Idem quoad ſubſtantiam corpus reſuſcitatum iri, cum ex formali reſurrectionis ratione patet, qua nouae contradiſtincta ea eſt creationi, tum clariſſimis ſacrarum litterarum dictis, praeſertim *Iob. XIX, 26; Rom. IIX, 11; 1 Cor. XV, 53; Phil. III, 21,* comprobatur. Egregie hanc in ſententiam reſurrectio mortuorum in Symbolo Apoſtolico *carnis reſurrectio* appellatur, et in Athanaſiano, omnes homines *cum corporibus ſuis*, reſurrecturos eſſe, affirmatur. Reſurrectionis *forma* Graecis nominibus, ἀνάστασις et παλιγγενεσία, quodammodo deſignatur, et cum in corporum ἀναπλάσει ac reſtitutione, tum in animarum cum iiſdem redunitione conſiſtit. Mortuorum reſurrectionis conſequens immediatum reſuſcitatorum apparitio eſt coram tribunali Chriſti, viuos mortuoſque iudicaturi.

Enimuero *iudicii extremi,* de quo vt etiam exponamus, theſis noſtra poſtulat, aeque ac reſurrectionis *cauſa*, quae dicitur, *efficiens* Deus eſt trinunus, ſpeciali vero ratione, et κατ' οἰκονομίαν, Chriſtus θεάνθρωπος, qui propter ea dicitur ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν, *conſtitutus a Deo iudex viuorum et mortuorum, Act X, 42; XVII, 31.* Conf. *Ioh. V, 22.* Iſque adeo iudicium peraget ſecundum humanam etiam naturam. Non ſolum enim ipſe ſibi, intuitu illius, *filii hominis* nomen tribuit, *Matth. XVI, 27; XXV, 31;*

itemque *Act. XVII, 31*, *ἀνὴρ vir* vocatur, ſed etiam ad humanam eius naturam ſpectat eiuſdem, iudicis futuri, deſcriptio, ſiquidem deſcenſurus dicitur de coelo, ſeſſurus in throno gloriae, compellaturus iudicandos, qui eum conſpicient omnes, ſententiamque ore pronuntiaturus. Cum maxime huc pertinet dictum, *Ioh. V, 27*, vbi Chriſtus, iudicium faciendi poteſtatem a Patre datam ſibi eſſe, teſtatur, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςὶ*, *quatenus filius hominis eſt*. Etenim particula ὅτι h. l. διοριςικὴ eſt, *καὶ δεικτικὴ*, naturamque determinat, cuius intuitu ἐξουσία illa κριτικὴ in tempore Chriſto data eſt, per vnionem videlicet hypoſtaticam eidem communicata. *Obiectum perſonale*, ſeu ii, quos Chriſtus in extremo iudicio iudicabit, praeter angelos malos, qui vincti ad iudicium illud detinentur, eoque ad ignem condemnabuntur aeternum, (vid. *2 Petr. II, 4*; *Iud. v. 6*; *Matth. XXV, 41*,) omnes in vniuerſum ſunt homines, viui ac mortui; viui nimirum, qui, tempore aduentus Chriſti, ſuperſtites erunt, quosque apoſtolus immutatum iri docet, *1 Cor. XV, 51*; mortui, a Chriſto reſuſcitati; pii et electi pariter, atque impii reprobique. Omnes omnino, tam pios, quam impios homines coram tribunali Chriſti ſiſtendos, et diſcretionis iudicio ſubiiciendos eſſe, et iudiciarii proceſſus deſcriptio, *Matth. XXV, 32, ſqq.* et vniuerſalia illa effata, *Rom. XIV, 10*; *2 Cor. V, 10*,

item-

itemque PAVLI confeſſio, *Act. XXIIII, 15*, confirmant. Diuerſiſſima autem, quoad iudicium hocce, fidelium et impiorum erit ratio. Horum enim diſcutientur peccata, ipſiſque aeterna irrogabitur condemnatio, illis vero ſalus adiudicabitur aeterna; eoque ſenſu credentes in Chriſtum non iudicari, nec in iudicium, condemnationis videlicet, venire dicuntur, *Ioh. III, 18; V, 24.* *Obiectum reale*, ſeu id, cuius intuitu homines immediate iudicabuntur, fides ſunt atque infidelitas, *Ioh. III, 36; Marc. XVI, 16;* opera item bona et mala, quatenus videlicet ea fidei, infidelitatiſque ſigna ſunt atque documenta. Num peccata etiam electorum in iudicio extremo manifeſtanda ſint, diſputatur. Sed negans firmioribus vtique, quam affirmans ſententia, nititur argumentis. *Norma*, ſecundum quam iudicium fiet, coeleſtis eſt doctrina, quae verbo Dei continetur, ſpeciatim ratione fidelium verbum euangelii, ratione infidelium, lex, eaque euangelii luce colluſtrata. Vid. *Ioh. XII, 48; Rom. II, 16; Gal. III, 9, ſq.* *Finis* iudicii extremi primarius, qui Dei ac redemtoris noſtri gloria eſt, *2 Theſſ. I, 6, ſqq.* indicatur. Secundarium conſtituit cum fidelium glorificatio, tum infidelium condemnatio, de quibus ſequenti exponemus theſi.

Errorum confutatio.

Inter errores, qui theſi noſtrae aduerſantur, ordine primus eſt *chiliaſtarum* de Chriſto, ante diem nouiſſimum, et vniuerſalem mortuorum reſurrectionem, in has terras venturo, regnumque excitaturo, quod per mille annos duraturum ſit, et in quo pii, oppreſſis impiis, omni felicitatis genere fruituri ſint, commentum. Errorem huncce Confeſſores noſtri in *Aug Conf. articulo XVII* damnarunt, quod eo tempore eſſent, qui eum profiterentur Ad Iudaicas, vt Aug. Confeſſio docet, comparatus is eſt opiniones, de regno nimirum mundano, quod Iudaei a Meſſia ſuo, quem ſtolide praeſtolantur, conſtitutum iri, ſomniant; ſacrarum autem litterarum de indole regni Chriſti, *Ioh. XIIX. 16*, et de aduentu ipſius in mundum ſecundo, cum extremo iudicio immediate coniuncto, *2 Tim. IV, 1; 2 Theſſ. I, 7, ſqq.* manifeſto repugnat. A craſſo iſto ſubtilis, qui vocatur, et qui ex noſtratibus etiam ſuffragatores nactus eſt, chiliaſmus, cum quoad alia, tum in eo maxime differt, quod viſibilem Chriſti in mundum haudquaquam ſtatuat aduentum, neque adeo hic loci notandus eſſe videtur, idoneis rationibus idem ille a bene multis confutatus.

Pergimus ad errores, orthodoxae, quam explicauimus, de *reſurrectione mortuorum* oppoſitos doctrinae. Aduerſantur ei cum maxi-

maxime *Sociniani*, eorundem, quoad ſubſtantiam, corporum reſurrectionem negantes. Is quidem etiam iisdem a multis adſcribitur error, quod impios non reſurrecturos eſſe ſtatuant; ipſiusque SOCINI hanc vtique ſententiam fuiſſe, licet eam ſtudioſe occultauerit, SCHERZERVS, in *collegio Anti-Socin. p. 1191, ſq.* demonſtrat: moderni vero impiorum reſurrectionem, publice ſaltem, profitentur. Alterum vero illum errorem, quod corpora haec, quae nunc circumferimus, non reſurrectura, ſed alia, quoad ſubſtantiam ſpiritualia et coeleſtia, nobis danda ſint, contra clariſſima, quae in theſis noſtrae confirmatione adduximus, ſacrarum litterarum dicta, et Symboli apoſtolici aſſertionem, acriter omnes propugnant, atque in eo *anabaptiſtas* et *fanaticos* ſecum habent conſentientes. In refellendis, quibus vtuntur, rationibus non multum operae ponendum eſt. Ex eo, quod Apoſtolus, 1 *Cor. VI, 13*, Deum ventrem, accidentaliter videlicet, quoad vſum, quo eſcis deſtinatus eſt, conſideratum, non quoad ſubſtantiam ſpectatum, deſtructurum eſſe, dicit, inane pro ſententia ſua petunt argumentum. Ad eandem detorquent verba 1 *Cor. XV, 50*, quibus, carnem et ſanguinem, peccabilem nimirum et corruptibilem, regnum Dei haereditare non poſſe, affirmatur. Ita ex qualitatibus corporum reſuſcitandorum, quas, eodem illo capite,

v. 37. et ſqq. PAVLVS deſignat, falſo argumento alia quoad ſubſtantiam corpora in reſurrectione nos eſſe accepturos. Fruſtra iidem erroris ſui praeſidium quaerunt in loco, *Luc. XX, 36*, vbi reſurrecturi ἰσάγγελοι dicuntur, non quoad naturam, ſed quoad qualitates, gloriamque perennem. Nullius denique ad id, quod ſtatuunt, momenti ſunt ex ratione petita argumenta, vtpote quae Scripturis, et potentiae Dei perperam opponuntur. Vid. *Matth. XXII, 29.*

Errori huic affinis, et ad euertendam reſurrectionis formam, quatenus illa in corporum ex puluere terrae ἀναπλάσει ac reſtitutione conſiſtit, compoſita eſt Socinianorum de corporum poſt mortem annihilatione aſſertio. Eſt illa non ſolum prorſus ἄγραφος, ſed etiam multis modis ἀντίγραφος, ſiquidem Scriptura teſtatur, corpora noſtra in puluerem, non in nihilum, redigi, *Gen. III, 19; Cohel. XII, 7;* in terra quieſcere, *Dan. XII, 2; Ioh. V, 28;* reſuſcitanda, et incorruptione veſtienda eſſe, atque immortalitate, *1 Cor. XV, 52.* Nec minus grauiter iidem errant, animas, a corpore ſeparatas, ante reſurrectionem, nihil agere, patiue, et fidelium adeo animas felicitatis, impiorum doloris expertes eſſe, docentes. Prope abeſt Socinianum hocce placitum ab haereſi *Arabicorum*, qui, teſte EVSEBIO, *hiſt. eccl. lib. VI, c. 37, p. 299, edit. Cantabrig.* animas cum corporibus mori, atque diſ-

diſſolui, in fine autem ſeculi reſurrecturas eſſe, tradiderunt, et ab errore *pſychopannychitarum*, qui, animas ſeparatas vſque ad nouiſſimum diem ſomno ſepultas iacere, ſtatuerunt. Quantopere hae, ſimileſque de ſtatu animae poſt mortem opiniones coeleſti contrariae ſint veritati, non opus eſt, vt pluribus oſtendamus. Firmiſſima Scriptura ſacra, *Luc. XVI, 22, ſqq. XXIII, 43; 2 Cor. V, 8; Phil. I. 23; Apoc. XIV, 13*, praebet argumenta, quibus illae ipſae conuelluntur.

Non alienum ab hoc loco fore arbitramur, ſi de locis, quos, praeter coelum et infernum, animabus poſt mortem Pontificii aſſignant, praeſertim de purgatorio quid ſtatuendum ſit, exponamus. Nempe, cum duo tantum Scriptura ſacra, locis modo citatis, eſſe doceat ψυχοδοχεῖα, in quae hominum animae, ſtatim poſt diſceſſum ex corpore, tranſferuntur, quorum alterum, ratione piorum et fidelium, coelum, alterum, ratione impiorum, eſt infernus, pontificii tria his addiderunt, et affinxerunt receptacula, *limbum patrum*, in quo fideles V. T. vſque ad aſcenſionem Chriſti fuerint detenti, *limbum infantum*, non baptizatorum, et *purgatorium*; de quo ſpeciatim agere, conſtitutum nobis eſt, quia non ſolum in *Apologia Aug Conf.* id paſſim notatur, ſed etiam in *Articulorum Smalcaldicorum parte II, art. II de miſſa, p. 307, ſq.* acriter redarguitur, idem vero illud patres

Tridentini ſingulari ſtabiliuerunt decreto. Decretum hocce, *ſeſſione XXV* factum, ita habet: „Cum catholica eccleſia, Spiritu ſan-„cto edocta, ex ſacris litteris, et antiqua pa-„trum traditione, in ſacris conciliis, et no-„uiſſime in hac oecumenica ſynodo, (*ſeſſ.* „videlicet *VI, can. 30,* et *ſeſſ. XXII, cap. 2, et* „*can. 3,*) docuerit, purgatorium eſſe; animaſ-„que ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſ-„ſimum vero acceptabili altaris ſacrificio iu-„uari; praecipit ſancta ſynodus epiſcopis, vt „ſanam de purgatorio doctrinam, a ſanctis „patribus et ſacris conciliis traditam, a Chri-„ſti fidelibus credi, teneri, doceri, et vbique „praedicari diligenter ſtudeant.“ Monita quaedam adduntur, de difficilioribus ac ſubtilioribus quaeſtionibus apud rudem plebem vitandis, et caet. Ad decretum hocce formandum delecti patres haud prorſus inter ſe conſenſerunt, et quidam eorum, loci, igniſque purgatorii, Concilii Florentini exemplo, mentionem faciendam eſſe, cenſuerunt. Praeualuit autem archiepiſcopi Lancianenſis ſententia, ad quam illud compoſitum eſt. Vid. PAVLVS SARPIVS, *hiſt. Conc. Trid. lib. IIX.* Conf. P. F. LE COVRAYER, in *notis, p. 714. ſq. et p. 727.* vbi, doctrinam de purgatorio, vtpote ἄλογον et ἄγραφον, Scripturae et traditioni conſentaneam eſſe, perperam in decreto dici, notat. Ad Concilii Tridentini decretum conformata ſunt verba, in *profeſſione*

fidei

fidei Trident. praeſcripta. Hanc nimirum edens iurare debet: „conſtanter teneo, purgatorium eſſe, animaſque, ibi detentas, fidelium ſuffragiis iuuari.“ Purgatorii deſcriptionem de induſtria omiſit Concilium Tridentium. A BELLARMINO, *lib. I de purgat. c. I, controuerſ. t. II, p. 325,* generatim id deſcribitur „per locum quendam, in quo, tanquam in carcere, poſt hanc vitam, purgentur animae, quae in hac non plene purgatae fuerint, vt nimirum ſic purgatae ingredi valeant in coelum.“ Idem vero ille, *lib. II, p. 357. ſqq.* de circumſtantiis purgatorii; de perſonis ſcilicet, loco, tempore, poenis, ſuffragiis, fuſe differit; vnde adeo, quid et quale ſit confictum a pontificiis purgatorium, plenius intelligi poteſt. Eſt nimirum, ex Papiſtarum ſententia, locus, infra viſcera terrae, et inferno vicinus, in quo animae hominum, qui in gratia quidem Dei, ſed cum reatu vel culpae venialis, vel poenae temporalis, deceſſerunt, ad tempus definitum, cuius tamen definitio pro re incertiſſima habetur, igne, vero et elementari, acerbiſſimo cruciantur, vt hoc modo purgatis eis, viuorum, quibus iuuari poſſunt, accedentibus ſuffragiis, in coelum pateat ingreſſus.

Ad conuellendum purgatorium vel haec ipſa, quae ex diſertis BELLARMINI conſtat pronuntiatis, ſufficere poteſt illius deſcriptio. Adeo cum ſanae rationi, tum verbi

diuini doctrinae aduerſa ſunt omnia, quae naturam eius conſtituunt, qualitatemque. Inter argumenta, quibus purgatorium prorſus refellitur, primum locum tenet eiuſdem *ἀγραφία*. Patres quidem Tridentini dogma de purgatorio in ſacris litteris contineri, aiunt, ſed non probant; nec in *catechiſmo Tridentino, part. I, art. V, p. 56*, Scripturarum, ad quae prouocatur, teſtimonia proferuntur. Contra ea purgatorium Scripturae ſuffragio deſtitui, ex ipſis pontificiis fatentur IOH. FISCHERVS, PETRVS A SOTO, et alii, quorum eam in ſententiam dicta adducit GERHARDVS, *confeſſ. cathol. lib. II, part. 2, art. 9, p. 941, ſq.* notatuque dignum eſt, quod IAC. AVG. THVANVS, *hiſtor. lib. CXXXII, p. 1026, edit. Francof. a. 1621*, de PETRO COTTONO, Ieſuita, refert, a ſpiritu maligno, praeter alia, quiſnam euidentiſſimus Scripturae locus eſſet ad probandum purgatorium, et inuocationem ſanctorum, ſciſcitatum eum fuiſſe. Ne tamen omni omnino ſacrarum litterarum praeſidio purgatorium deſtitui videatur, praeter caeteros doctores pontificios, BELLARMINVS, *l. c. lib. I, c. III-IIX, p. 327, ſqq.* varia ad id probandum corraſit V. et N. T. dicta. Primus, quem adducit, locus eſt, qui extat *2 Maccab. XII, 43, ſqq.* vbi libri huius ſcriptor narrat, „Iudam Maccabaeum „mille drachmas Hieroſolymam miſiſſe, *ad „ſacrificium pro peccatis mortuorum offeren-*

„dum,

„*dum, bene et religioſe de reſurrectione cogi-*
„*tantem: niſi enim*, ſcriptor ille addit, *eos,*
„*qui ceciderant, reſurrecturos ſperaſſet, ſuper-*
„*fluum videretur, orare pro mortuis, etc.*"
Hicque adeo locus eſt palmarius, quo purgatorium, ex veteri ſcilicet teſtamento, BELLARMINVS probat, quaſi vero liber apocryphus, in quo fabulae complures occurrunt, et cuius auctor in fine libri, *c. XV, 39*, veniam ſibi dari petit, ſi minus digne ſcripſerit, pro θεοπνεύςῳ et canonico Scripturae ſacrae libro ſit habendus, et fidei dogma, quale pontificiis eſt purgatorium, ex illo probari poſſit. Eo ipſo vero etiam in loco, additamentis coinquinato, non continetur id, quod perſuaſiſſimum eſt pontificiis, cum de purgatorio ne verbum quidem fiat, precesque pro mortuis, ex quibus illud exſculpitur, ad reſurrectionem illorum referantur. De locis, quos ex V. T. ſcripturis BELLARMINVS huic ſubiungit, et quibus perperam itidem ex Tobiae libro locum accenſet, *p. 329*, praefatur: *probabiliter tantum eos ſuadere.* Ea re vera horum eſt ratio, vt citius ex pumice aqua, quam ex illis vel ſcintilla ignis purgatorii extorqueri queat. Pari modo res ſe habet cum illis locis, quos ad purgatorii probationem ex nouo teſtamento idem ille adducit. Sunt ea: *Matth. XII, 32; 1 Cor. III, 15; XV, 29; Matth. V, 22, 25; Luc. XVI, 9; XXIII, 42; Act. II, 24; Phil. II, 10.* Longum foret, ſigilla-

ſigillatim oſtendere, quam ineptiſſime dicta illa de purgatorio exponantur; qua quidem opera diligentiſſime perſunctus eſt in primis IOH. GERHARDVS, *loc. theolog. t IIX, l. de morte, § 224, ſqq.* vbi BELLARMINI, quoad veteris pariter atque noui teſtamenti, pro purgatorio allata, dicta, φλυαρίας fuſe, ſolideque profligauit. Addatur, qui, more ſuo, breuiter et neruoſe id praeſtitit, IOH. AD. SCHERZERVS, in *Anti-Bellarmino, diſp. VII, p. 436.* Vt vel vno exemplo id manifeſtum faciamus, dictum, *1 Cor. III, 15*, ideo ſcilicet, quia *ignis* in illo mentio fit, repugnante contextu, et phraſi, ad confictum illum ignem purgatorium detorquetur. Enimuero in loco illo ſermo eſt de doctoribus eccleſiae, et doctrinis, quas iidem fundamento fidei ſuperſtruunt, haſque, cum non vnius illae eiuſdemque ſint generis, igne, tentationis videlicet, probatum iri, indicatur, ita vt minus ſincerae et inutiles ſint periturae, harumque doctor laboris ſui, non vero ſalutis iacturam ſit facturus; αὐτὸς δὲ, additur, σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρὸς, *ipſe vero ſaluabitur, ita vero tanquam per ignem*; prouerbialique hac locutione, eiuſmodi doctorem, tanquam eum, qui per ignem perrumpit, ſaluari, ſignificatur.

Neque vero ἄγραφον ſolum, ſed etiam compluribus modis ἀντίγραφον eſt purgatorium pontificiorum. Aduerſatur illud primo

iis Scripturae dictis, quae, vt initio notauimus, non niſi duo ψυχοδοχεῖα, coelum et infernum, et homines omnes, qui moriuntur, vel pios et fideles, vel impios et infideles eſſe, illorumque animas, ſtatim poſt diſceſſum ex corpore, in coelum, horum in infernum tranſferri, affirmant. Aduerſatur porro ſacrarum litterarum de ſatiſſactione Chriſti et de iuſtificatione doctrinae. Scriptura enim docet, Chriſtum pro peccatorum culpa pariter, atque poena omni ſatiſfeciſſe, ita vt neque in hac vita, neque poſt eam, pro poena illorum temporali nobis ſit ſatiſſaciendum; et in iuſtificatione ita remitti peccata, vt nullum ſit κατάκριμα iis, qui per fidem cum Chriſto vniti ſunt, *Rom. IIX, 1*, et per ſanguinem Ieſu Chriſti perfecte purgemur ab omnibus peccatis, *1 Ioh. I, 7*. Plures chriſtianae fidei, quos purgatorium labefactat, articulos refert GERHARDVS, *l. c. §. 198, ſqq.* et *Conf. cath. p. 941.* Originem ſuam illud ipſum debet deliriis gentium et Iudaeorum, quae a IAC. WINDET, in libro *de vita functorum ſtatu, ſect. IIX, p. 152, ſqq.* enarrantur. BELLARMINVS certe ipſe, *l. c. cap. XI, p. 347, ſq.* ad Hebraeorum, Muhammedanorum, ethnicorum, eorumque tam philoſophorum, quam poetarum, prouocat conſenſum, indeque pro purgatorio (en, quam egregium!) petit argumentum. Conciliorum vero etiam et patrum auctoritate purgatorium idem ille, *cap. IX, et X*, adſtrue-

ſtruere laborat, ſed irrito conatu, cum in concilio demum Florentino, anno MCCCCXXXIX, id fabricatum fuerit, et patrum, quas adducit, ſententiae id, quod vult, nequaquam probent. Vid. GERHARDVS, § 281, *ſqq* Quo loco patrum hac in re habenda ſint dicta, optime docet LVTHERVS, in *articulis Smalcald. p 308*, vbi etiam, purgatorium, *meram diaboli laruam*, ad quaeſtum comparatum eſſe, vere ait. Haec nimirum cauſa eſt, quare tam acriter pro illo pugnant Romanenſes, quia ignis purgatorius longe maximo clericis, monachiſque eſt emolumento, quemadmodum dilucide oſtendit SAM. SCHELGVIGIVS, in *der Prüfung des Pabſtthums*, *cap. XLI, p. 877.* Conf. MART. CHEMNITIVS, *exam. Concilii Trid. part. III, loc. III, p. 732, ſqq.* qui pontificiorum de purgatorio commentum, et, quae ad illud ſpectant, omnia ſolide diſcuſſit. De fanaticorum purgatoriis quid ſtatuendum ſit, nihil attinet dicere, cum in cerebro ipſorum illa exſtructa, et iiſdem fere, quibus Papiſtarum nititur purgatorium, id eſt, fallaciſſimis munita ſint fulcris. Solide ea confutauit b. THOMAS ITTIGIVS, in *exercitatione de nouis fanaticorum quorundam noſtrae aetatis purgatoriis*, *opuſculis* eiuſdem *variis*, *p. 150, ſqq. inſerta.*

THE-

THESIS II

Iudicii extremi finis, et conſequens immediatum eſt fidelium glorificatio, et infidelium damnatio aeterna.

Vid. *Symbolum Athanaſ.* et *Aug. Conf. art. XVII.*

Expoſitio, cum confirmatione.

Cum duae omnium hominum, in die nouiſſimo reſuſcitandorum immutandorumque, et coram tribunali Chriſti ſiſtendorum, ſint claſſes, quarum alteram pii et fideles, alteram impii et infideles conſtituunt, illis quidem Dominus, iuſtiſſimus iudex, vitam aeternam, et perpetua gaudia dabit: hos vero condemnabit, vt cum diabolis ſine fine crucientur: id quod generatim Scriptura ſacra, *Matth. XXV, 32, ſqq. Ioh V, 28, ſq. Dan XII, 2*, confirmat. Vita, qua fideles, quoad animam et corpus, beabuntur, aeterna, quantum ex Scriptura conſtat, in perenni, pleniſſimaque ac perfectiſſima bonorum ſpiritualium fruitione conſiſtit. Primus beatitudinis huius conceptus, perfectionumque eius omnium fons et origo, intuitiua Dei eſt cognitio, quae in ſacris litteris, *Matth. V, 8; 1 Cor. XIII, 12; 1 Ioh. III, 2; Hebr. XII, 14*, tribuitur beatis; quaque plena et perfecta Dei ac rerum diuinarum cognitio deſignatur. Num corporis oculis Deum

damnatorum non in aeterno cruciatu, ſed in annihilatione conſiſtere, ſtatuunt. Hanc iu ſententiam ab illis dicta refert pariter, atque argumenta eorum refellit I. A. SCHERZERVS, in *Collegio Anti Sociniano, p. 1225, ſqq.*

Hominibus damnatis, ac daemonibus nullo modo futurus eſt poenarum finis, eorumque, qui poenarum infernalium aeternitatem negant, damnatus in *Auguſtana Confeſſione* error, vt caetera grauiſſima taceam argumenta, vel ſolo illo, ex *Matth. c. XXV* ſupra allegato, pleniſſime conuellitur loco. Egregie AVGVSTINVS, *de ciuit. Dei lib. XXI, cap. 21*, quo contra opinionem eorum diſputat, qui dicunt, nec diaboli, nec hominum malorum perpetua futura eſſe ſupplicia: „quale, inquit, eſt, aeternum ſupplicium pro igne diuturni temporis exiſtimare, et vitam aeternam credere ſine fine, cum Chriſtus, eodem ipſo loco, in vna eademque ſententia, dixerit, vtrumque complexus: *Sic ibunt iſti in ſupplicium aeternum, iuſti autem in vitam aeternam.* Si vtrumque aeternum, profecto aut vtrumque cum fine diuturnum, aut vtrumque ſine fine perpetuum debet intelligi. Pari enim relata ſunt, hinc ſupplicium aeternum, inde vita aeterna" *Opp. t. VII, p. 484.* Contra falſam de finienda damnatorum poena opinionem praeclare idem, plus valere, ait, quod Deus dixit, quam quod homines ſuſpicantur.

INDEX

INDEX I
CAPITVM

Cap. I de Scriptura ſacra, chriſtianae fidei doctrinae principio atque norma.

II de Deo trinuno, attributiſque et operibus diuinis.

III de imagine Dei.

IV de peccato tam originali, quam actuali, et de cauſa peccati.

V de libero arbitrio, ſeu, de viribus hominis poſt lapſum.

VI de Chriſto.

VII de poenitentia, et de confeſſione peccatorum.

IIX de iuſtificatione, et de fide iuſtificante.

IX de bonis operibus.

X de lege et euangelio.

XI de Sacramentis.

XII de Baptiſmo.

XIII de Sacra Coena.

XIV de eccleſia.

XV de ritibus eccleſiaſticis.

XVI de cultu ſanctorum.

XVII de miniſterio eccleſiaſtico.

XIIX de pontifice Romano.

XIX de rebus ciuilibus.

XX de praedeſtinatione.

XXI de iudicio extremo, rebuſque cum illo coniunctis.

INDEX II

Articulorum, qui enarrantur,

(I) AVGVSTANAE CONFESSIONIS EIVSQVE APOLOGIAE

	Cap.	pag.
Articulus I de Deo,	II,	136 ſq.
II de peccato originis,	IV,	193
III de Chriſto,	VI,	267
IV de iuſtificatione,	IIX,	422
V de miniſterio eccleſ.	—	423
VI de noua obedientia,	IX,	475
VII et *IIX* de eccleſia,	XIV,	664
IX de baptiſmo,	XII,	558
X de coena Domini,	XIII,	580
XI de confeſſione,	VII,	373
XII de poenitentia,	—	364
XIII de vſu ſacramentorum,	XI,	534
XIV de ordine eccleſiaſtico,	XVII,	717
XV de ritibus eccleſiaſticis,	XV,	681
XVI de rebus ciuilibus,	XIX,	775
XVII de Chriſti reditu ad iudicium,	XXI,	799
XIIX de libero arbitrio,	V,	246
XIX de cauſa peccati,	IV,	205
XX de bonis operibus,	IX,	477
XXI de cultu ſanctorum,	XVI,	701
Part. II art. I de vtraque ſpecie,	XIII,	585
II de coniugio ſacerdotum,	XVII,	718
III de miſſa,	XIII,	588
IV de confeſſione,	VII,	374
V de diſcrimine ciborum	XV,	683
VI de votis monachorum	XVII,	723
VII de poteſtate eccleſiaſtica	XV, / XVII,	685 / 720

(II)

(II) ARTICVLORVM SMALCALDICORVM

	Cap.	pag.
Part I	II,	141
	et VI,	270
Part. II art. I de officio Chriſti,	VI,	270
	et IIX,	431
II de miſſa,	XIII,	594
de inuocatione ſanctorum,	XVI,	704
III de monaſteriis,	XVII,	726
IV de Papatu,	XIIX,	756
Part. III art. I de peccato,	IV,	202
II de lege,	X,	516
III de poenitentia,	VII,	370
IV de euangelio,	X,	516
V de baptiſmo	XII,	560
VI de ſacramento altaris,	XIII,	596
VII de clauibus,	XVII,	721
IIX de confeſſione,	VII,	376
IX de excommunicatione,	XVII,	721
X de initiatione, ordine, et vocatione,	XVII,	721
XI de coniugio ſacerdotum,	XVII,	722
XII de eccleſia,	XIV,	668
XIII de iuſtificatione, et de bonis operibus,	IIX,	431
	et IX,	482
XIV de votis monaſticis	XVII,	726
XV de humanis traditionibus,	XV,	685
Tractatus de poteſtate et primatu Papae pars I,	XIIX,	757
pars II	XVII,	722

(III) FORMVLAE CONCORDIAE

Praefatio, de compendiaria doctrinae regula atque norma,
Articulus I de peccato originis, I,
II de libero arbitrio, IV,
III de iuſtitia fidei coram Deo, V,
IV de bonis operibus, VIII,
V de lege et euangelio, IX,
VI de tertio vſu legis, X,
VII de coena Domini, —
IIX de perſona Chriſti, XIII,
IX de deſcenſu Chriſti ad inferos, VI,
X de caerimoniis eccleſiaſticis, —
XI de aeterna praedeſtinatione, XV, XX,

INDEX III
LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE
qui explicantur, vel vindicantur.

GENESIS

Cap.	verſ.	pag.	Cap.	verſ.	pag.
I,	1, 2.		IIX,	21.	
	1.	149	IX,	6.	211
		177	*XIV,	18.	185, 782
II,	26, 27.	184, 188	XLIIX,	16.	676, ſeq.
III,	17.	192			714
	1, ſeqq.	191			

EXODVS

Cap.	verſ.	pag.	Cap.	verſ.	pag.
V,	7.	190	III,	14.	
	1, 2.	184	XXXII,	13.	142
VI,	3.	193			714
	5.	211			

NVMERI

Cap.	verſ.	pag.
VI,	24-26.	149

DEV-

VTERONOMION

Cap.	verſ.	pag.
	4.	143
	15.	337, 526, ſq.

II SAMVEL

Cap.	verſ.	pag.
	14.	390
V,	10, ſeqq.	390

I REGVM

Cap.	verſ.	pag.
IIX,	14.	714

IOBVS

Cap.	verſ.	pag.
	I.	714
IX,	26.	803

PSALMI

Cap.	verſ.	pag.
VII,	9.	514
IIX,	13.	405
XXXIII,	6.	149, 175, 277
*LI,	7.	221
	12.	219
LXXI,	5.	578
XCIX,	5.	714
CX,	4.	337, 657, ſeq.
CXLIII,	2.	514

PROVERBIA

Cap.	verſ.	pag.
*XVI,	6.	393, ſq.

ECCLESIASTES

Cap.	verſ.	pag.
*VII,	30.	185, ſq.

IESAIAS

Cap.	verſ.	pag.
II,	3.	526
VI,	3.	149

Cap.	verſ.	pag.
XXXIII,	22.	526
XLIIX,	16.	149
LIII,	5.	345, ſeq.
	10.	339
LIV,	13.	728
LXI,	1.	149, 337

IEREMIAS

Cap.	verſ.	pag.
XXXI,	34.	728, ſeq.

EZECHIEL

Cap.	verſ.	pag.
XX,	25.	725, ſeq.

DANIEL

Cap.	verſ.	pag.
II,	46.	714
*IV,	24.	392, ſeq.

HOSEAS

Cap.	verſ.	pag.
XII,	4.	579

IONAS

Cap.	verſ.	pag.
III,	5.	385

MALACHIAS

Cap.	verſ.	pag.
*I,	11.	660, ſeq.

SAPIENTIA

Cap.	verſ.	pag.
VII, 1. X, 1		182
XI,	18.	179, ſq.

II MACCAB.

Cap.	verſ.	pag.
XII,	43, ſqq.	812, ſeq.

MATTHAEVS

Cap.	verſ.	pag.
I,	18, 20.	282, 285
III,	16, 17.	150

(III) FORMVLAE CONCORDIAE

	Cap.	pag.
Praefatio, de compendiaria doctrinae regula atque norma,	I,	116 ſqq.
Articulus I de peccato originis,	IV,	203
II de libero arbitrio,	V,	250
III de iuſtitia fidei coram Deo,	VIII,	432
IV de bonis operibus,	IX,	483
V de lege et euangelio,	X,	517
VI de tertio viu legis,	—	519
VII de coena Domini,	XIII,	597
IIX de perſona Chriſti,	VI,	271
IX de deſcenſu Chriſti ad inferos,	—	274
X de caerimoniis eccleſiaſticis,	XV,	688
XI de aeterna praedeſtinatione,	XX,	786

INDEX III
LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE
qui explicantur, vel vindicantur.

GENESIS

Cap.	verſ.	pag.
I,	1, 2.	149
	1.	177
	26, 27.	184, 188
II,	17.	192
III,	1, ſeqq.	191
	7.	190
V,	1, 2.	184
	3.	193
VI,	5.	211
IIX,	21.	211
IX,	6.	185, 782
*XIV,	18.	676, ſeq.
XLIIX,	16.	714

EXODVS

Cap.	verſ.	pag.
III,	14.	142
XXXII,	13.	714

NVMERI

Cap.	verſ.	pag.
VI,	24-26.	149

DEV..

DEVTERONOMION

Cap.	verſ.	pag.
VI,	4.	143
XIIX,	15.	337, 526, ſq.

II SAMVEL.

XII,	14.	390
XXIV,	10, ſeqq.	390

I REGVM

XXIIX,	14.	714

IOBVS

V,	1.	714
XIX,	26.	803

PSALMI

VII,	9.	514
XIX,	13.	405
XXXIII,	6.	149, 175, 277
*LI,	7.	221
	12.	219
LXXI,	5.	578
XCIX,	5.	714
CX,	4.	337, 657, ſeq.
CXLIII,	2.	514

PROVERBIA

*XVI,	6,	393, ſq.

ECCLESIASTES

*VII,	30.	185, ſq.

IESAIAS

II,	3.	526
VI,	3.	149

Cap.	verſ.	pag.
XXXIII,	22.	526
XLIIX,	16.	149
LIII,	5.	345, ſeq.
	10.	339
LIV,	13.	728
LXI,	1.	149, 337

IEREMIAS

XXXI,	34.	728, ſeq.

EZECHIEL

XX,	25.	725, ſeq.

DANIEL

II,	46.	714
*IV,	24.	392, ſeq.

HOSEAS

XII,	4.	579

IONAS

III,	5.	385

MALACHIAS

*I,	11.	660, ſeq.

SAPIENTIA

VII, 1. X, 1		182
XI,	18.	179, ſq.

II MACCAB.

XII,	43, ſqq.	812, ſeq.

MATTHAEVS

I,	18, 20.	282, 285
III,	16, 17.	150

Cap.	verſ.	pag.
V,	12.	499
	20, ſqq.	527, 529
	34, ſqq.	784
	44.	783
XV,	9.	492, 694
*XVI,	18, 19.	762, ſeq.
	19.	734, 741
	27.	500
XIIX,	6.	570, 578
	19.	741
XIX,	14.	573
	17.	501
XX,	8.	500
	25, ſq.	772
	28.	355
XXIII,	2, 3.	697
XXV,	34, ſqq.	500, ſeq. 795
	41, 46.	818, ſqq.
*XXVI,	26, ſqq.	606, 7, 11, 25
	27.	634, ſqq.
XXIIX,	18, 20.	308, 762
	*19.	150, 567, 573, 576, ſq.

MARCVS

*I,	15.	380, ſeq.
XVI,	16.	575

LVCAS

*I,	35.	281
X,	16.	696
XV,	7.	401
XVII,	10.	477

Cap.	verſ.	pag.
XX,	36.	808
XXII,	19.	658, ſeq.
	25, 26.	761, 772
	32.	767
	38.	772
XXIV,	30.	631, ſeq.

IOHANNES

*I,	1, 14.	277, ſeq.
	3.	175, ſq.
	14.	290
	17.	525, ſq.
	25.	563
III,	5.	567, 569, 572, 575
	6.	221
	16.	355
	31.	285
V,	27, ſqq.	308, 802 *804
VI,	51, ſqq.	613, 638
IIX,	34.	255
	44.	241
X,	15.	355
	27.	736
*XVII,	3.	164, ſqq.
XX,	21-23.	408, ſq. 420
*XXI,	15-17.	762, 764

ACTA APOST.

II,	38.	567, 577
	42.	639
III,	21.	310, 819
V,	29.	776, 785

X,

Cap.	verſ.	pag.
X,	43.	382
XI,	18.	382
XIII,	2.	659
*	48.	793
XIV,	14.	260
XV,	28, 29.	697
XIX,	18.	411
XX,	21.	381
	28.	730, 742, 764
XXVI,	18.	380

EP. AD ROMANOS.

Cap.	verſ.	pag.
*III,	24, 25.	440, ſqq. 348
*	28.	457, ſeq.
V,	1, 2.	471
	10.	350
*	12.	193, ſq. 213, 220, 228
	18, 19.	451
VI,	14.	533
	17, 20.	255
VII,	7.	228, 231
	14, ſqq.	233, ſq. 236, 504
IIX,	1.	235
*	3, 4.	284, 340, 505, 511
	29.	792
	33.	435, ſeq.
IX,	5.	278
X,	4.	526
	14, 15.	728, 731
XI,	36.	180

Cap.	verſ.	pag.
XIII,	1, ſqq.	778, 782
*XIV,	23.	490, ſeq.

I AD CORINTHIOS

Cap.	verſ.	pag.
II,	14.	133, 256
III,	11.	763
	15.	814
IV,	1,	643, ſeq.
VI,	1, ſqq.	782
	13.	807
VII,	2, 9.	747
	5	750
	14.	227
*IIX,	4-6	144, 166
*X,	16.	606, 611, 623
	21	661
XI,	7	187
	20	603
	23, ſqq.	606
	24, ſqq.	609
*	26, ſqq.	608, 622, 659
	27, 29.	611
	34.	644
XII,	28.	766
XV,	22.	802
*	24, 28.	363
	47.	285
	50.	807

II AD CORINTHIOS

Cap.	verſ.	pag.
V,	20.	411, 731
	21.	340
*VII,	10.	383, ſeq.

AD

AD GALATAS

Cap.	verſ.	pag.
*II,	16.	458
III,	13.	352
	25.	533
IV,	8.	706
*V,	6.	467
*	21.	512,533

AD EPHESIOS

I,	3,ſqq.	789,ſeq.
	22,23.	762
II,	1,5.	255
	3.	229
	20.	768
IV,	11.	766
	18.	255
	24.	185
V,	2.	339
	8.	255
	9.	533
	*25-32.	548,ſq.
	26.	569

AD PHILIPPENSES

*II,	6-8.	321,ſqq.
	7.	284
*	9-11.	229,ſeq.

AD COLOSSENSES.

II,	9.	307
	11,12.	574
	13.	255
III.	10.	185

I AD THESSALONICENS.

Cap.	verſ.	pag.
I,	9.	706
IV,	9.	718

II AD THESSALON.

I,	5.	561
*II,	15.	124,ſeq.

I AD TIMOTH.

*I	9.	532,ſeq.
II,	1,ſeq.	778,784
III,	1,ſqq.	732,ſeq.
		745,748
	16.	278
*IV,	1-3.	699,ſeq.
		747
	8.	501
	14.	739

II AD TIMOTH.

I,	9.	789
II,	4.	750
III,	15,ſqq.	125
IV,	8.	501

AD TITVM

I,	5,ſqq.	732,ſq.
		742,745
		748
	8.	750
II,	12,	488
III,	5,	567,569

AD HEBRAEOS

I,	2,10.	175,ſq.
II,	14,16.	290

V,

Cap.	verſ.	pag.
V,	4.	706
VI,	10.	501
VII,	24, ſqq.	658
	25.	340
IX,	12, 26, 28.	650
	24.	340
X,	14.	355
*XI,	1.	454, ſq.
*	3.	177, ſq.
	6.	487, 490
XIII,	16.	499

I PETRI

II,	13.	780
*III,	18, 19.	331, ſqq.
V,	1-3.	764

I IOHANNIS

I,	9.	412
II,	1.	340

Cap.	verſ.	pag.
II,	2.	355
*	27	729
III,	4.	488
	9.	399, 512
*V,	7.	151, ſqq.

IACOBI

I,	13.	240
	14, 15.	238
*II,	17, ſqq.	463, ſqq.
V,	12.	784
*	14, 15.	546, ſq.
	16.	411, ſq.

APOCALYPSIS

XII,		756
XIX,	20.	714
XXII,	11.	437
	19.	714

INDEX IIII
RERVM

A

Adiaphora. Vid. *Ritus eccleſiaſtici*.

Aeternitas Dei, 168

Agricola (Iohannes) antinomorum coryphaeus, 516

Ambroſio adſcripti commentarii in epp. Pauli, 476, itemque libri de vocatione gentium, 479

Amſdorfii (Nicolai) de bonis operibus ad ſalutem noxiis, propoſitio in F. C. reiecta, 485 ſeq.

Ana-

Anabaptiſtae, vnde nomen id habeant; in plures diuiſi ſunt ſectas, 576

Angeli num orent pro nobis, 702; non inuocandi, cultuque religioſo ſunt afficiendi, 704 ſeqq.

Animarum poſt mortem ſtatus, 808 ſeq.

Anthropomorphitae, 169

Antinomorum tres claſſes, 517

Antitrinitariorum quatuor claſſes, 158 ſeqq.

Apocryphi libri canonicis perperam annumerantur, 123

Ariana haereſis, 160 ſeq.

Attributa Dei ab eſſentia eius realiter non differunt, 167; in duo genera diſtinguuntur, 167 ſeqq.

Auguſtino libri hypognoſticon, ex hypotheſi communis opinionis, in A. C. adſcripti, 248

B

Baptiſmi, primi N. T. ſacramenti, definitio, cauſa efficiens, materiale et formale, effectus et finis, 561 ſeqq. neceſſitas vniuerſalis, 571 ſeqq.

Baptiſmi Iohannis origo diuina, et cum baptiſmo Chriſti ταυτότης, 562 ſeq.

Bona opera, a regenitis fiunt, non ab irregenitis, 487, 489 ſeqq. forma eorum, 488 ſeq. neceſſaria ſunt neceſſitate mandati Dei, noſtri debiti, conſequentiae fidei, non medii, meritiui, vel ad iuſtificationem, vel ad ſalutem aeternam, 494 ſeqq. non neceſſaria dicenda ſunt ad ſalutem, 484, 502; legi debita carent perfectione, 504 ſeqq. qua ratione Deo placeant, 489, 503

Bonitas Dei, 171

C

Canoniſatio ſanctorum in eccleſia Romana, 705

Caſuum reſeruatio, quam R. P. ſibi vindicat, 419 ſeq.

Chiliaſmus reiectus, 806

Ciborum diſcrimen, in quo ieiunii pontificii formalis ratio conſiſtit, ad reiectaneas E. R. pertinet traditiones, 698 ſeqq.

Clauium, ligantis et ſoluentis, poteſtas, 741
S. *Coenae* definitio, varia nomina, cauſa efficiens, materia, t. terrena, t. coeleſtis, quae ſacramentaliter vniuntur, obiectum, finis et effectus, 602, ſeqq. Corporis et ſanguinis Chriſti vera et realis in S. Coena praeſentia aſſeritur, 610 ſeqq. Panis et vinum in corpus et ſanguinem Chriſti non conuertuntur. Vid. *Tranſſubſtantiatio*.
Communio ſub vna conuellitur, 632 ſeqq.
Concomitantia, inane pontificiorum pro communione ſub vna argumentum, 641
Concupiſcentia ad formalem peccati originis pertinet rationem, 210 ſq. remanens in renatis, vere proprieque eſt peccatum, 233 ſeqq.
Confeſſionis peccatorum priuatae ſpecies, 402 ſeq.
Confeſſio coram miniſtro eccleſiae merito retinetur, 403, 405 ſeqq. non neceſſaria in illa eſt omnium peccatorum enumeratio, 404 ſeq.
Confeſſionis pontificiae auricularis ratio, origo, cauſae enarrantur, argumenta pro ea expenduntur, eiuſdemque iniquitas demonſtratur, 407 ſeqq.
Confirmatio, in eccleſia Romana vſitata, ſacramentis N. T. falſo accenſetur, 544
Coniugii clericorum prohibitionis iniquitas, 746 ſeqq.
Corpora poſt mortem non annihilantur, 808; quoad ſubſtantiam eadem reſurgent, 807
Creationis cauſa efficiens, obiectum, finis, 172 ſeqq.
Crypto-Caluiniani, 597 ſeq.

D

Deſcenſus Chriſti ad inferos, 274, 336 ſeqq.
Deus eſſentia vnus, 142 ſeqq. tres in vna eſſentia diuina perſonae, vid. *Trinitas*. Dei attributa, vid. *Attributa*.
Dies dominicus ab eccleſia in ſabbati ſurrogatus locum, 686 ſeqq.

Διακονεῖν vocis ſignificatus, 437 ſeq.
Donatiſtae, ſeculi IV ſchiſmatici, eorumque errores, 666, 678, 746

E

Eccleſiae vocis ſignificatus, 669, diſtinctiones, 670 ſeq. proprie dictae deſcriptio, 671 ſeqq. ἔξωθεν ſpectatae viſibiliſque notae, 675 ſq. pontificiorum deſcriptionis, notarumque falſitas, 674, 676. Ἔξωθεν ſpectata eccleſia piis et fidelibus admixtos habet hypocritas et malos, 677 ſeq. vniuerſalis et inuiſibilis perpetuo manſura eſt, 679 ſq.
Enthuſiaſtarum damnabiles errores. 134, 367
Epiſcopos inter et preſbyteros nullum iure diuino eſt diſcrimen, 742 ſeqq. Penes ſolos illos non eſt eccleſiae miniſtros ordinandi poteſtas, 738 ſeq.
Euangelium vel latiore, vel ſtrictiore proprioque accipitur ſignificatu, 517; proprie acceptum quot quibuſque modis differat a lege, 522 ſeq. non arguit peccata, 517 ſeq. non eſt doctrina operum, 525
Euangelica pontificiorum conſilia non ἄγραφα ſolum, ſed etiam ἀντίγραφα, 528 ſeq.
Eunomianorum haereſis, 161
Eutychianiſmus, 292 ſeq.

F

Feſti conceptionis B. Mariae Virginis immaculatae conſtitutio Clementis XI, R. P., 224 ſeq.
Feſti corporis Chriſti in E. R. origo, et cauſa, 630 ſeq.
Fides iuſtificans tribus conſtat actibus, 453 ſeqq. 459; quo reſpectu iuſtificet, 456; ſola, ſine operibus, iuſtificat, 456 ſeqq. 460 ſeqq.
Flacianiſmus, 215 ſeqq.

H

Huberi (Samuelis) de electione vniuerſali error, 795 ſq.

IESVS

I

IESVS CHRISTVS, conſideratus

(I) qua *perſonam*, quae ex duabus conſtat naturis, *diuina*, qua aeternus Dei filius eſt, Patri ὁμοούσιος, 276, ſeqq. *humana*, eaque vera et noſtrae ὁμοουσίῳ, quam in tempore aſſumſit, 281 ſeqq. Vtriuſque naturae *vnio perſonalis*, 287 ſeqq. immediatum, huius conſequens, vnio naturarum, 293 ſeqq. mediatum, communicatio idiomatum, tribus diſtincta generibus, 298 ſeqq.

(II) qua *ſtatum* duplicem, 315 ſeqq. exinanitionis, 318 ſqq. exaltationis, 327 ſeqq. Ad hunc pertinens deſcenſus ad inferos, 330 ſeqq.

(III) qua triplex *officium*, 335 ſeqq. Sacerdotalis officii deſcriptio, 338 ſeqq. vid. *Satiſfactio*. Regii, 358, ſeqq.

Imaginis Dei, primo homini concreatae, formalis ratio, 183 ſeqq.

Immaculata B. Mariae V. conceptio, in Papatu controuerſa, 222 ſeqq. ἀντίγραφος, 225 ſeq.

Indulgentiarum papalium commentum, 395 ſeqq.

Interimiſtae, 693

Iudicii extremi deſcriptio, quoad cauſam efficientem, obiectum perſonale, reale, normam, finem, 803 ſeqq.

Iuſtificatio per fidem in Chriſtum ſancte tenenda, 432, verus verbi *iuſtificare*, in articulo de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, ſignificatus, 434 ſeqq. Iuſtificationis cauſae, efficiens, impulſiua interna et externa, inſtrumentalis, formalis, finalis, 438 ſeqq. Formalis ratio, in iuſtitiae Chriſti conſiſtens imputatione, contra aduerſarios aſſerta, 443 ſeqq. Iuſtificantis fidei ratio. vid. *Fides iuſtificans*.

Iuſtificationis certitudo, 469 ſeqq.

Iuſtitiae originalis nomine quid ſignificetur, 184

L

Lapſus Adami, eiuſque conſequens, 171 ſeqq.

Legis et euangelii diſcrimen ſeruatu neceſſarium, 517, 523 ſeq. in quo illud conſiſtat, 522 ſeq.

Lex diuina moralis perfecta bonorum operum norma, 488 ſeq. 491, 527; tres illius vſus: politicus, elenctico-paedagogicus, didacticus, 531; renatis regula eſt, ad quam vitae ſuae rationes componere debent, 532 ſeq. perfecte impleri nequit, 504 ſeqq.

Legem moralem Chriſtus haudquaquam, vt nouus *legiſlator*, praeceptis, conſiliiſque adauxit, et perfecit, 525 ſeqq.

Liberi arbitrii nomen quo ſenſu accipiatur, 245 ſq. 252; ſubiectum, 253; obiectum, 253 ſq. quoad ſpiritualia, irregenitus libero arbitrio caret, 254 ſeqq. regenitus liberato arbitrio gaudet, 264 ſeqq.

Λόγος, Filii Dei nomen, 277

Lombardus, (Petrus) ſeptenarium ſacramentorum numerum in eccleſiam Romanam inuexit, 540

M

Magiſtratus ciuilis ordinatio diuina, 777 ſeqq. ſummo officio eius competit poteſtas leges ferendi, iudicia inſtituendi, capitis ſupplicia facinoroſis irrogandi, bella gerendi, ius iurandum poſtulandi, 780 ſeqq. reuerentia, et obedientia ei in quibuſuis, iuri diuino quae non aduerſantur, ab omnibus eſt praeſtanda, 784 ſeqq.

Maioris (Georgii) de bonorum operum ad ſalutem neceſſitate propoſitio reiecta, 484 ſeqq. 502

Manichaeorum de duobus principiis coaeternis, bono et malo, deteſtabilis error, 145

Matrimonium, in ſacramentorum numerum a pontificiis ineptiſſime relatum, 548

Miniſterii eccleſiaſtici neceſſitas, 727 ſeqq. Ad id obeundum legitima opus eſt vocatione, 729 ſeqq. Miniſtros eccleſiae vocandi ius competit eccleſiae, 733 ſeqq. Officii eorum partes, 730; Ordinatio ipſorum, eiuſque neceſſitas; ordinandi quorum ſit poteſtas, 737 ſeqq. aequali miniſtri eccleſiae omnes gaudent poteſtate, 740 ſeq. malorum non inefficax eſt miniſterium, 744 ſeqq. Coniugio miniſtris eccl. non eſt interdicendum, 746 ſeqq.

Miſſae vocis origo, 588 ſeq. inepte ex lingua Hebraea deducitur, 592 ſeq. In Conf. Aug. vox illa eo, quo euchariſtiae celebrationem notat, adhibetur ſignificatu, 589

Miſſaticum ſacrificium ſacramenti euchariſtiae inſtitutioni, et ſacrificio Chriſti, in ara crucis peracto, aduerſatur, pluribuſque cum abominationibus eſt coniunctum, 646 ſeq. 649 ſeqq. Tridentinorum pro eo rationes refelluntur, 655 ſeqq.

Miſſaticus canon notatus, 651 ſeqq.

Monaſtica vota ἀντίγραφα, monaſticuſque in E. R. ſtatus reiectaneus, 752 ſqq.

Muhammedani vnam tantum Deitatis perſonam agnoſcunt, et chriſtianos pro polytheitis habent, 159

Mulier ad imaginem Dei creata, 187

Munzerus (Thomas) anabaptiſtarum haereſiarcha, 134, 576

N

Neſtorii haereſis, 291 ſeq. 297

Nouatiana haereſis, 365

O

Omnipotentia Dei, 170

Oratio pro mortuis, 593 ſeq.

Ordinatio miniſtrorum eccleſiae, vid. *Miniſterium eccleſiaſticum.*

Ordo, non veri nominis ſacramentum, 547 ſeq.

Oſiandri (Andreae) de iuſtificatione error, 433, 451

P

Papalis monarchiae ortus, et progreſſus, 765 ſeq.

Paedobaptiſmi neceſſitas, 573 ſeqq. ordinata, non abſoluta, 572, 575

Peccati originis nomen, 207 ſeq. indoles, ex ſola Scriptura cognoſcenda, 208 ſeq. formalis ratio, 209 ſeqq. non ipſa hominis eſt ſubſtantia, 215 ſeqq. ſubiectum, et modus propagandi, 220 ſeqq. poena, 227 ſeqq.

reatus in baptiſmo tollitur, remanente concupiſcentia, 231 ſeqq.
Peccata actualia, effectus peccati originis, 236 ſeqq.
Peccati cauſa, 238 ſeqq.
Pelagius, ſeculi V haereſiarcha, praecipuique eius de peccato originis, et de libero arbitrio errores, 212, 257
Petrum, apoſtolum, Romae oecumenicum epiſcopatum, cum monarchico coniunctum imperio, conſtituiſſe, etc. pontificium eſt commentum, 765
Philoponus (Iohannes) tritheiſmi auctor, 162
Photinus, ſeculi IV haereſiarcha, 158
Poenarum infernalium aeternitas, 818 ſeqq.
Poenitentiae vocis ſignificatus, 378 ſq. verae partes duae, contritio et fides, 379 ſeqq. tres falſae pontificiorum partes, 385 ſeqq. Omnes ſine exceptione homines opus habent poenitentia, 399, ſeqq. Non eſt illa ſtricte proprieque dictum ſacramentum, 545 ſeq.
Pontifex Romanus pro infallibili controuerſiarum fidei iudice falſo habetur, 128, 130 ſeq. non eſt caput eccleſiae viſibile, et totius orbis chriſtiani monarcha, ſumma praeditus cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus poteſtate, 758 ſeqq.
Praeadamitarum fabula, 186
Praedeſtinationis vocis ſignificatus, 788 ſtricte proprieque dictae deſcriptio, quoad cauſam efficientem, impulſiuam internam, externam principalem et minus principalem, 789 ſeqq. Ex praeuiſa fide in Chriſtum finali, non ex abſoluto Dei beneplacito, nec propter praeuiſa bona opera, facta ea eſt, 791 ſeqq.
Protoplaſti, Adam et Eua, ad imaginem Dei creati, 182; lapſus eorum, eiuſque conſequens, 191 ſeqq.
Prouidentia Dei, 174 ſeq.
Purgatorium confictum, 809 ſeqq.
Purorum naturalium commentum, 189

R

Rationi humanae non competit iudicium, magiſteriumque in rebus ſpiritualibus, 131 ſeq.

Reprobationis deſcriptio, 796 ſeq.

Reſurrectionis mortuorum deſcriptio, quoad cauſam efficientem, obiectum, ſubiectum quod et quo, formam, conſequens, 801 ſeqq.

Reuelationes immediatae, falſum fanaticorum principium cognoſcendi res diuinas, 133 ſeqq.

Ritus eccleſiaſtici, quales eſſe debeant, 690 ſeq. non temere abrogandi, 691 ſeqq. poſtulantibus aduerſariis, non recipiendi, 693 non ſunt per ſe cultus diuinus, nedum ad ſalutem neceſſarius, meritoriuſue, 694 ſeqq.

Rituales eccleſiae Romanae traditiones reiectaneae, 605 ſqq.

Ritus, in eccleſiis euangelicis vſu recepti, vt papiſmi reliquiae perperam traducuntur, 692 ſq.

S

Sabellianiſmus, 159

Sacramenti vocis varii ſignificatus, 538 ſeq. proprie ſtricteque ſic dicti requiſita, et definitio, 540; duo vere ſunt ſacramenta N. T. baptiſmus et ſacra coena, contra pontificios, qui ſeptem ſtatuunt, 540 ſeqq. efficacia gratiae euangelicae media ſunt atque inſtrumenta, 550 ſeqq. ad ſalutarem illorum vſum requiritur fides, 553 ſeqq.

Sacramentum altaris quo ſenſu ſacra coena dicatur, 596

Samoſatenianorum neotericorum nomine quinam in Aug. Confeſſione deſignentur, 139 ſeq.

Sancti demortui num in coelis orent, 702, 704; quinam eis conueniat honor, 701, 702, 707; nec inuocandi, nec quouis cultu religioſo ſunt afficiendi, 704 ſeqq. In eccleſia Romana, ex praeiudicata opinione, falſaque vulgi perſuaſione, ignorantiaue, complures pro ſanctis habentur, religioſeque coluntur, 705 ſeq.

Sapientia Dei, 170 ſeq.

Satiſfactionis Chriſti nomen, deſcriptio, quoad principium quo, rationem formalem, obiectum t. perſonale, t. reale, finem, 342 ſqq. aſſertio, 346 ſeqq.

Satiſfactionis pontificiae ratio excuſſa, 388 ſeqq. ab eccleſiae veteris ſatiſfactione diuerſitas, 394

Scriptura ſacra, fidei et religionis chriſtianae vnica regula atque norma, t. directiua, t. deciſiua, 120 ſeqq. obſcuritatis falſo inſimulatur, 129
Semipelagianiſmus, 258
Sociniani, Fauſti Socini progenies, a praecipuo, quem cum Photino communem habent, errore Neo-Photiniani dicuntur, 159
Spiritualitas Dei, 169
Stancari (Franciſci) de Chriſto, ſecundum humanam naturam tantum, mediatore noſtro, error damnatus, 315, 451
Strigelius (Victorinus) ſynergiſmi hyperaſpiſtes, 251
Συμβόλου vocis ſignificatus, 2 ſq.
Symbola tria oecumenica, 15 ſeqq.
Symbolicorum eccleſiae euangelicae librorum nominis ratio, 2 ſeqq definitio et numerus, 6 ſeq. neceſſitas, 7 ſeq. auctoritas, 9 ſeqq. An, et quo modo iuſiurandum in eos praeſtandum ſit, 13 ſeq. Hiſtorica illorum, Auguſtanae videlicet Confeſſionis, Apologiae, Articulorum Smalcaldicorum, vtriuſque Catechiſmi Lutheri, et Formulae Concordiae deſcriptio, 23 ſeqq.
Symbolicorum horum librorum *δυσνόητα*, quaeque vel *ἐναντίοι*, vel *παροράματα* eſſe videntur, enodata, conciliata, vindicata:
(1) in *Aug. Confeſſ. art. I*, p. 138, ſeqq. *art. II*, p. 201 ſeq *art. V*, p. 425 ſeq. *art. VI*, p 476, *art. VII*, p. 680, *art. X*, p. 582. ſq. *art. XIII*, p. 535 ſq. *art. XIIX*, p. 248 ſq. *art. XX*, p. 478 ſq. *de abuſ. mut. art. VII*, p. 686 ſeqq.
(2) *in Apologia Aug. Conf. c. I*, p. 302, *c. II et III*, p 428 ſeqq. *c. IV*, p. 559, 583, 668, *c. V*, p. 369 ſeq. *c. VII*, p. 536 ſeq. 554, *c. IX*, p. 703, *c. XII*, p. 593 ſeq *c. XIII*. p. 725 ſeq.
(3) *in Articulis Smalcald. part. II, art. II*, p. 595 ſeq. *art. IIII, p.* 756 ſeq. *part. III, art. II*, p. 516, *art. III*, p. 372, *art. VIII*, p. 376 ſeq. *art. XIII*, p. 483
(4) *in Catechiſmo mai.* p. 561